


(4) ll + xx eq. [illegible] + 360pp.

5 full-pg. & 2 folding plates.

cf. the [illegible]

of [illegible]



Io. Bapt. Puccetti inv. et del. Philipp. Vasconus Sculp.

ACTA
CANONIZATIONIS
SANCTORUM

PII V. Pont. Max., ANDREÆ AVELLINI,
FELICIS à CANTALICIO, & CATHARINÆ
de BONONIA,

HABITÆ A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTE XI.

PONTIFICE MAXIMO,

Collecta

PER JUSTINIANUM CHIAPPONI
Apostolicarum Cæremoniarum Præfectum.

QUIBUS ACCEDUNT

Dissertatio ejusdem super Mysteriis Oblationum in Missa Canonizationis;

NEC NON

Acta omnia Beatificationis Servi Dei JO: FRANCISCI REGIS Soc. Jesu.

Cum Indice Rerum Memorabilium.



ROMÆ MDCCXX.
Ex Typographia Vaticana in Archigymnasio Sapientiæ.

SUPERIORUM PERMISSU.



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XI.

PONTIFICI MAXIMO

JUSTINIANUS CHIAPPONI
F.



Ulla quidem, Beatissime Pater, potior causa est, ut Sanctitati Tuæ hoc qualecumque opusculum dedicatum velim, quàm ea ipsa, quæ potissimùm dehortabatur. Etenim quod augustum, ac vene-

venerabile nomen Tuum prima fronte legentibus occurreret, ut innotesceret, ea omnia, quæ à me referuntur, ad TE unum pertinere, satis superque videbatur: Verùm cùm facilè ab omnibus existimari posset, quod Ipse hanc Apotheosim Præsentiæ tantùm majestate, ac Pontificii auctoritate perfeceris, palàm fieri aliquo testimonio oportebat, grande hoc opus, & supra rerum humanarum fastigium sublime, ac planè mirabile non modò a TE fuisse absolutum, sed quæcumque præmitti solent in Sacrorum Rituum Congregatione totiès habita coram TE, & Decretorum formam, ac penè verba ipsa Tua vigilantia, ac studio fuisse elaborata. Quam ego rei veritatem hac Epistola pervulgatam volui. Cæterùm, candidè, ac sincerè fateri cogor nulli magis, quàm Tibi consecrandum fuisse idem opusculum, utpote qui præ reliquis omnibus propiùs accedis heroicis virtutibus Illorum, quos in Sanctorum albo retulisti; Eos ego enixis precibus exorare non desinam, ut in Christianæ Reipublicæ ornamen-

men-

mentum, & commodum, Sanctitati Tuæ à bonorum omnium largitore Domino, cujus eximiè vices geris, incolumitatem, & felicissimam annorum seriem impetrare velint.

ELENCHUS
CONTENTORUM
In hoc Volumine.

Acta



ACTA CANONIZATIONIS SANCTORUM

PII PAPÆ V, ANDREÆ AVELLINI, FELICIS A CANTALICIO, ET CATHARINÆ DE BONONIA.



PRIMÆ Sedis, & ſupernarum Clavium Poteſtas, quam Beatus Petrus Apoſtolorum Princeps ab Unigenito DEI Filio JESU Chriſto Domino noſtro accepit, continentique derivatione in reliquos Romanos Pontifices propagavit, ita militantem in terris Eccleſiam ligandi, atque ſolvendi jure gubernat; ut regnantibus etiam in triumphanti, inque illâ viſione pacis magnâ nimis mercede gaudentibus deferendos honores ſuo judicio præſcribat, atque decernat; Quare cùm nunquam abbreviata ſit manus Domini, nec ullo unquam tempore in Catholica Religione defecerint heroicarum virtutum exempla, miraculis etiam in vitâ, & poſt obitum confirmata, in more fuit apud Romanos Pontifices, diligenti priùs, diuturnâque multorum annorum adhibitâ diſcuſſione, atque invocato in primis Spiritûs Sancti lumine, quaſi de modio ſubtractos ſupra Eccleſiæ Candelabrum conſtituere, ac ſolenni Ritu Sanctorum faſtis inſcribere alios, atque alios virtutibus, & miraculis illuſtres viros, deque illorum verâ, & legitimâ Sanctitate publicum prodere teſtimonium. Licèt enim nec tantâ celebritate, nec tam maturo examine primis Eccleſiæ temporibus eâ in re proceſſerit Apoſtolica Sedes, graviſſimo tamen ſemper, certiſſimoque judicio, ut ſatìs conſtat, nec nutante unquam eâ Petrâ, ſupra quam fundata eſt, eos tantùm Sanctos, ac Martyres appellare conſuevit, de quorum virtute, atque certamine, tum ipſa rerum geſtarum fides, tum ſuperveniens miraculorum auctoritas, tum denique Pontificio Solio aſſiſtens Divina Sapientia, dubitare non ſineret; nec lætiores alias, aut magis feſtas, [1] quàm Natales Martyrum dies habuit, indictiſque ad eorum Sepulchra ſtationibus, debitum Sanctitati honorem tribuendum curavit: ut, quemadmodum [2] Beatus Jo. Chryſoſtomus ſapienter advertit, Fideles indè præclarè cognoſcerent quanta eos gloria maneret in Cœlis, quorum Natalitia taliter celebrarentur in terris; & quorum merita recolerent, eorum etiam glorioſa facta imitanda ſibi proponerent.

Et ſanè jam indè à naſcentis Eccleſiæ pri-

[1] *Euſeb. lib.4. Hiſtor. cap.15. & Gregor. Nyſſ. in vit. Taumaturg.* [2] *Serm. 1. de Martyr. tom.3.*

primordiis S. Clemens Petri Discipulus, qui quartus ab eo in Romana Cathedra sedit, ut à falsis veri Martyres internoscerentur, [1] septem Notarios creatos in septem Urbis Regiones ad Martyrum gesta conscribenda distribuit. Decretum innovavit [2] Anterus, & eorum acta, quàm diligentissimè conquirenda, & conscripta in Tabulario Ecclesiæ reponenda edixit. Fabianus [3] septem Notariis totidem Subdiaconos, quorum testimonio rerum gestarum veritas magìs testata fieret, adjunxit. Felix ultra progressus, quem deinceps, & ejus Successores sunt imitati, [4] constituit primò, seu veriùs publico Edicto confirmavit, & ubique locorum promulgavit singulis quibusque annis, & statis diebus Sacrificia in eorundem Martyrum memoriam celebrari. Procedente autem tempore, quod adhuc oriens Ecclesia Sanctis Martyribus præstare consuevit, hoc ipsum Confessoribus cœpit exhibere, diverso tamen Ritu; nam primis illis temporibus, quo quisque die ex hac ærumnosâ ad beatam illam, cœlestemque vitam migrasset, adnotabat, ut inter memorias Martyrum, commemorationes etiam ipsorum celebraret, cultumque iis tribuebat quotannis, ferias nempe agens, & solennes conventus circa eorum lipsana; interdum etiam in eorum honorem Templa decernens. Tum eos Sanctis adnumerabat Confessoribus eo ritu, qui tunc erat in usu, scilicet, vel indulgente Apostolicâ Sede id postulantibus, [5] ut supra corpus defuncti Altare construeretur, vel festum indicente peculiari promulgatâ Constitutione, quâ Natalis eorum dies designaretur, [6] quemadmodum in Canonizatione Sancti Petri Anagniæ Episcopi, vel etiam solâ Summi Pontificis pronunciatione subsequentibus Cantu hymni: *Te Deum laudamus*: elatione Corporis Canonizati: & Indulgentiarum publicatione, sicut in Canonizatione Beati Svviberti, Carolo Magno rogante, Werdæ à Leone III. tunc primum majori cùm solennitate peractâ contigisse [7] Surius, Cardd. Baronius, & Bellarminus, aliique non obscuri nominis Scriptores, etsi aliis aliter visum sit, memoriæ prodiderunt; Quem Ritum [8] in Canonizatione S. Petri Martyris auxit Innocentius IV. mirabili cereorum ardentium numero, & eximio Sacrarum Vestium apparatu; atque ita Sedes Apostolica à primis usque temporibus Martyrum, aliorumque præstantium virorum Sanctitatem Universæ Catholicæ Ecclesiæ colendam proposuit: Verùm succedentibus seculis alio, atque alio ritu celebravit. Constans tamen fuit: in pernecessaria, & diligentissima etiam de Martyribus perquisitione, omni solennitate investigando super Sanctitate morum, & veritate signorum, adhibitâ tum ad hominum fraudibus, dolisque occurrendum, tum ad assimulatam Sanctitatem detegendam in imperitâ multitudine, quæ facilè falli, ac decipi potest. Quapropter Spiritu Sancto Auctore, ut Cultus Dei servis adjudicaretur, & certa, explorataque veritas de eorum gloriâ pateret Fidelibus, mos, ritusque solennis invaluit canonizandi Sanctos statis Ceremoniis, quæ in præsenti inviolatè servantur juxta Rituales libros, & Summorum Pontificum Decreta, [9] quæ non illico, sed morâ interpositâ, maturâque adhibitâ deliberatione tantam actionem perfici jubent. Quanti autem momenti negotium sit Sanctorum Canonizatio, ex eo clarè dignoscitur, quod nemini, etsi Patriarchæ, vel Primati, vel Metropolitano, Episcopove, sed uni dumtaxat Romano Pontifici, ut initio memoravimus, permittatur, qui summam, divinamque regendæ, & gubernandæ Ecclesiæ obtinet potestatem. Ille enim, & Christi Vicarius, neque fallere, neque falli potest, quia non prudentiæ suæ, quantumvis maximæ, innititur, sed regitur Providentia Dei, qui Ecclesiam Spiritus sui lumine illustrat, ac dirigit, nè erret, sicut promisit iis verbis: *Spiritus Paraclytus, quem mittet Pater in nomine meo, docebit vos omnem veritatem.*

Tantæ igitur promissionis argumento, Sanctissimus D. N. CLEMENS XI. (quem triduo reluctantem unanimis, & propositi tenax Electorum consensus traxerat ad Supremum Apostolicæ Majestatis fastigium, nec nisi lacrymis perfusum, animoque deficientem, etsi rationibus victum, acquiescere universus propemodum Christianus Orbis mirabundus inspexit) ad uberrimos pietatis fructus capessendos, quâ est, summâ charitate, singularique sapientiâ præditus, solenne Canonizationis opus ab ipso sui Pontificatus limine pertractatum absolvere desiderio desideravit.

In eo tunc statu versabantur Causæ Canoni-

---

[1] *Anast. Bibl. in Vit. S. Clem. Luitpr. in ejusd. vit.* [2] *Anast. in Vit. S. Anter. Luitpr. in ejusd. vit.* [3] *Iidem in Vit. S. Fab.* [4] *Epist. 2. ad Episc. Galliæ, ac Anast. in Vit. S. Felic. primi.* [5] *Card. Petr. Damian. in Vit. S. Romualdi cap. 72., & in Epist. 29. ad Henricum Archiep. Ravennaten.* [6] *Ex libris Apostolicis Pasch. II. dat. Signiæ 2. non. Junii an.* 1110. [7] *Sur. die prima Mart. tom. 2.* [8] *Lentin. Patriarch. Hierosolym. in Canoniz. S. Petr. Martyr. relat. à Sur. die 29. Aprilis tom. 2. cir. fin.* [9] *Decret. Urban. VIII. super Canoniz. & Beatif. Sanctorum vulgat. typ. R. C. A. de ann.* 1642.

nonizationis Beatorum Pii V. Summi Pontificis, Andreæ Avellini, Felicis à Cantalicio, & Catharinæ de Bononiâ Sanctitatis famâ, & miraculorum laude clarorum, ut illorum Acta post indultam à Sede Apostolicâ venerationem rite, & ordine confecta, ac in Sacrorum Rituum Congregationem delata, reassumptivis earundem commissionibus jam signatis inibi propediem expendenda forent. Non deerant ea, quæ à Decretis fel. record. Urbani Octavi, & Innocentii XI. Summ. Pontif. requiruntur, Principum preces, Populorum devotio, supplicationesque: Itaque religiosissimus Pontifex propositâ sibi tantùm Dei gloria, afflictæque Ecclesiæ consolatione, coacta coram se generali SS. Rituum Congregatione pridie Kal. Junii 1701. grande opus aggressus, voluit in ea duas expendi Causas Canonizationis, unam scilicet B. Catharinæ de Bononia Ordinis S. Claræ Eminentissimo, & Reverendissimo Gaspare de Carpineo S. R. E. Episcopo Cardinale Sabinen. Relatore; Alteram B. Andreæ Avellini Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, Eminentissimo, & Reverendissimo Benedicto Sanctæ Mariæ in Vialata S. R. E. Diacono Cardinali Pamphilio itidem Relatore. Audivit Consultorum suffragia, [1] quæ à recentioribus incipiendo, & ad antiquiores gradatim ascendendo feruntur, atque his è Congregationis Aula ad [2] præscriptum Decreti Urbani egressis, Eminentissimorum Patrum eidem Congregationi adscriptorum, ab Antiquiore descendendo, sententias excepit super dubio in unaquaque Causa proposito: An, & de quibus miraculis constaret post indultam à Sede Apostolica prædictis Beatis venerationem. Expensis ita sejunctim Causis Sanctissimus Pater, quid materiæ gravitas, dignitasque exposceret, maturè perpendens, Miraculorum approbationem distulit, ut priùs Divini luminis opem de more imploraret.

Dilata per biennium, & ultra Miraculorum approbatione, iteratis per Sanctitatem Suam ad Deum precibus, nonis Decembris anni 1703., & Octavo Kal. Junii anni sequentis 1704. idem Sanctissimus D. Noster in Causa B. Catharinæ de Bononia, ex octo in discussionem adductis, duo miracula: in Causa B. Andreæ Avellini, ex octo pariter examinatis, tria approbavit, quæ ex industria describere supersedeo, cùm in Decretis Canonizationis inferiùs exarandis, sedulò notata reperiantur.

Tali miraculorum approbationis rescripto suffulti Causarum Postulatores perpetuò instabant pro Canonizationis Decreto; verùm, quo maturiùs res ageretur, erant audiendæ DD. Cardinalium, & Consultorum Sententiæ super dubio: An tutò procedi posse [3] videretur ad solennem eorundem B. Catharinæ de Bononia, & B. Andreæ Avellini Canonizationem.

Quapropter post lapsum plurium mensium habita fuit in Palatio Quirinali decimoquarto Kal. Decembris anni præd. 1704. coram Sanctissimo Generalis SS. Rituum Congregatio, in qua post peractam de more à Sanctitate Sua Spiritus Sancti invocationem, stantibus interim DD. Cardinalibus: Officialibus verò ejusdem Congregationis in genua provolutis, jussu ejusdem Sanctissimi D. Nostri, Eminentissimus, & Reverendissimus de Carpineo Relator Causæ B. Catharinæ, assurgens priùs detecto capite, & ad Papam se convertens demissè, deinde sedens, hanc de ejusdem Beatæ, Vita, Virtutibus, & Miraculis narrationem exposuit.

BEATISSIME PATER.

B. *Catharina Virgo honestissimis Bononiæ orta Parentibus ab ipso ineuntis ætatis flore clarissima edidit indicia sanctimoniæ, quippe nihil ipsi antiquius esse videbatur, quàm virtutum omnium specimen præbere, præcipuè verò admirabilis planè erga Pauperes charitatis; vix enim firmo penè gradu poterat incedere, cum egenos sublevare, ipsisque alacri animo stipem erogare maximè lætabatur. Cùm autem legere primùm cœpit, & latinæ linguæ rudimenta feliciter percipere, tunc enim verò & sacris literis incumbere, piorumque librorum lectioni totos ipsos dies suaviter impendere. Indè cùm undecimum jam attigisset annum missa Ferrariam fuit à Parentibus, ut cùm Margarita Nicolai Marchionis Estensis Filia in Aula versaretur, ubi tam præclara, & tam singularia probitatis, modestiæ, virtutumque omnium dedit argumenta, ut brevi omnium in se oculos facilè converterit. Sed Aulæ, mundique ipsius jam pertæsa post* trien-

[1] Consultores in Congregationibus coram Sanctissimo unus post alium à Juniore inchoando, post habitam genuflexionem, stantes exponant Sententias suas. *Ex Regest. Decretor. Sac. Rit. Congregationis sub die 2. Octobris 1655.*

[2] Consultores votis patefactis à Congregatione recedant, adhoc ut Cardinales possint liberiùs examinare merita Causæ. *Ex Decretis retro citatis fol. mihi 22. §. In causis.*

[3] Decreta super hac materia extendenda per Secretarium Sac. Cong. concipiantur semper nomine Congregationis per verbum [*videtur*] vel simile &c. ad præscriptum fel. rec. Urbani VIII. in *Decretis superiùs citatis fol. mihi 61. §. Decreta.*

triennium in disciplinam cujusdam piæ Matronæ se contulit, quæ plures Domi Virgines veluti in sacro quodam Cœnobio ad omnem perfectionem instruere consueverat, & paucis interjectis annis felicissimo eventu factum est, ut religiosus ille Virginum cœtus sub constitutionibus S. Claræ inter sacras Monialium Familias ascriberetur. Ubi verò Catharina novo Instituto nomen dedit, tanto mentis conatu perfectionis iter arripuit, ut nullus omnino locus sit ad dubitandum quin virtutum omnium metas singulari quadam, & heroica animi contentione attigerit. Et primo quidem Deo nuncupata religiosæ vitæ vota egregiè adeò, sanctèque servavit, ut quamvis diurnis, iisque difficillimis communis hostis suggestionibus vexaretur, non modò nunquam succubuerit, verùm etiam præclaras de iis retulerit victorias, quin pulcherrimum quoque ad retundenda prava maligni spiritus incitamenta volumen scripsit, sed propter insignem, quà pollebat animi demissionem flammis comburendum curavit, quod tamen iterum rescribere ad Posterorum utilitatem cœlesti jussa fuit oraculo. Præ cæteris verò divino amore maximè æstuabat, cujus rei luculentissimum fuit argumentum, quod nisi de Deo, aut cum Deo loqui omnino recusaret; hinc ardor ille orandi, quo ita capiebatur, ut pluribus quotidie horis suavissimo illi exercitio vacaverit, in quo dici vix potest quanta animi dulcedine perfrueretur, præsertim cùm non semel Cœlestium Civium conversatione dignata fuerit, atque adeò ipsius Virginis Deiparæ, quæ unà cum Puero Jesu orantem invisit. Percrebuit interim in dies apud exteras quoque Urbes sanctissimæ vitæ opinio, quam ducebat Catharina, unde novum Institutum plures expetière, sed Bononia in primis, cui, annuente Summo Pontifice, ipsam B. Virginem habere contigit, quæ clarissimum ea in Urbe cœnobium extruxit; sed ut erat eximiæ animi demissionis, ipsius regimen iterum atque iterum, sicut etiam fecerat Ferrariæ constantissimo animo repudiavit, quippe hoc unum ei erat in votis, ut omnibus contemptui esset hinc viliores adhibebat vestes, vilioribus sese exercebat officiis, præcipuè verò in ægrotis Sororibus inserviendis non minùs assiduè quàm diligenter operam dabat, quo in munere haud facilè dixerim, an charitate magis enituerit, quàm summâ sui ipsius despicientiâ. Verùm quamvis invita onus potiùs, quàm honorem regiminis subire coacta, mirum planè est, quanta fuerit ejus in conficiendis negotiis facilitas, quanta domesticæ disciplinæ vigilantia, quanta demum in rebus omnibus prudentia; quâ ita excelluit, ut nata potiùs ad ejusmodi munus, quàm edocta videretur. Sed ingravescente jam ætate, confectisque penè viribus præ assiduis vigiliis, jejuniis, corporisque omnimodâ maceratione, ubi sororibus pedes lavit, ut moris est in majori hebdomada, acerbissimis correpta doloribus mira planè patientiæ, & constantiæ præstitit exempla, cumque supremum, quem diu optaverat sibi diem imminere cognosceret, rebus omnibus Religionis feliciter confectis, extremisque Ecclesiæ Sacramentis ritè munita inter dulcissima Christi, & Virginis Deiparæ nomina, summo bonorum omnium dolore, & desiderio suavissimè expiravit Anno Dominicæ Incarnationis 1463. ætatis verò suæ 50.

Plura eaque insignia ejus mortem consecuta sunt miracula, unde cùm Clemens VII. felicis recordat. non multos post anno. Bononiæ teneretur famâ Sanctitatis clarissimæ Virginis, & prodigiis permotus, ipsam Beatæ nomine, summa omnium gratulatione illustravit. Idemmet Pontifex facultatem concessit, ut Sanctimoniales laudati Monasterii quotannis in honorem B. Catharinæ ipso ejus mortuali die Horas canonicas persolverent, & ut una caneretur Missa propria in Ecclesiis præfatarum Monialium. Clemens verò VIII. nomen ejusdem Beatæ Martyrologio Romano apposuit. Deinde ab Innocentio XI. editum fuit decretum, quo confirmavit id, quod censuit sacra Rituum Congregatio; constare nimirum de virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus in gradu heroico.

Examinata fuerunt postmodum miracula, & ex octo in discussionem adductis Sanctitas Vestra sextum, & octavum dignata est approbare. Restat modò Beatissime Pater ut Sanctitas Vestra ex æquo dignetur exquirere vota: an tutò procedi posse videatur ad solemnem ejusdem Beatæ Canonizationem; & eandem Virginem cum Deo in Cœlis æternùm regnantem definire.

Narratione absolutâ DD. Consultores ad suffragia vocati, Vitæ Sanctitatem, excellentiam Virtutum, & Signorum gloriam amplissimis laudibus extollentes, uno consensu ad solennem Canonizationis actum posse procedi, responderunt. His deinde Aulâ egressis, DD. Cardinales concordibus suffragiis in eandem prorsus affirmativam sententiam iverunt.

Agendum erat postmodum de B. Andrea Avellino, quare accitis iterum Consultoribus, qui præ foribus, juxta [1] Urbani

[1] *Ex præfat. Decretis dicto fol. 22. §. Consultores, ac ex Regest. Decretorum Sac. Rit. Congreg. sub die 13. Jan. 1631*

bani VIII. fel. record. Decretum, existebant, Eminentissimus Cardinalis Pamphilius ejusdem Beati Causæ Relator in hunc, qui sequitur, modum est prosecutus.

BEATISSIME PATER.

Beatus Andreas Castro novo Lucaniæ natus, ab infantia signa Sanctitatis præbuit, ea siquidem in ætate semper [1] Deum timuit, & mandata ejus servavit. Adolescens in servanda Castitate plurimùm enituit; impudicarum quippe Mulierum astus, & ausus non semel elusit, & compressit, & ad Apostoli præceptum, [2] se ipsum castum custodivit. Neapoli Clericorum Regularium Theatinorum Congregationem ingressus, Virtutibus heroicis, supernisque etiam charismatibus continuò effulsit. Humilitate excelluit, cùm se omnium minimum profiteretur, eo quia [3] abjectus esse in Domo Dei sui elegerit. Constanti Pœnitentiæ asperitate eminens sedulò [4] castigavit corpus suum, & in servitutem jugiter redegit, cùm ipsi foret in votis, in cinere, & cilicio velle se mori.

Sed præ cæteris, iisque heroicis virtutibus, quæ illum Christianæ perfectionis exemplar effomavere, sublimi, & in Deum, & in Proximum charitate enituit; [5] Votum siquidem vovit Domino, quod sublatâ Cruce, secutus Christum, abnegaret semetipsum, adeout semper in lege Domini fuerit voluntas ejus, & in voluntate sua deduxerit eum Dominus: & planè fuerit vir voluntatis Dei.

Ex quo Dominum Deum suum [6] ex toto corde dilexit, & Proximum suum sicuti se ipsum adamavit. Quippe totus spirituali, ac corporali Proximorum saluti, ac solamini mancipatus, adeò hujus virtutis ardore efferbuit, ut [7] aquæ multæ exundantium imbrium, nedum ipsius valuerint extinguere Charitatem, quin & vel minimum lædere ausæ non fuerint.

Tandem octogesimo octavo ætatis anno, dum Altare, Sacra facturus, conscenderet, & ipse Charitatis Victima, quam jamdudum Amor Sacerdos immolarat, Apoplectico morbo correptus, indeque Sacramentis præmunitus, maxima cum fama Sanctitatis, Miraculisque clarus, in eadem Neapolis Civitate Anno 1608. feliciter obdormivit in Domino.

Super hisce propterea Virtutibus, & Miraculis Annis 1613. & 1621., constructis, authoritate ordinaria, & Apostolica, Processibus, illisque discussis, & approbatis, felicis recordationis Urbanus VIII., Sanctitatis Vestræ Prædecessor, Anno 1625., prævio Voto hujus Sacræ Congregationis, indulsit, eundem Servum Dei, nuncupari posse Beatum, ac de illo Missam, & Officium de Communi Confessoris non Pontificis ab omnibus Clericis Regularibus dictæ Congregationis recitari.

Percrevit subinde erga eundem Beatum continua veneratio, Populorumque devotio, adeout quotidie ad illius Sepulchrum tabellæ votivæ, ac oblationes multiplicatæ fuerint. Civitates Neapolis, Capuæ, Consentiæ, Caprearum, Bitunti, Vici, & Anglonæ, nec non alia Loca, in Patronum, & Protectorem, elegerint, eique annua tributa conferre consueverint, atque Altissimus eodem tempore Devotionem, ac Venerationem hujusmodi novis, & pluribus augere Miraculis fuerit dignatus.

Hinc, reassumptâ Causâ Canonizationis per Commissionem signatam manu fel. record. Innocentii X. diebus 24. Augusti, & 27. Septembris Anni 1652., declaratum fuit, constare de Cultus percrebescentia, & de casu excepto à Decretis Sanctissimæ Inquisitionis.

Et die 20. Junii Anni 1672., Sanctæ memoriæ Clemens X., de Voto hujus Sacræ Congregationis, annuit, eundem Beatum in Martyrologio Romano describi posse. Similique modo sub die 3. Aprilis 1677. approbatæ fuerunt de Beato Lectiones propriæ pro secundo Nocturno.

Sub diebus autem 10. & 22. Julii dicti Anni Literæ remissoriales ad probandum, quæ supervenisse narratum fuerat, concessæ fuerunt.

Peractisque super iis, per Judices ab hac Sacra Congregatione subdelegatos, duobus Processibus Neapoli, & Anglonæ, ac illorum validitate approbatâ, sub diebus 13. & 29. Martii Anni 1688., desumpta sunt ex Processu Anglonen. octo nova Miracula.

Quibus discussis in Congregatione præparatoria die 29. Maji 1696., & in altera habita die 30. Maji Anni 1701. coram Sanctitate Vestra, placuit eidem, ad meam relationem, tria ex illis, tamquam tertii generis, approbare. Tertium nempe sanationis Jacobi Jovii ab attractione, & exiccatione medietatis Corporis deorsum. Quintum instantaneæ sanationis Joannis Baptistæ Corizzo à profundo vulnere Capitis, absque ullo Cicatricis signo, Et sextum instantaneæ sanationis Pueri Scipionis Arlei à gravissima Frontis contusione, ac Vertebrarum Colli luxatione.

Superest nunc, ut Sanctitas Vestra exquirere Vota dignetur: Utrùm tutò ad solennem ejusdem Beati Canonizationem devenire possit, eum-

(1) *Tobiæ* 2. (2) 1. *Timoth.* 5. (3) *Psal.* 83. (4) 2. *Cor.* 9. *Matth.* 11. (5) *Psal.* 1. *Psal.* 72. *Isaiæ* 44. (6) *Luc.* 10. (7) *Cantic.* 8.

eumque Sanctum cum Deo regnantem definire, atque universali Ecclesiæ colendum, & venerandum proponere.

Hac etiam relatione finitâ, Sanctissimus vota tum Consultorum, tum DD. Cardinalium requisivit; qui omnes maximis commendantes præconiis egregia Beati viri merita unanimiter (suprascripto ordine servato) suffragati sunt, Sanctitatem Suam ad ejusdem Beati Andreæ solennem Canonizationem, juxta S. R. E. Ritum tutò posse devenire.

Exceperat non sinè lachrymis Sanctissimus Pontifex utramque luculentissimam narrationem officiis Pietatis, & exemplis Sanctitatis refertam: exceperat, & secunda suffragia intimo animi sui gaudio. Veruntamen cum ex omnibus, quæ ad Supremum Pontificiæ Auctoritatis Thronum deferuntur, gravissima sit causa, in qua de Sanctitate Viri, etsi laudatissimi, in Albo Sanctorum describendi, decernendum est, maturâ cum deliberatione censuit procedendum; Interea instandum dixit apud Patrem luminum, ut in re tanti momenti Sedium suarum assistricem Sapientiam demittere dignaretur.

Hortatus est itaque fratres ad conjungendas Orationes, àquibus ipse nunquam vacavit, pia etiam præcordia continere non valens, quin sepè in lacrymas difflueret, nec nisi elapso trium jam annorum spatio iteratis, & utrique Clero indictis ad Deum precibus, pluries auditis Secretario, & Fidei Promotore, ac Sacro peracto, quod semper in arduis, & præcipuè gravissimis, præmittere solet, tandem (Hierarchiæ ordine servato) infrascripta Congregationis Decreta evulgari mandavit.

NEAPOLITANA

Canonizationis Beati Andreæ Avellini Ordinis Theatinorum.

SUper fama Sanctitatis, & Miraculorum, quibus B. Andreas Avellinus claruit, iuxta præscripta à Sacra Rituum Congregatione, Processibus efformatis, habitisque relationibus trium Sacræ Rotæ Auditorum, & ab ipsa Sacra Rituum Congregatione heroicis Virtutibus, ac Miraculis ejusdem Beati iterum discussis, probatisque, die 31 Augusti Anni 1624. emanavit Decretum, posse ad solennem Beatificationem, & Canonizationem illius, annuente Sanctissimo, quandocumque deveniri. Proindeque san. mem. Urbanus VIII. per literas in forma Brevis præfato Dei Servo Avellino Beatificationem indulsit.

Superventis postmodum Decretis generalibus ejusdem san. mem. Urbani Papæ VIII. editis super non cultu, obtentâque anno 1652. Commissione reassumptionis Causæ in statu, & terminis ab eadem Sacra Rituum Congregatione declaratum fuit, constare de cultu, & casu excepto.

Percrebescente verò in dies famâ Sanctitatis, & Miraculorum; obtentis Literis remissorialibus, & compulsorialibus, & in earum executionem constructis novis Processibus in Civitatibus Neapolis, & Anglonæ super iis, quæ supervenerunt post indultam dicto Beato venerationem: discussâ post præviam dispensationem in Sacra Rituum Congregatione Ordinaria eorumdem Processuum validitate, de ea constare, dictum fuit: Et cùm expendenda superesset Processuum relevantia; proposito ab Eminentiss., & Reverendiss. D. Card. Pamphilio in Congregatione Sac. Rituum Generali habita coram Sanctissimo die 31. Maji 1701. dubio: An, & de quibus Miraculis constaret, post indultam prædicto Beato venerationem, Sanctissimus requisitis Consultorum, & Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium suffragiis; ex octo miraculis à Postulatoribus allatis, & in discussionem adductis die 25. Maji anni 1704. tria approbavit; nempe.

Tertium, Instantaneæ Sanationis Jacobi Jovii ab attractione, & exsiccatione medietatis Corporis deorsum.

Quartum, Sanationis instantaneæ Joannis Baptistæ Corizzo à profundo vulnere capitis absque ullo signo cicatricis, &

Sextum, Instantaneæ Sanationis Pueri Scipionis Arlei à gravissima frontis contusione, ac Vertebrarum colli luxatione. Et propterea accitis iterum die 18 Novembris anni 1704. Consultoribus, & præhabitâ per Eminentissimum, & Reverendissimum D. Card. Pamphilium juxta præscriptum Decretorum plenâ, & distinctâ relatione de omnibus, quæ in Processibus, & aliis scripturis, continentur; de Sanctitatis fama, de heroicis hujus Beati Virtutibus, Miraculisque ab eo patratis, & de iis, quæ post indultam Venerationem supervenerunt, Sacra Congregatio posse, annuente Sanctissimo, juxta Ritum S. Romanæ Ecclesiæ, & SS. Canonum dispositionem, ad solennem ejusdem Beati Canonizationem quandocumque procedi unanimi consensu declaravit.

Quapropter, ut Beati ope Theatinorum Ordo, qui eximiæ illius Virtutis fulgore coruscat, imminentibus præcipuè generalibus Comitiis, ejusdem proficiat exemplo: Ut cæteris omnibus Religiosis Ordinibus Regularis Obser-

van-

vantia, Animarum zelus, Deique amor magis augeatur, ut perturbatis hisce temporibus inter sævissimos bellorum fluctus, & luctuosas errorum undequaque ingruentium tenebras, Pax tandem, Cœlestisque Numinis lux universis effulgeat, SS. D. N. CLEMENS Papa XI. eni xè antea fusis, & indictis ad Deum precibus pluries Secretario, & Promotore Fidei auditis, præsens Canonizationis Decretum expediri mandavit.

Hac die 12. Mensis Maji 1707.

G. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Congreg. Secr.

BONONIEN.

Canonizationis Beatæ Catharinæ de Bononia Monialis Professæ Ordinis S. Claræ Monasterii SS. Corporis Christi Civitatis Bononiæ.

Cum in Congregatione generali coram Sanctissimo habita die 31. Maji anni 1701. discussum fuisset dubium: An, & de quibus Miraculis constaret post indultam Beatæ Catharinæ de Bononia Venerationem: Cumque SS. D. N. exquisitis Consultorum, & Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Sac. Rituum Congregationi Præpositorum Cardinalium suffragiis, die 5. mensis Decembris anni 1703. ex octo Miraculis à Postulatoribus allatis, & in discussionem adductis duo approbaverit; nempe

Sextum, Instantaneæ Sanationis Sororis Justinæ de Calcinis Monialis Monasterii Sanctissimi Corporis Christi, à luxatione manus à novem mensibus inflexibilis, & à Medicis derelictæ.

Et octavum, Subitæ Sanationis Sororis Mariæ Gertrudis de Ghirardellis Monialis ejusdem Monasterii SS. Corporis Christi à gravissima infirmitate febris cum delirio, & lethargo ad dies ferè sexaginta protractâ, & à Medicis deploratâ.

Tandem die 18. Novembris 1704. denuò accitis Consultoribus, & præhabitâ per Eminentissimum, & Reverendissimum D. Card. de Carpineo ad præscriptum Decretorum plenâ, ac distinctâ relatione omnium in causa gestorum. Sac. Congregatio unanimi consensu censuit posse, annuente Sanctissimo, juxta Rituum S. R. E., & Sacrorum Canonum dispositionem ad solennem ejusdem Beatæ Canonizationem quandocumque deveniri.

Proindeque SS. D. N. PP. CLEMENS XI. ut Christi Ecclesia Agni Sponsa novo decore induta in Cœlestis Regis oculis gratiam inveniat, & tamquam Civitas in Monte posita majoribus in dies irradiata fulgoribus semitas justorum dirigat, atque iis, qui in tenebris ambulant, lumen veritatis, & viam salutis clariùs ostendat, sæpius ad Deum fusis, & indictis precibus, & pluries Secretario, & Pro-Promotore Fidei auditis, præsens Canonizationis Decretum expediri, & publicari mandavit. Die 17 Maji Anni 1707.

G. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

Institerant jamdiu apud SS. Rit. Congregationem Postulatores Causæ B. Felicis à Cantalicio Laici professi Ordinis Min. Sancti Francisci Capuccinorum, cui usque de anno 1625. ab Urbano VIII. Summo Pontifice Beati nomine insigniri, fuerat indultum: Et jam Innocentius fel. record. Papa X. unum ex septem tunc propositis Miraculis, quæ post evulgatam Beatificationem supervenerunt, in Decreto Canonizationis proximè describendo, enarratum approbaverat, & delecto Eminentissimo, & Reverendissimo S. R. E. Cardinale Colloredo Causæ Relatore, statas Congregationes super recentiora ab iisdem Postulatoribus deducta miracula, probatâque Processuum validitate, interventu Consultorum, gravitate, & Doctrinâ præcellentium fieri curaverant, nempe Antipræparatoriam, ut ajunt, atque Præparatoriam, quæ [1] in quacunque Canonizationis Causa rite de more præmittuntur, ad faciliorem in generali Congregatione coram Sanctitate Sua capiendam deliberationem.

Quamobrem pridie Kal. Februarii 1708. Sanctissimus Pater coram se habuit in Apostolico Palatio Vaticano generalem SS. Rit. Congregationem super Dubio: An, & de quibus Miraculis Intercessione B. Felicis à Deo patratis ex noviter deductis, constare videretur, & horâ priùs indictâ, in Aulam Congregationis progrediens, conscendit Sedem, atque invocato Divini Numinis præsidio, sententias Consultorum exquisivit, quibus auditis, pulsato leniter tintinabulo, & signo Crucis impertito, eos dimisit. Subinde DD. Cardinales, ordine quisque suo, signa quàm diligentissimè expendendo, suffragia tulerunt. Potuisset equidem Sanctissimus Pontifex re usque adeò exploratâ, Fratrum sequi Consilia: Verùm censuit Deum, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, priùs exorandum, idque

[1] *Ut colligitur ex iisdem Decretis Urb. dicto fol. 22. §. Ad hoc.*

idque DD. Cardinalibus enixè suadens, in longius distulit deliberationis momentum. Res prolata ultra tres menses, tandem eò perducta, ut decimoseptimo Kal. Junii 1708. in Pervigilio Dominicæ Ascensionis eo anno occurrentis in die Natali B. Felicis, Sanctitas Sua Divino afflata Spiritu, alterum Miraculum, primum scilicet in ordine ex propositis approbaverit, Decretumque confici mandaverit.

Jam hisce duobus Miraculis approbatis, ad ulteriora progrediendum erat in Causa, cùm factum est, ut ingruentibus ubique malis, aliis, atque aliis Ecclesiæ Dei, Sedique Apostolicæ imminentibus, vix, vel potiùs, nè vix quidem aliquando potuerit respirare Optimus Pontifex, in illis præcavendis, propulsandisque distentissimus; Interea verò, ineunte scilicet anno 1709. diem suum clausit Eminentissimus Causæ Relator Cardinalis Colloredus animi candore, morum suavitate, humilitate, & sapientiâ satìs clarus; Qua de re in ministerium Relatoris Causæ, fuit ei subrogatus Eminentissimus, & Reverendissimus Franciscus S.R.E. Diaconus S. Angeli in Foro Piscium Cardinalis Barberinus.

Turbulentissimâ tamen temporum ratione parumper sedatâ Sanctissimus Pater generalem SS. Rit. Congregationem coram se pro xv. Kal. Aprilis ejusdem anni 1709. mandavit indici super Dubio: An tutò ad solennem B. Felicis à Cantalicio Canonizationem posse procedi videretur. Die dictâ convenerunt omnes in consuetam Aulam Consistorii secreti Palatii Vaticani, ubi clausisForibus, invocato Divini Luminis præsidio, Sanctitatis Suæ jussu Eminentissimus Barberinus subsequentem disertissimam ex scripto prosequutus est narrationem de Vita, Rebus gestis, & Signis B. Felicis.

Cantalicium, Diœcesis Civitatis Ducalis Oppidum, Patria Felici fuit, à quo etiam agnomen desumpsit. Juventutem suam in seculo transegit, sed adeò cautè; & inculpabiliter, ut secularis libertas ulli eidem offendiculo non fuerit. Religioni Fratrum Minorum Capuccinorum in statu Laici anno 1543. nomen dedit, in qua quousque vixit, nempe per spatium supra quadraginta annorum quærendi per Urbem ostiariis eleemosynis diurnam operam navavit, tantâ patientiâ, modestiâ, & humilitate, ut non solùm Urbi, sed & Orbi exemplo fuerit. Nec minori Virtutum laude versatus est inter domesticos Cœnobii Parietes, nam studium Contemplationis, Obedientiæ, mortificationis, totiusque regularis observantiæ in eo excellens, & heroicum fuit, & ob id nedum dilectus Deo, sed & Hominibus, præsertim Magnatibus, & Sanctis, qui tunc temporis floruere, magni semper fuit habitus. Tandem senio, & meritis plenus obiit Romæ die 18. Maji 1587., eâ Sanctitatis, & Miraculorum famâ, ut fel. rec. Sixtus PP. V., Processus super eisdem confici, motu proprio mandaverit, Sacrumque Corpus veneratus publicè fuerit; Quod & Paulus V., & Gregorius XV. similiter præstiterunt.

Fabricatis itaque Processibus authoritate ordinariâ, aliisque subinde authoritate Apostolicâ, post introductionem Causæ, mediante commissione ejusdem Pauli V. manu signatâ: Cùm antequam Beati Viri Virtutes, & Miracula discuterentur, supervenisset Sanctissimæ Inquisitionis Decretum, sub die 23. Martii 1625. editum, san. mem. Urbanus VIII. Sanctitatis Vestræ Prædecessor, die 26. Aprilis declaravit, præsentem Causam in eo non comprehendi.

Hinc die 30. sequentis Augusti Sac. Rituum Congregatio, præviâ Auditorum Rotæ relatione, clar. mem. Cardinali Lenio proponente, respondit constare de Virtutibus in genere, & in specie: Ac die 13. Septembris ejusdem anni 1625., constare de quatuor Miraculis, & posse, si Sanctissimo visum fuisset, Beatum nuncupari.

Quibus permotus idem Urbanus VIII. per literas Apostolicas in forma Brevis expeditas die primâ Octobris anni præfati indulsit, ut bon. mem. Felix à Cantalicio Beatus nuncupari, ac de ipso Missa, & Officium de com. Conf. non Pontif. in certis quibusdam locis, celebrari licitè posset: Quod Indultum deinde fuit multipliciter extensum, & ampliatum, non solùm ab eodem Urbano sub diebus 9. Aprilis 1626., & 15. Martii 1628., ut in ejus Constitutionibus 52., & 99. pleniùs continetur; Verùm etiam à fel. rec. Alexandro PP. VII. sub die 16. Aprilis 1661.

Et quia in recentioribus Martyrologii Romani editionibus, nomen, & elogium B. Felicis, aliàs approbatum, & impressum, fuerat per incuriam prætermissum, Sac. Rituum Congregatio die 15. Decembris 1691., suo loco restitui, ac iterum publicari mandavit, annuente fel. rec. Innocentio PP. XII., Sanctitatis Vestræ Prædecessore.

Reassumptâ verò Causâ juxta dispositionem Decretorum generalium ipsius fel. rec. Urbani VIII. per commissionem à. san. mem. Innocentio PP. XI. die 13. Maji 1685. signatam, Sac. Rituum Congregatio eodem Pontifice approbante, sub die 9. sequentis Decembris, declaravit cultum B. Felici exhibitum fuisse, & exhi-

exhiberi ex Indultis Apostolicis; Ac propterea hujusmodi casum comprehendi inter exceptos in antedicto Decreto Sanctissimæ Inquisitionis.

Aliis postea constructis Processibus vigore Remissorialium die 26. Februarii 1647. concessarum; Prælaudatus Innocentius PP. X. die 8. Martii 1650. de Voto Sac. Rituum Congregationis rescripsit: Constare de continuatione Famæ Sanctitatis, Venerationis, Cultûs, & Devotionis Populorum: & in Congregatione habita super nonnullis Miraculis die 6. Februarii 1652. decrevit: Constare de tertio in ordine, nempe de genu illico sanato Fr. Carolo à Tuderto Laico Capuccino: posthabitis aliis sex in Congregatione ordinaria examinatis, & rejectis.

Cùmque percrebescentem in dies Populorum Devotionem, novis etiam Deus Miraculis comprobaverit; Ideoque super duobus ex novis extructo præteritis annis particulari Processu Romano, cujus validitas die 22. Januarii 1701. discussa, & admissa fuit; Post Congregationem Præparatoriam habitam die 17. Novembris 1705. hæc duo Miracula novissima; primum nempe Sanationis instantaneæ Leopoldi Francisci de Tozzis à Febri acuta, & maligna, cum Pulmonis inflammatione; Ac secundum Præservationis Angelæ Michelucciæ Puerulæ quadriennis à quacumque læsione, dum Rota Currûs super eam pertransierat, in alia Sac. Rituum Congregatione habita coram Sanctitate Vestra die 31. Januarii 1708. per clar. mem. Cardinalem Coloredum proposita, maturèque discussa fuerunt, atque Sanctitas Vestra suffragiis tam Consultorum Theologorum, & Prælatorum, quàm Eminentissimorum, & Reverendissimorum Cardinalium auditis, ad implorandum Divini Numinis opem, resolutionem distulit: Advocatis verò subinde præfatæ Sac. Rituum Congregationis Secretario, & Pro-Promotore Fidei, die 16. Maji ejusdem mox elapsi anni 1708., primum dumtaxat ex eis, illud scilicet Sanationis Instantaneæ dicti Leopoldi de Tozzis à Febri acuta, & maligna, cum Pulmonis inflammatione approbare dignata fuit.

Cùm autem remaneat nunc à Sanctitate Vestra deliberandum, quid ei placeat circa solennem ipsius B. Felicis Canonizationem: Ego per eandem Sanctitatem Vestram in locum prælibati cl. mem. Cardinalis Coloredi subrogatus in Relatorem, infrascriptum dubium cum Pro-Promotore Fidei concordatum subscripsi:

An tutò procedi posse videatur ad solennem ejusdem Beati Canonizationem.

Absolutâ Relatione, Sanctissimus Pater Consultorum suffragia requisivit, qui concordissimè posse procedi, responderunt. Tum DD. Cardinales, cùm illi discessissent ex Aula, sententias rogati, Canonizationi unanimi consensu suffragati sunt maxima devotionis significatione.

Hæc cùm libenti animo Sanctissimus Pontifex excepisset, gravissima, & pia simul oratione alloquutus est Cardinales, illibatam sanè Beati Felicis Vitam, Virtutes mirabiles, Signa mirabiliora, maturiùs nihilominus de re deliberandum asseverans, obsecrandumque unanimi supplicatione in primis Altissimum, è cujus vultu recta prodeunt judicia, ut ostenderet quid factu potissimùm opus esset, actionemque dirigeret omnium gravissimam, cum ad ipsius Gloriam, tum ad Apostolicæ Sedis amplitudinem.

Imminebant Ordinis Capuccinorum generalia Comitia, quæ quolibet sexto anno cogi solent, in Pervigilio scilicet annuæ celebritatis festi Adventûs Spiritûs Sancti, cùm piissimus Pontifex, volens Sac. huic Familiæ aliquod religiosum afferre solamen, ipsique, & aliis Exemplar proponere ad æmulanda Charismata meliora, impensè priùs effusis, & indictis, præsertim in Religiosorum Cœnobiis, ad Deum precibus, ac auditis Secretario, & Fidei Promotore viii. Idus Maji ejusdem anni 1709. sequens Canonizationis Decretum edi mandavit, quod nonnisi solenni cum cantu: *Te Deum*: tum Romæ, tum ubique gentium à Cœtu Capuccinorum in gratiarum actionem exceptum est.

ROMANA, SEU CIVITATIS DUCALIS

Canonizationis B. Felicis à Cantalicio Laici Professi Ordinis Capuccinorum.

Cum in Causa Beati Felicis à Cantalicio, referente bon. mem D. Cardinali Lenio, super Dubiis Virtutum, & Miraculorum à Sacrorum Rituum Congregatione resolutiones prodierint die 30. Augusti anni 1625. Constare de Virtutibus in genere, & specie: & die 13. Septembris ejusdem anni: De quatuor Miraculis; & posse Beatum nuncupari: Necnon san. mem. Urbanus Papa VIII. de consilio tunc existentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum, ut præfatus Felix à Cantalicio Beatus nuncupari posset, & valeret per literas Apostolicas in forma Brevis expeditas die prima Octobris dicti anni 1625. benignè indulserit; Hinc ad probandum non solùm ea, quæ postea evenerunt, verùm etiam, & quæ præcesserunt prædictam Beatificationem, constru-

ctis pluribus Processibus, nempe in Regno Siciliæ, in Civitatibus Placentina Provinciæ Bononien., Salernitana, Civitatis Ducalis, & præcipuè in Urbe coram Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali ejusdem Vicario, eisdemque super Dubio Miraculorum diligenter examinatis, ac discussis, san. mem. Innocentius Papa X. in Congregatione generali coram eo habita di 6. Februarii 1652. ex septem Miraculis tertium, nempe Instantaneæ Sanationis genu Fratris Caroli à Tuderto Laici Capuccini; Et Sanctissimus Dominus Noster CLEMENS Papa XI. ex duobus Miraculis in Congregatione generali pariter coram Sanctitate Sua habita die 31. Januarii 1708. Primum in ordine, nempe Instantaneæ Sanationis pueri Leopoldi Francisci de Tozzis à febri acuta, & maligna cum pulmonis inflammatione approbarunt; Et deinde ab Eminentissimo, & Reverendiss. D. Card. Barberino in locum bon. mem. D. Card. Coloredi defuncti Relatore subrogato, juxta præscriptum Decretorum generalium factâ die 18. mensis Martii 1709. plena, ac distincta Relatione de omnibus, quæ in Processibus, ac aliis Scripturis continentur, de Sanctitatis fama, de heroicis hujus Beati Virtutibus, Miraculisque ab eo patratis, & de iis, quæ post indultam Venerationem evenerunt, ac proposito Dubio: An stantibus præmissis posset ad ejus solennem Canonizationem deveniri; *Sacra Congregatio, posse, annuente Sanctissimo, juxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sacrorum Canonum dispositionem, ad solennem ejusdem Beati Canonizationem quandocumque procedi, unanimi consensu declaravit. Verùm ad implorandam Divinam opem à Sanctitate Sua dilatâ resolutione, tandem, ut dicti Beati præsidio Capuccinorum Ordo, qui eximiæ illius Virtutis fulgore coruscat, imminentibus præcipuè generalibus Comitiis, ejusdem proficiat exemplo, ac in cæteris omnibus Religiosis Ordinibus, Regularis Observantia, Animarum Zelus, Deique amor magìs, magìsque augeatur: Idem Sanctissimus Dominus Noster CLEMENS Papa XI. enixè antea fusis, & indictis ad Deum precibus, Secretario, & Pro-Promotore Fidei auditis, præsens Canonizationis Decretum expediri mandavit. Hac die 8. Maji 1709.*

G. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Congreg. Secr.

Dum hæc agerentur, Reverendissimus Pater Antoninus Cloche Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum pluries institerat apud Sanctissimum Patrem CLEMENTEM XI., & SS.Rit. Congregationem, ut Causa Beati Pii V. Summi Pontificis, qui in minoribus constitutus per plures annos dictum Ordinem Prædicatorum fuerat professus, jam indè ab anno *1696.* reassumpta conficeretur, Commissione signatâ, Literis remissorialibus, & compulsorialibus super iis, quæ usque ab anno *1672.* post indultam eidem B. Pio à Clemente Papa X. venerationem, supervenerant, de more expeditis; constructis in Urbe, & alibi Processibus, illisque in dicta Congregatione exhibitis, & approbata eorum validitate.


Curaverat etiam superioribus annis idem Reverendissimus Pater Magister Generalis, facultate ab Innocentio XII. Summo Pontifice impetratâ, eductum Corpus Beati ab eo, in quo à Sixto Pontifice hujus nominis V. fuerat loco repositum, intrà suum Liberianæ Basilicæ Sacellum efferri: Ossa Ossibus accuratè conjungi: novo Papali amictu vestiri, & subtus marmoream Statuam magnificentissimi Monumenti, quod Pio excitaverat Sixtus, aptè collocari, nempe ad modum dormientis, in prægrandi Theca crystallina ære inaurato ornata reconditum: exteriori adjecto æneo Ostiolo, ut ejus Natali die confluenti Populo reseratum mediâ crystallo intuendum, ac venerandum pateret. Hinc erga B. Pium incredibiliter aucta totius Urbis pietas, atque devotio: Hinc Mirabilium ejusdem intercessione patratorum fama percrebuit: Hinc peccatorum remissio plenissima ex thesauro Ecclesiæ ad ejus Sepulchrum orantibus indulta: Hinc Sacro frequenti Senatu celebritas instituta Pontificiæ Cappellæ; nec rarò ante illius tumulum ipsemet Summus Pontifex preces effundere consuevit.

Quocirca percrebescente etiam in dies ejusdem Beati Miraculorum fama, sapientissimus Pontifex coram se Generalem Sacrorum Rituum Congregationem viii. Idus Martii 1708. cogi mandavit, & in ea expendi: *An, & de quibus, intercedente B. Pio, à Deo patratis Miraculis constare videretur*. Eo manè Sanctitas Sua è secretiori Cubiculo in suam Congregationis scriptoriam mensam Christi Salvatoris è Cruce pendentis eburneam Effigiem jussit deferri, de qua traditum, eam ipsam esse, quam perpetuò B. Pius, cùm Deum precaretur, coram habere consueverat, & osculari, Miraculis illustrem, eo præcipuè, quod Pio de more, post preces, Salvatoris pedibus oscula admoventi, sese in altum sustulerit, pedesque retraxit veneno illitos. Hanc ipsam Jo. Hieronymus Cardinalis Albanus

à Pio ad Sacram Purpuram promotus, pietate, & doctrinâ insignis, post ejus obitum obtinuit, & non in tanti Pontificis, & Benefactoris memoriam solùm, sed & ad Religionem erga Deum in ipsa Salvatoris imagine excolendam, hierothecâ impositâ retinuit, & venerati sunt deinceps Successores illius Comites Albani Bergomates, à quibus dono acceptam impensiùs coluit Jo. Franciscus ejusdem Familiæ Cardinalis Albanus Urbinas, qui modò in Petri Sede collocatus verè Clemens, verè Pius, & Pio, cæterisque Sanctioribus Pontificibus comparandus, Christianam Rempublicam sapientissimè moderatur.

Hanc itaque in præsenti Congregatione coram habere voluit Sanctitas Sua, ab aliis etiam spectandam, effigiem Salvatoris Crucifixi, quamquàm jam antea perpetuò commendanda pietas, & prudentia sapientissimi, & religiosissimi Patris in morem induxerat, ut in Congregationibus coram se habitis, Reparatoris humani Generis Cruci affixi Imago apponeretur; ut autem dignoscatur, quo in loco mandaverit collocari, non erit abs re ordinem describere, quo Aula Congregationis toties repetitæ instrui solet.

Aula siquidem in Vaticano ea est, in qua Secreta Consistoria de consuetudine celebrantur: In Quirinali secunda, quæ post Cochleam in occasum vergit sub Horario. Hæc serico damasceno rubro: illa holoserico villoso coccineo circumvestita est; utraque lineis aureis à summo usque ad imum per suturas decurrentibus, ac in superiori parte telæ latitudinem obliquantibus ornata, ibique appositis per intervalla linearum Insignibus Summi Pontificis auro, argentoque contextis. Utrique textili simillima pendet Umbella, parieti hærens ingressum in Aulam respicienti, iisdem lineis, aureis fimbriis, Insignibusque exornata. Sub ipsa Umbella, super magno, latoque ligneo gradu, purpureo peristromate obducto, prænobilis cernitur privati Auditorii usitata Sedes, & in ipso gradu ante Sedem scriptoria Pontificis mensa holoserico villoso rubro cooperta. Porrò in ipsius Mensæ medio Clementis PP. VII. ex argento inaurato mirifici operis atramentarium, & quidquid ad scribendum opportunum: ad lævam agendarum Causarum libri, & ad invocandum Spiritûs Sancti præsidium tabella: ad dexteram tintinnabulum, & in exteriori angulo Crucifixi effigies tali collocata dispositione, ut tum ipse Pontifex, & DD. Cardinales, tum Consultores ipsam possint prospicere; hi enim ad lævam Pontificis prope parietem stant, longam ita efformantes lineam, ut dignior, & antiquior sit Papæ proximior; Illi verò hinc, atque indè apud oblongam, peculiarem, ac humiliorem, distinctamque Mensam panno rubro contectam, & omnibus ad scribendum necessariis instructam, in depictis consident, suo quisque ordine, subselliis. Secretarius Congregationis, & Fidei Promotor in sinistra à tergo Cardinalium habent Scamnum ad scribendum in genua provoluti. Ceremoniarii autem Subsellia Cardinalium circumstant. In hoc etiam differunt Aulæ: In Quirinali etenim pendet è conspectu Umbellæ parieti adhærens, Equitis Caroli Marattæ nostrorum temporum percelebris Pictoris, Deiparam cum Filio referens Tabula, Archetypus scilicet ipsius Deiparæ, quæ subtus dictum Horarium vermiculato opere elaborata conspicitur. In Vaticano autem Sancti Spiritûs adventum exprimens grandior Tabula eminet media inter duas alias, quarum altera Petri, altera verò Pauli Apostolorum, non penicillo, non acu, sed mirâ confecta arte attrebaticâ, nuper inter cæteras singulari Sanctitatis Suæ providentiâ in Hospitium Pauperum S. Michaëlis Transtyberim importata.



1. Sedes Pontificia sûb Vmbellâ.
2. Mensa Scriptoria prô Papa.
3. Altera prô Cardinalibus
4. Sedilia Cardinalium
5. Scamnum ad scribendũ prô Secretario.
6. Secessus prô Papâ ad audiendas Conciones.
7. Vestibulum ligneum (vulgo Bussola) ad Secreta Cubicula Papæ
8. Ianua ab Aulâ Clementinâ
9. Fenestræ versus plateam Vaticanam

Coacta igitur Congregatione, Sanctissimus Pater stans apud suam Sedem, deposito Camelaucio ex tabella ab antiquiore Cardinali illi tradita, juxta decretum ejusdem S. Congregationis vi. nonas Octobris anni 1655. emanatum, stantibus DD. Cardinalibus, cæteris in genua provolutis, Spiritûs Sancti invocationem perlegit: Sedit deindè operto capite, consedentibus Cardinalibus, aliis verò stantibus. Tum D. Card. Gabriellius pro Eminentissimo de Carpineo Causæ relator, petitâ à Sanctissimo veniâ, titulum ipsius Causæ, & dubium super exaratum recitavit. Consultores, qui præ foribus de more aderant, vocati quisque ordine suo, initio sumpto à Juniore, diligentissimo miraculorum examine prehabito, super iisdem suum protulere consilium: His Aulâ dein exeuntibus, DD. Cardinales, summa, qua pollent, religione, æquitate, & justitia, nullo tædio affecti tulerunt suffragia, etiamsi quinque ferè horarum spatio res perduraverit, & ultra meridianum Angelicæ Salutationis signum, quo personante, Pontifex, & DD. Cardinales stantes aperto capite; cæteri verò genuflexi, B. Virginem Angelico salutaverunt eloquio. Admirationi sanè fuit tam prolixo temporis spatio vigilantissimum Pontificem, quàm attentissimè omnibus iis, quæ in re pronunciabantur, aures præbentem: quàm diligentissimè singulorum suffragia, rationesque sua manu scribentem intueri; imò & audire proferentem, ut Cardinales unà cum ipso suffragia prolata adnotarent. Hæc ad maturandam in re tam gravi deliberationem, prudentissimus Pontifex egit, & majora his egit in antecessum, investigando miracula, eorum probationes, testificationesque expendendo, & omnia perscrutando, quæ ad eliciendam veritatem sunt opportuna, summo studio, indefesso labore, vigiliis multis, & quasi parùm hoc esset, auditis omnium sententiis, in longius tempus traduxit deliberationem, ad postulandam, suis scilicet, & venerabilium Fratrum precibus, quos adhortatus est, in re omnium gravissima sapientiam à Deo, qui dat omnibus cum fiducia petentibus affluenter.

Post hæc Summus Pontifex tintinnabuli sonitu Congregationem dimisit, & signo Crucis super Cardinales producto, se ad secretiora Cubicula recepit.

Siluit per biennium Causa; Verùm non cessavit ab oratione piissimus Pontifex, donec xvii. Kal. Junii 1710. accitis Secretario Congregationis, & Fidei Promotoris Coadjutore, duo ex quinque in præfata Congregatione maturè expensis miraculis in Decreto infra ponendo exarata approbavit, & alteram coram se Generalem Congregationem cogendam mandavit super dubio: *An post miraculorum approbationem tutò procedi posse videretur ad solennem Canonizationem ejusdem B. Pii.*

Fuit hæc celebrata viii. Idus Julii ejusdem anni 1710. in Aula jam prænotata, ac de more instructa Apostolici Palatii Quirinalis, implorato priùs Sancti Spiritûs præsidio, & oratione perlecta, quæ apposita est in tabella ab antiquiore ex præsentibus DD. Cardinalibus, juxta Decretum supra relatum, Summo Pontifici ministranda. Tum factâ à Sanctissimo dicendi facultate, Eminentissimus tit. S. Pudentianæ Presbyter Cardinalis Gabriellius pro Eminentissimo de Carpineo Causæ Relator, Vitam, Virtutes, Res gestas, & Signa, sequenti ornatâ, ac fideli ex scripto complexus est narratione.

PIus, inter Ecclesiæ Romanæ Summos Hierarchas, hujus nominis Quintus, Michael olim nuncupatus, in Oppido Boschi Diœcesis Derthonen. in Insubria ortum habuit, anno post Virginis Partum MDIV. quartodecimo Kalendas Februarii, Paulo Ghislerio Patre, Matre verò Dominica Augeria. Ghisleriæ gentis origo Bononiæ tribuitur, ubi pervetusta gaudens nobilitate, ordini Senatorio adscita meritissimè fuit; sed Civium dissidentium intestinis tumultibus indè pulsæ, & huc, atque illuc in varias Italiæ Regiones actæ, propago quædam in prælaudato Boschi Oppido sedem, ac domicilium fixisse perhibetur, rei quidem familiaris inopiâ laborans, sed inter honestiores, ac præcipuas ejusdem loci Familias obtinens primatum. Ex ea igitur Michael in lucem editus, illam hausit è lustrali fonte innocentiam, quam moribus ad senium usque retinuit. In sinu optimorum Parentum educatus Puer, annos illustratæ mentis, rationisque compotes vix attigerat, cùm argumenta præbuit non pauca, quibus futura animi magnitudo, & eximia probitas sperari, animadvertique posset. Cùm primùm adolevit ætate, atque ad decimumquartum pervenit annum, Mundo nuncium remisit, sanctissimumque Fratrum Prædicatorum Institutum est amplexus. Tyronibus adjunctus, vestituque, & cætero habitu Religionis ornatus, cùm non ignoraret vestem mutari facilius multò, quàm mentem, nihil habuit solennius, quàm, ut sicut exteriùs corpus religiosis indumentis, ita interius animum virtutibus omnibus sensim excoleret; adeout exactâ disciplinæ regularis obser-

servantiâ, cunctis domi, forisque præfulgens, Genuæ sedulò præhabito purgandæ animæ studio, per omnes Ordinum gradus ad sacerdotalem dignitatem evectus fuerit anno MDXXVIII. *Exindè, cùm plurima Religiosæ Professionis munia, Lectoris videlicet, Prioris, & Definitoris, ut ajunt, magna cum laude obivisset, perfunctus etiam fideliter æquè, ac prudenter, maximoque vitæ discrimine apud Novocomenses primùm, deindè apud Bergomates fidei Quæsitoris ministerio, Supremæ Romanæ Inquisitionis Commissarius renunciatus est. Cujus officii numeros cùm strenuè simul, ac graviter implesset, Paulus IV. Pontifex Maximus illum ad Ecclesiæ Nepesinæ Infulas promovit; ac subindè anno MDLVII. in Sacrum Purpuratorum Patrum Senatum cooptavit; eidemque supremi, ac perpetui Inquisitoris provinciam, nemini unquam antea, nec postea collatam, demandavit; factâ omnibus Episcopis, ac Delegatis jussione, ut in rebus ad Sanctum Officium spectantibus, ipsum veluti Superiorem & consulerent, & agnoscerent. Hunc verò amplissimum Magistratum Pius IV. qui Paulo item IV. fuerat in Pontificatu subrogatus, Cardinali Alexandrino (hac enim nomenclaturâ Beatus Vir inter Collegii Apostolici Principes discernebatur) non confirmavit modò, verùm etiam à Nepesino Præsulatu ad regendam ampliorem Ecclesiam Montis Regalis in Subalpinis Michaelem nostrum transtulit, novorum in dies promicantem accessione meritorum. Interea, Pio IV. die 9. Decembris anni MDLXV. è vivis erepto, Cardinalis idem Alexandrinus unanimi ferè Patrum omnium consensu Pontifex Maximus acclamatur die 7. Januarii anni MDLXVI. qui suscepto Pii V. nomine, postquàm Ecclesiam Dei universam gubernasset annos sex, menses tres, dies vigintiquatuor, ætatis suæ anno sexagesimo octavo, obdormivit in Domino, & ad Beatissimam æternitatem feliciter evolavit. Hæc, quæ hactenus primis veluti labiis de tanto Heroe delibavimus, apertè demonstrant, quomodo in omni vitæ suæ statu se gesserit, vel dum inter alumnos Beati Dominici, tanquam sub Christianæ humilitatis modio degeret, vel dum in totius Catholicæ Ecclesiæ conspectu, adinstar lucernæ supra candelabrum positæ, undique lucem, & ardorem emittentis, nunc Episcopi, nunc Cardinalis, nunc Summi demum Pontificis majestate resplenduit. Quaquà versùm siquidem nostræ mentis oculis sese objiciat, semper earum virtutum coronâ stipatum inspiciemus, quibus vel rectè in Deum tendere, vel in communem hominum salutem, atque utilitatem se totum effundere videbatur. In primis quam privata, & claustrali in disciplina orandi consuetudinem didicerat Pius, eam non inter Pontificatus ardua, negociorumque tumultus unquam interrupit. Itaque non modò statis horis divinarum laudum pensum diligentissimè persolvebat, verùm & cæteras noctis horas, & quicquid otii alienis temporibus poterat suffurari, totum id agendo cum Deo, & quæ plurima pro ejusdem gloria susceperat peragenda, expediendis studiosissimè impendebat, & profitebatur palàm sinè orandi studio neque Pontificatus, neque interiores sibi animæ rationes consistere. Quanta autem ejus esset in exorando Numine vis, & efficacitas, quamque secundo in precibus uteretur Domino, novit Christiana Respublica, quam celeberrimâ de Turcarum classe, impetratâ victoriâ ab imminenti discrimine liberavit. Eodem pietatis studio, seque Deo intimiùs conjungendi desiderio percitus Beatissimus Pontifex Rem divinam quotidie, si posset, ad aras faciebat, vel si per valetudinem non liceret, facientibus interesse nunquam intermisit: ut propterea boni, ac prudentes viri dicerent, minimè fieri posse, ut is quicquam consilii caperet, nisi utile, ac Reipublicæ salutare, qui nullum diem ferè prætermitteret, quo non hospitem, & tanquam consilii sui authorem Deum reciperet. Ex Literis verò Apostolicis, quæ incipiunt,* Quo primùm tempore, *habemus, quòd statim ac ad Apostolatus culmen ascendit, ad ea libenter animum, viresque suas intendit, & cogitationes omnes direxit, quæ ad Sacrosancti Missæ Sacrificii cultum, & Officium purum retinendum pertinerent; Hinc, cùm maximè deceat unum Missæ celebrandæ morem esse; collatis per viros eruditos libris omnibus ad rem facientibus cum vetustis Vaticanæ Bibliothecæ, aliisque undique conquisitis, emendatis, atque incorruptis Codicibus, necnon veterum Consultis, ac probatorum authorum scriptis, qui de Sacro ejusmodi instituto monumenta nobis reliquerunt, ad pristinam Missale ipsum Sanctorum Patrum normam, ac amussim restituit. Quod recognitum jam, & castigatum, matura adhibita consideratione, ut exoptatus fructus ab omnibus perciperetur, Romæ quamprimum imprimi, atque impressum vulgari mandavit; nempe, ut Sacerdotes intelligerent quibus precibus uti, quasve ceremonias in Missarum celebratione retinere posthac deberent. Quod omnino conveniens fuit, ut qui omnes unum sumus in uno Corpore, quod est Ecclesia, & de uno Corpore Christi participamus, unâ & eadem sacrificandi ratione, uniusque ad aras officii observatione in hoc ineffabili, ac tremendo Eucharistiæ mysterio uteremur. Quoad cætera etiam, quæ Curam Pastoralem respiciunt, nulla unquam solicitudo desiderata in eo fuit. Ejus digna vox au-*

audiebatur, quam nulla oblivifcetur ætas: Senem namque, ac valetudinarium, non ideo tamen fibi parcentem, fed rebus cognofcendis, agendifque intentum, ut fibi parceret, atque à tantis laboribus vacationem aliquam daret, cùm Medici, ac familiares urgerent, quafi ejus violaretur charitas, egregiè iratus, refpondiffe fertur: Ego verò alienis, non meis commodis curandis huic admotus fum vigiliæ;una mihi cura, ut omni officiorum genere Confcientiæ fatisfaciam; valetudinem ac vitam in poftremis habere Pontificem decet. *Vera planè vox, & Pii animo digniffima, quem erectum, vigilantem, nufquam conniventem, maximorum etiam Regum veneratio, & prompta ad imperata facienda reverentia eft confecuta. Quàm divinam autem, quamque fummi Sacerdotis imperio congruam ejus fuiffe prudentiam oportuit, quæ difcordes, atque antiquis odiis invicem fufpectos, aut fufpectantes Philippi II. Hifpaniarum Regis Catholici Venetorum, reliquorumque Principum, ac Populorum animos mutuo potuit fœdere confociare? Quæ Legatorum moras, & ipfa rerum tractatione moleftiffimas tergiverfationes urgere, ac molliter in rectam honefti femitam, quafque plerique, abditas artes arbitrantur, amputatis ineptiis valuit revocare? Rem inextricabilem Pii, non peræque omnibus nota prudentia, ut quæ multum chriftianæ, hoc eft, fapientiffimæ haberet fimplicitatis, paulatim explicuit, & fimillima divinæ, quæ contrarias naturas jungens, opus hoc univerfitatis longè pulcherrimum edidit, animos ita conciliavit, ut junctis viribus hoftem profligarent, ac victoriam ab omni feculorum memoria nobiliffimam reportarent. Quanquam enim Pii pietate, ac fanctimoniâ viciffe videamur; negari tamen non poteft, eam Claffem, quæ Pii veluti fpiritu provecta concurrit, ejufdem prudentiâ, fapientiâque coaluiffe. Sed tantâ fuit animi humilitate præditus modeftiffimus ifte Pontifex, ut non fuis induftriis, precibus, ac prudentiæ, fed uni magnæ Virginis ope ediceret referri debere, quòd Turcas interitum, fupremamque cladem minitantes ad Echinadas deleviffent noftri. Propterea dicavit eidem Deiparæ victrici, qui primus Octobrem religiofum facit, Dominicum diem, & Rofarii Sodalitium, ut ea pietatis lex, gratique animi fignificatio nunquam aboleretur; ingentibus auxit privilegiis.* Principali fpiritu *adeò vifus eft à Deo in ejus gratia, & amore* confirmatus, *ut* animam fuam *femper* poffederit in multa patientia, *eâque obarmatus, fupremam ægritudinem, quamvis dolorum, & cruciatuum afperitate moleftiffimam fortiter excepit, fuftinuitque calculo quinquaginta ipfos dies affiduè tortus, donec vita deficeret, Pontificiæ patientiæ majeftatem, cujus erat fervantiffimus, non querelis, non clamoribus, non gemitu, indecoro non vultu infregit. Superfuit doloribus animus, ut & religioni operam dare, templa invifere, Rempublicam componere, quæque eidem falutaria deftinaverat, promovere poffet. Virgineus etiam pudor, quem adolefcens in Sacro Prædicatorum Ordine didicit, vel in grandævo palàm femper enituit, & vel inter ejus pretiofæ vitæ fuprema, fefe cunctis, qui aderant, fufpiciendum exhibuit. Calculo, ut diximus, dirè cruciabatur, Medicique cenfebant explorandum; fed ille nudare corpus infpicientibus abnuit, levius ducens affligi, quàm videri. Idem acerbiffimis cruciamentis quùm extingueretur, in ipfo æftu dolorum, ac mortis limine adductâ vefte brachium operuit, nè quid minus è difciplina dolor exprimeret. Credibile eft, & fatis fuperque pro comperto habetur, Virginem fuiffe, qui fuæ pudicitiæ tam diligenter voluit effe confultum. Ubi verò morbus invaluit, negociis qualibet de re longè procul amandatis, in id unum neceffarium, quod erat cæteris præferendum, totus incubuit, ut fcilicet animum ad bene moriendum diligenter adornaret. Sæpius igitur expiatâ per Exomologefim confcientiâ, immaculato Chrifti Corpore, tanquam falutari vitæ immortalis pignore fimul, & fupremi itineris Viatico refectus eft. Denique, cum Hiftoria Paffionis Domini noftri Jefu Chrifti ex Euangelio legeretur, manibus in modum Crucis extenfis, animam placidiffimè fuo reddidit Conditori. Ejus eximiam Sanctitatem miraculis Deus teftatam voluit non modò dum viveret, fed etiam à morte. Ejus præclara gefta fummatim recenfet Epitaphium, quod Romæ in Vaticano Sancti Andreæ Sacello, antequàm illius Sacrum Corpus indè ad Liberianam Bafilicam transferretur, ab omnibus vifebatur; quodque huc juvat ad Legentium folatium fideliter advocaffe.*

PIUS QUINTUS PONTIFEX
RELIGIONIS, AC PUDICITIÆ VINDEX,
RECTI, AC JUSTI ASSERTOR,
MORUM, ET DISCIPLINÆ RESTAURATOR,
CHRISTIANÆ REI DEFENSOR;
SALUTARIBUS EDITIS LEGIBUS,
GALLIA CONSERVATA,
PRINCIPIBUS FŒDERE JUNCTIS,
PARTA DE TURCIS VICTORIA,
INGENTIBUS AUSIS, ET FACTIS,
PACIS, BELLIQUE GLORIA
MAXIMUS;
PIUS, FELIX, OPTIMUS PRINCEPS.

Reliquum eft, Beatiffime Pater, ut ad Regum, Principumque Chriftianorum preces humillimè porrectas, nec non ad tanti Pontificis

ficis sui gloriosissimi Prædecessoris ingentia promerita benignè respiciens Sanctitas Vestra, Decretum tandem edere dignetur, quo statuat tutò posse ad ejus solennem Canonizationem deveniri, uti totus Orbis Catholicus, Sacerque Prædicatorum Ordo, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gaudium, & exaltationem, ac in Principum animis ad debellandum Turcàm incitamentum, enixissimè flagitant.

Hæc cùm audita essent summâ omnium admiratione, tum ob ejus vitæ sanctimoniam, pastoralem solicitudinem, vigilantiam, humanæ gloriæ despicientiam, & charitatem, quæ perfectionis est vinculum, tum ob ejus propagandæ Catholicæ Religionis perpetuum studium, illatam Turcarum Tyranno, ejus non tam armis, quàm fusis ad Deum precibus, apud Naupactum ingentem cladem, & tum præcipuè ob indomitum illud, & sanè æneum animi robur, quo orthodoxæ Religionis hostibus murum seipsum validè opposuerat pro Domo Israel, Sanctissimus sententias exquisivit Consultorum, & DD. Cardinalium, qui ea lege, & ordine, quibus supra, unanimiter in favorabilem sensum convenere.

Qua decebat animi hilaritate excepit suffragia piissimus Pontifex, cui visum est virtutum, ac miraculorum præstantiâ, quibus præfulgebat Beatus vir, urgeri quodammodo maturitatem suam; nihilo tamen minùs ex veteri, riteque servato Ecclesiæ Romanæ instituto, etiam maturiùs statuit procedendum, ac Salvatoris è Cruce pendentis effigiem, quam coram se positam habebat, defixis respiciens oculis, hortatus est denuo venerabiles Fratres, quin & enixè ab illis flagitavit, ut secum Divinam interim Bonitatem jugibus obsecrationibus exorarent, quatenus Cœlestis gratiæ suæ lumen in re tanti momenti sibi ostendere non dedignaretur.

Vix Congregationem dimiserat maximus Pontifex, cùm animum suum eo adjecisse visus est, ut quantocyus edito Canonizationis Decreto, B. Pii causam optatum ad finem perduceret. Publicæ propterea indictæ preces in Cœnobiis, in Ecclesiis; privatæ Summi Pontificis obsecrationes, Jejunia, Eleemosynæ, Sacrificia, aliaque Pietatis opera illuc dirigebantur, eundem scopum habebant; factoque comprobatum est, cùm pridie Non. Augusti prædicti anni 1710. recurrente Divi Dominici Ordinis Prædicatorum Fundatoris festo, diuturniori quavis cunctatione posthabita, accersitis post Sacrum peractum Secretario SS. Rit. Congregationis, & Coadjutore Promotoris Fidei, cessurum haud dubitans in majorem omnipotentis Dei Gloriam, necnon Sanctæ Rom. Ecclesiæ præsidium, & decus singulare, sequens Canonizationis ejusdem B. Pii V. quandocunque solenniter celebrandæ Decretum expediri, & promulgari mandavit, quod ab universa Prædicatorum familia solenni Cantu Hymni *Te Deum* exceptum est, & lætabundo minorum Tormentorum strepitu, effuso pariter in gaudia Romano Populo, utpote qui innumeris affectus beneficiis, viventi adhuc Principi marmoreum statuerat simulacrum in Capitolio erigendum, ita tamen, ut quod præ illius abnuente eximia humilitate imperfectum remansit, id deinceps gratiæ causâ Populus Romanus in corde servaverit.

ROMANA, SEU DERTHONEN.

Canonizationis Beati Pii Papæ Quinti.

Cum aliàs in Congregatione Sacrorum Rituum, prævio maturo, ac diligenti examine approbatis heroicis Virtutibus, quibus Beatus Pius V. Pontifex Maximus eximiè refulsit, nec non discussis, itidemque approbatis Miraculis ad ejus intercessionem ab Altissimo patratis, fel. rec. Clemens Papa X. ipsum Beatum Pium per suas literas in forma Brevis die 27. Aprilis 1672. expeditas Beatorum numero adscripserit: subinde ad instantiam Patris Antonini Cloche Magistri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quem idem Beatus Pius in minoribus constitutus per plures Annos professus fuit, reassumptâ Causâ ad effectum Canonizationis per Commissionem à recol. mem. Innocentio Papa XII. die xi. Julii 1696. signatam, concessisque de more Literis remissorialibus, & compulsorialibus super iis, quæ post indultam eidem Beato Pio à Sede Apostolica venerationem supervenerunt, nec non constructis vigore dictarum Remissorialium tam in Urbe, quàm in Civitate Castellana, ac Civitate Derthonen. Processibus, atque illis in præfata Congregatione exhibitis, illorum validitas ibidem xxi. Martii 1705. Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTE PAPA XI. successivè annuente, approbata fuit. Transitus deindè factus est ad examen relevantiæ; propositisque in Congregatione Generali eorumdem Sac. Rituum coram præfato Sanctissimo Domino Nostro habita quinque Miraculis, distulit quidem tunc Sanctitas Sua resolutionem, ut priùs Cœlestis luminis opem in tam gravi deliberatione de more imploraret, sed postmodum,

nem-

nempe die xvj. Maji proximè præteriti ex dictis quinque propositis Miraculis, duo approbavit, scilicet :

Primum, subitæ Sanationis Puellæ decennis à diuturna paralysi, qua in coxis, & cruribus laborabat; nec non

Quartum, instantaneæ emissionis fœtus à pluribus diebus jam mortui in utero Matris, & absque ullo ejus dolore editi, cum ipsius Matris præservatione ab evidenti mortis periculo.

Demum dicta generali Congregatione coram eodem Sanctissimo Domino Nostro die vii. Julii proximè elapsi iterum habita, ibique à Reverendissimo D. Card. Gabriellio, pro Reverendissimo D. Card. de Carpineo, proposito dubio: An tutò deveniri posset ad solennem Canonizationem ejusdem Beati Pii? *omnes quidem unanimi voce affirmativè responderunt; Ipse tamen Sanctissimus Dominus noster, antequàm quidquam decerneret, tam suis, quàm alienis precibus, se denuo ad Deum recurrere velle declaravit, ut dirigente Domino gressus suos, eam, quam ipse monstrasset viam, tuto pede inire posset.*

His porrò impletis, Sanctitas Sua, infrascripta die Sancto Dominico Fundatori dicti Ordinis Prædicatorum Sacra, Secretario Congregationis supradictæ, nec non Coadjutore Promotoris Fidei accitis, præsens Canonizationis ejusdem Beati Pii V. quandocumque faciendæ Decretum expediri, & publicari mandavit, non tam ad novum, ac præclarum decus præfati Ordinis Fratrum Prædicatorum de Catholica Ecclesia optimè meriti, quàm ad majorem ipsius Apostolicæ Sedis honorem, & gloriam, ut ei his potissimùm calamitosis temporibus, prædicti Beati Pii, in quo eluxit Religionis propagandæ perpetuum studium, in Ecclesiastica Disciplina restituenda indefessus labor, in extirpandis erroribus assidua vigilantia, in dictæ demum Sedis Apostolicæ Juribus vindicandis robur invictum, speciale, & maximè opportunum, & necessarium patrocinium accedat. Hac die quarta Augusti 1710.

G. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

Hoc ordine processerunt Canonizationis Causæ BB. Pii V., Andreæ Avellini, Felicis à Cantalicio, & Catharinæ de Bononia, ac talem, Deo dante, habuerunt exitum.

Inter hæc tam multis, tantisque malis pressa est Italia, tot hæresum tempestatibus concussa Petri navicula, tam magnis affecta calamitatibus Ecclesia, & omni ex parte diuturnis, sævisque bellorum procellis agitata est universa Christiana Respublica, ut [mirum dictu] uno defuncto Carolo II. Hispaniarum Rege, per ipsos duodecim annos, quos suspiria inter, & lacrymas Sanctissimus CLEMENS anxiè transegit, ærumnæ ærumnis, diffidia diffidiis inter Christianos Populos addita in dies esse videantur.

Nec sanè piissimus Pater seipsum offerens Deo, ut repropitiaret peccata Populi, innocens, impollutus, nequaquam Carnem aut Sanguinem, etsi sola charitate fervidum, respiciens, peculiari suo Pastoralis Officii debito unquam defuit; Etenim, ut Christianos Principes in mutuam adduceret concordiam; ut collabentem, ubi opus esset, Orthodoxæ fidei puritatem muniret; ut Ecclesiasticam disciplinam in melius restitueret, ut Apostolicæ Sedis jura vindicaret; ut publicæ tranquillitati consuleret, Apostolicos Nuncios illustres Præsules ab initio sui Pontificatus legavit ad Principes, Sinarum Imperio minimè prætermisso; sanctissimas Leges, & Edicta promulgavit; universale Jubilæum iteratò indixit; peculiaribus Provinciis Indulgentias largitus fuit; generales quotannis supplicationes, & assiduas in Ecclesiis preces instituit; Jejuniis, aliisque pietatis operibus indesinenter incubuit; & omnes penitùs vigilantissimi, & piissimi Pontificis partes implevit. Testantur Nosocomia, & Xenodochia toties invisa, vel ut pauperibus Peregrinis, quibus laverat pedes, inserviret in mensa; vel ut ægrotos solaretur, eis escas, Eleemosynas, & aliquando ipsamet Ecclesiæ Sacramenta ministrando. Testantur ad Sanctasanctorum Scalæ, quas flexis genibus pluries conscendit. Testantur Ecclesiæ, quas frequentavit, & in quibus Sacrum peregit; Vaticana præsertim, in cujus subterraneis apud Altare Apostolorum sæpesæpius in arduis præsertim, Sacris operatus est antelucano tempore, adversa tempestate, & aliquando infirmo corpore. Ita laudavit Nomen Domini assiduè, & collaudavit illud in confessione, ut [1] non derelinqueret se in die tribulationis suæ, & in tempore superborum sinè adjutorio.

Verùm, quia inveteratum malum fit plerumque robustius, & diu exoptata, formidanda Pax erat bello deterior, piissimus CLEMENS, postquàm extenderat manus suas in altum, ad Dominum scilicet, qui [2] facit misericordiam, & judicium, & justitiam in Terra, eumque, ut Christiani Principes, trans-

C

[1] *Eccli.* 51. [2] *Jerem.* 9.

translatis in Infidelium Terras iisdemmet, quibus digladiabantur, armis non alia inposterùm, quàm Bella Domini præliarentur, enixè exoraverat, animum suum ad promovendas Canonizationis Causas eorundem Beatorum, quos afflictis Ecclesiæ rebus apud Divinam Majestatem compellaverat Patronos, convertit, & divino planè consilio solennis Canonizationis actum tamdiu expetitum statuit perficiendum.

Enixè enim hoc idem [1] postulabant viri Principes; omnibus nobilior Europæ pars, felix tantorum Procerum mater Italia; instantissimè Causarum Postulatores; & fidelium ferè omnium vota.

Quo circa Sanctissimus Pater, ineunte hoc anno 1712. accersitis Ceremoniarum Magistris, cum eis egit de tempore, quo maxima Canonizationis actio posset celebrari, & Spiritu Sancto moræ nescio impellente, Postulatores admoneri, ac omnia ad celebritatem pertinentia sedulò parari mandavit.

Hæc cùm perlata essent à Ceremoniarum Magistris Emo Pauluccio Sanctissimi Patris Secretario Status, & is captum indè Sanctitatis Suæ Oraculum Postulatoribus renunciasset; mirum qua alacritate ab eis, quo plausu à Curia fuerit exceptum. Urbem immensa affecit lætitia, adeout omnes sibi invicem gratularentur; Tota in mœrore jacens, undique exhilarata est Italia, & Religiosorum hominum Cœnobia quæque exultarunt tanto nuncio excitata: & jurè exultarunt; habebant enim Cœnobitæ, undè ad præclaras illas, & præstabiles Beatorum virtutes hilariter imitandas incitarentur; habebant alii, cœlestibus hisce Patronis, unde diuturnæ Pacis, rerumque tranquillitatis faustum colligere possent præsagium: Omnia parari, omnia disponi cœpta: & ut omnia ex ordine conficerentur, conventus Postulatorum factus est apud Co: Philippum Aldrovandum Bononiensis Civitatis Senatorem, & ad Summum Pontificem Oratorem, cujus in Ædes Ceremoniarum Magistri Sanctitatis suæ, & Coadjutor Promotoris fidei loco Secretarii Congregationis SS. Rituum, qui longævus adesse non valuit, convenere. Ibi omnium agendorum pro tanta celebritate normam dederunt Ceremoniarum Magistri, in qua Ornamenta Sacra, linea, lignea, Picturæ, Cerei, Ornatus Ecclesiæ, aliaque similia uno oculorum ictu, & satis clarè dispiciebantur; ibi de imprimendis Ritu Sacræ Actionis, Beatorum vita, & narrationibus in Consistoriis habendis actum est; verebatur tamen Pontifex sapientissimus, qui cuncta cogitata, optata, & facta ad gloriam Dei, Ecclesiæque amplitudinem dirigebat, nè pro tanta solennitate, minori, qua par erat, solicitudine ageretur, nec quicquam satis arbitrabatur, fuitque illi animus rei rectè, ordineque conficiendæ, ut aliàs, S. R. E. Cardinalem præficere; Verùm, quia non nisi magno negocio, & incommodo res transigi potuisset, Postulantium solertiæ confisus, Reverendissimo Pico Mirandulano Patriarchæ Constantinopolitano Palatii Apostolici Præfecto, summæ prudentiæ, & sedulitatis viro, qui cum Ceremoniarum Magistris ageret, præcipuam de tota re curam imposuit, utque est rerum omnium æstimator acerrimus, actionem omnem, quæ gerenda erat, sibi referri mandavit. Mirum, quàm singulari sapientia, quanta ingenii sagacitate SS. Pater omnia præviderit, observaverit, admonuerit! quanta pro rei magnitudine, & majestate, vel fecerit, vel dictaverit, vel scripserit! Sed non sunt hæc ipsius complementa virtutum: est quod magìs, magisque admiratione dignum appareat: omnia peregit innumeris, gravissimis, implicatissimis totius Catholici Orbis circumseptus negociis, summa animi lenitate, & charitate illa, quæ (2) patiens est, benigna est, quæ omnia suffert, omnia sperat, nunquam excidit, ac sinè ulla omnino unquam animi perturbatione, nunquam ea prætermittens, quæ vel ad regimen Ditionis Ecclesiæ spectant, vel ad onus Pastoralis Officii, vel ad Sacras actiones, quibus usque ab initio sui Pontificatus continuò interfuit etiam infirmo Corpore, nihil sibi, neque suis, sed totum tribuens Deo, & Ecclesiæ amplitudini.

Hæc incendebant ad agendum solerter Postulatores; qui integram provinciam inter se partiti fuerant; & jam super excelsa porticu Basilicæ Vaticanæ ad ejusdem ornatum Tabulæ delineabantur; jam celebres in Urbe Phrigiones sericas telas magistrâ pingebant acu; jam sibi eloquentes paraverant Orationes Conciftoriales Aulæ Advocati; jam ex SS. Rituum Congregatione prælo dabantur de vitâ, virtutibus, Gestis & signis cujusque Beati compendiariæ narrationes; Et jam Canonizationis Theatri succrevisset opus, nisi sacra solennis actio per Summum Pontificem die Paschatis in eadem Basilica peragenda obstitisset. Cœptum tamen magnificentissimè post eadem so-

[1] *Juxta Decreta noviss. Innoc. PP. XI. vulgat. typ. R. C. A. de ann. 1678. fol. mihi 5. §. Septimo.*
[2] 1. *Ad Corinth.* 13.

ſolennia intrà quinquageſimam diem omnino perficiendum. Intenderat enim animum Sanctiſſimus Pater intrà menſem Majum, & quàm citiſſimè poſſet, Canonizationis Actum complere; Et quia Comitia generalia FF. Ordinis Capuccinorum biduo ante Pentecoſten erant Romæ celebranda, eorum conſolationi pro B. Felice quodammodo indulgens, circa idem tempus rem ſibi conficiendam propoſuerat, & indixerat Poſtulatoribus. Non deerant, qui actionem differendam eſſe conſulerent; verùm nullis rationibus à propoſito potuit dimoveri, parùm honeſtum dijudicans Romani Pontificis dictum indictum fieri.

Interea Epiſcopos intrà centeſimum ab Urbe lapidem, ad reddendam interventu ſuo majeſtatem actionis auguſtiorem, per literas invitaverat Congregationis Interpretum S. Concilii Tridentini Secretarius. Literarum hoc eſt exemplum.

ILLUSTRISSIMO, E REVERENDISSIMO

Signor mio Padrone Oſſervandiſſimo.

Avendo la Santità di Noſtro Signore ſtabilito di fare ſu'l principio del proſſimo futuro Meſe di Maggio uno, o più Conciſtori per procedere alla Canonizazione de' BB. Pio V. Andrea d' Avellino, Felice di Cantalice, e Catarina di Bologna, ſi è degnata comandarmi d' avviſarlo a V.S. Illuſtriſſima, acciò, quando dall' occupazioni del ſuo Paſtoral Miniſtero le venga permeſſo di trovarſi preſente à tale Eccleſiaſtica, e ſolenne funzione nella ſolita forma, poſs'adempirlo con portarſi in Roma verſo il fine del proſſimo Meſe d' Aprile: il che ſarà gradito da Noſtro Signore; E reſto con baciare à V.S. Illuſtriſs. riverentemente le mani.

Roma 27. Febraro 1712.

Di V.S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima.

Devotiſs. & Obblig. Servitore.

Vincenzo Petra.

Eos verò, qui aut noviſſimè electi, aut pro Sacris Apoſtolorum viſitandis liminibus, vel pro ſuarum negociis Eccleſiarum Romæ conſiſtebant, verbo detinuerat.

Illis itaque poſt Sacrum Paſcha in dies Romam adventantibus, viſum eſt Sanctiſſimo Patri Conſiſtoria tum Secreta, tum publica, & ſucceſſivè ſemipublica haberi, & in his Canonizandorum Cauſas non ſolùm Cardinalium, ſed & Patriarcharum, Archiepiſcoporum, ac Epiſcoporum in Urbe præſentium ſuffragiis permitti; Id enim Ritus ratio poſtulabat, ex quo potiſſimùm Pius II., Beatam Catharinam Senenſem; Leo X. B. Franciſcum de Paula, Sixtus V. B. Didacum in Sanctos retulere, & ſubinde ſucceſſores Pontifices alios Beatos viros in Sanctorum numerum adſcripſerunt, ut ex Actorum monumentis compertum eſt.

Ordienda res erat à Conſiſtorio Secreto, in quo ab antiquiore Cardinali SS. Rituum Congregationi Præpoſito Canonizandorum Cauſæ contractâ Oratione erant proponendæ. Ut autem Sacer Senatus in re tanti ponderis ſuas probè poſſent aperire ſententias, & præmaturè perpendere quidquid ſibi ad Dei gloriam, & Catholicæ Eccleſiæ præſidium, ac decus magìs conducibile videretur, triduo ante Conſiſtorium præfatum omnibus S.R.E. Cardinalibus in Urbe præſentibus de Sanctitatis Suæ mandato fuerunt tranſmiſſæ ſequentes dilucidæ narrationes ſuper vita, virtutibus, & miraculis, nec non ſuper actis univerſis in Cauſa Beatificationis, & Canonizationis eorundem, adjectâ in fronte hac, quæ eis præponitur, inſtructione.

EMINENTISSIME,

Et Reverendiſſime Domine.

In proximo Conſiſtorio ſecreto Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis de Abdua referet Vitam, Virtutes, & Miracula, necnon Acta univerſa in Cauſa Beatificationis, & Canonizationis Beatorum Pii Quinti Summi Pontificis, Andreæ Avellini Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, Felicis à Cantalicio Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum, & Catharinæ de Bononia Ordinis Sanctæ Claræ: Sanctiſſimus verò Fratrum ſuffragia exquiret: An ſcilicet deveniendum ſit ad ſolennem eorundem Beatorum Canonizationem; *& ſinguli Cardinales per verbum* Placet, *vel* Non placet, *ſententias aperient. Ideo tranſmittuntur dilucida Narratione compilata ea, quæ ſacrorum Rituum Congregatio, prævio rigoroſo examine, admiſit, & approbavit, ut indè Eminentia Veſtra prælibare valeat, & præmaturè perpendere, quicquid ad Dei gloriam, & Catholicæ Eccleſiæ decus magìs conducibile videatur.*

COMPENDIUM

Vitæ, Virtutum, & Miraculorum, necnon Actorum in Causa Canonizationis B. PII V. Summi Pontificis.

Ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum.

„ Pius inter Romanos Pontifices, hujus nominis Quintus, Michaël antea dictus, in Oppido Boschi Derthonensis Dioecesis in Insubria natus est, anno reparatæ salutis 1504. quartodecimo Kalendas Februarii, Paulo Ghislerio Patre, Matre verò Dominica Augeria. Etenim Ghisileria Gens, quæ Bononiæ peranti- qua Nobilitate illustris, atque Ordini Senatorio adscripta, Civilium dissidiorum causâ, ut ab Historicis memoriæ proditum est, in varias Italiæ Regiones distracta fuerat, præfato etiam apud Insubres Oppido Sedem, ac Domicilium posuit: ubi quamquam ob rei familiaris inopiam, in angustum redactâ, nihilominus tamen usque ad Michaëlis ortum inter Principes ejusdem Oppidi Familias locum tenere visa fuit. Michaël igitur hujus Gentis Alumnus Sacro regenerationis lavacro Cœlo renatus, & pia, Christianaque educatione ad majora virtutum fastigia præformatus, statim, ac quartumdecimum ætatis annum attigit (prævenerat enim eum Dominus in benedictionibus dulcedinis) Mundo vale dixit, & Fratrum Prædicatorum Instituto nomen dedit: in quo quidem, exacta disciplinæ regularis observantia cùm primis elucens, Genuæ Sacerdotio initiatus fuit anno 1528. Postmodùm verò, ubi quàm multa Ordinis munia, Lectoris scilicet, Prioris, & Definitoris, ut vocant, laudabiliter obivit, peracto summa fidelitate, ac prudentia apud Novocomenses primùm, deinde apud Bergomates Fidei Quæsitoris munere, Supremæ Romanæ Inquisitionis Commissarius renunciatus est. Quo quidem in munere cùm strenuè, fideliterque laborasset, Paulus IV. Pontifex Maximus ad Episcopale Regimen Nepesinæ Ecclesiæ illum assumpsit, ac subinde anno 1557. in Sacrum Cardinalium Ordinem cooptavit; Eique Supremi, ac perpetui Inquisitoris provinciam, nemini umquam antea, nec postea collatam demandavit; Facta omnibus Episcopis, ac Delegatis jussione, ut in rebus ad Sanctum Officium pertinentibus, ipsum veluti Superiorem agnoscerent. Hanc verò amplissimam Dignitatem Pius IV., qui Paulo IV. in Pontificatu successerat, Cardinali Alexandrino (hoc enim nomine Beatus Pius inter Purpuratos Patres dignoscebatur) nedum confirmavit, verùm etiam à Nepesino Episcopatu ad regendam ampliorem Ecclesiam Montis Regalis in Subalpinis Pium novis in dies fulgentem meritis transtulit. Interea Pio IV. die 9. Decembris anni 1565. viam universæ carnis ingresso, Cardinalis Alexandrinus Summo omnium Patrum consensu Pontifex Maximus renunciatur die 7. Januarii anni 1566., qui assumpto Pii V. nomine, postquàm Ecclesiam rexisset annos sex, menses tres, dies vigintiquatuor, ætatis suæ anno sexagesimooctavo obdormivit in Domino, & ad Cœlestem Patriam migravit.

„ Ex his, quæ hactenus strictim, cursimque dicta sunt, perspicuè colligi potest quatuor fuisse gradus, ac veluti cardines, quibus vitæ Beati Pii decursus summa cum laude peractus est. Egit enim inter Fratres Prædicatores Viri Religiosi partes; in Ecclesia verò tamquam lucerna super candelabrum posita, & lucens, & ardens, Episcopi, Cardinalis, ac Summi Pontificis Dignitate præfulsit. Quamdiu verò in Sancti Dominici Familia vixit, id unum semper præ oculis habuit, ac re ipsa implevit, ut singulas Ordinis sui regulas, sanctionesque servaret. Literarum studio addictus in eo totus erat, ut viva probatorum Patrum exempla sibi proponeret imitanda; ratus, & quidem meritò, basim, ac fundamentum Vitæ spiritualis in assidua ad Deum precatione, atque in legendis, imitandisque Sanctorum Virorum rebus gestis, Sancti Dominici præsertim, ac eorum, qui Dominicanam Familiam Sanctitatis famâ illustraverant, esse collocanda. Præceptoris munere aliquando functus, ita perpetuò Auditores suos instituit, ut non solùm ab eo scientiarum cognitionem acciperent, sed etiam ad formandos mores optima caperent documenta virtutum. Fratrum regimini Præpositus, Priorque designatus, & rerum temporalium, & Animarum curam magna cum laude conjunxit; præsertim verò in regendis Sacrarum Virginum Cœnobiis diligens illius prudentia, nulli umquam reprehensioni obnoxia, mirabiliter enituit. Neque aliter se se exibuit, cùm munus Definitoris exercuit. Ita denique animo fuit non minùs,

„ quàm corpore ad modestiam, ac gravitatem compositus, ut ab omnibus non jam Frater Michaël (quod erat ei nomen à Baptismo inditum, & in Religione retentum) sed Sanctus Bernardinus passim appellaretur.

„ Verùm in exercendo Sanctæ Inquisitionis ministerio, planè invictus hujus Viri zelus pro tuenda Orthodoxa Religione apparuit. Etenim neque manifestum aliquando vitæ discrimen, neque laicalium potestatum, quæ metuenda erat indignatio, facere potuerunt, quin ille, ut par erat, cursum quibusdam Hæreticorum libris Novocomensi cuidam Mercatori, ut per Italiam evulgarentur, transmissis, fortiter inhiberet. Erat tunc temporis suo viduata Pastore Curiensis Ecclesia apud Rhætios, cui Canonicus quidam è gente Planta dictus, etsi suspectæ fidei, ob suffragiorum numerum fortè præficiendus erat. Mittitur propterea hujusce Causæ cognitor Beatus Pius; eâque ad juris normam probè confectâ, Hæreseos crimine reus Canonicus ille declaratus est. Pius verò rem hanc totam, ita forti animo gessit, ut numquam Ordinis sui indumenta per breve tempus exuere voluerit; quamquàm eum omnes, ut alieno vestitu incederet, hortarentur, nè oculos Hæreticorum offenderet, qui capitale odium adversùs Dominicanos Fratres profitebantur. Negavit id se facturum Pius, sanctè testatus, se quàm libentissimè, si ita Deo visum fuerit, Sacra illa veste indutum, mortem oppetiturum. Pari sanè constantia Bergomensem Civitatem ab Hæreticorum peste diligenter purgavit, ubi invicto animo adversùs Medolacum falsæ doctrinæ Propagatorem acerrimè institit, quamvis magnâ amicorum, ac Consanguineorum copiâ suffultum, à quibus subinde graves excitatæ turbæ. Id quoque præstitit adversùs ejusdem Urbis Episcopum, cujus profectò præpotens auctoritas eò devenerat insaniæ, ut quosdam nefarios homines immitteret, qui integerrimum Fidei Ministrum, vi, dolove captum, ultimo fato maximis cruciatibus addicerent. Verùm uterque tandem, jurè, ac meritò Hæreseos damnatus, Hæreticorum pœnas luit. Medolacus enim carceri apud Venetos mancipatus extremum diem miserrimè clausit; Episcopus verò à Sede Episcopali dejectus dignitatem amisit.

„ Quæ in Episcopatu Pius V. operatus est, cum iis, quæ Cardinalium Collegio adscriptus item gessit, una, eademque ratione consideranda sunt. Etenim, ut diximus, eodem quasi tempore, & Nepesinus Episcopus, & Cardinalis renunciatus est, paulóque post Montis Regalis Ecclesiam gubernavit. Quare hìc primo loco sese offert admirabilis hujus Viri humilitas, quâ ille Episcopale onus, ut Viribus suis impar, sibi à Paulo IV. oblatum à se avertere adnisus fuit, additis precibus, ut missionem à seculi curis impetraret, utque in tranquilla Ordinis sui statione, tandem aliquando quiesceret, atque ut pauperculus, & humilis in nidulo suo moreretur. At Divinâ providentiâ ad majora vocatus, tantùm abfuit, ut voti compos efficeretur, ut amplissima Cardinalis Dignitate quasi novo lumine cohonestaretur; Nova enim hæc Dignitas splendorem, coloremque addidit virtutibus suis; neque bene præparatum Pii animum, vel minimo humani fastus tumore corrupit; sed intrà cancellos consuetæ humilitatis, ac modestiæ ab omni ambitus suspicione liberum servavit. Etenim paucos in famulatum sibi adscivit homines, probos illos quidem, quosque veluti filios Pater amantissimus summa charitate prosecutus, more Religiosorum vitam secum agere consuefecit. Porrò cùm ea tempestate apud Tridentum coacta Synodo, ardua Religionis, Disciplinæque Ecclesiasticæ negocia tractarentur, illaque Romæ maturo consilio, ac discussione in Præsulum doctissimorum Conventu examini subjicerentur, magni ponderis apud omnes, summoque in pretio erant Cardinalis Alexandrini suffragia, qui sæpius, data opportunitate, liberrimè in rebus maximi momenti mentem suam aperiebat, etsi quorumdam odium incurrendum esse prævidisset. Dici vix potest, quanta fuerit hujus Viri erga pauperes liberalitas, præsertim cùm nonnisi infra necessarios sumptus, annuum Censum obtineret. Diœcesim Montis Regalis solicitudine verè Pastorali invisit, ut damna, quæ gravia Prædecessorum hac de re negligentiâ invaluerant, resarciret; sed ubi nullum à seculari Magistratu auxilium ad puniendos Hæreticos impetrare potuit, Romam invitus rediit, rebus illius Gregis ad Animarum salutem, eâ, quâ potuit, prudentiori disciplinâ compositis.

„ Nunc, ut ad ea gradum faciamus, quæ Pius, ut Pontifex Summus, exhibuit exem-

„ exempla virtutum; illud in primis in eo „ mirabile fuit,quod nec quæsiisse unquam, „ nec optasse quidem supremæ Dignitatis „ fastigium visus fuerit; sed Pontificali one- „ ri mira sibi Sacri Collegii consensione „ delato, nonnisi post fusas Deo ferventis- „ simas preces, humillimè collum submi- „ serit. Jam verò ultra compendii fines ex- „ currere oporteret, si cuncta singillatim „ clementiæ, beneficientiæque monumen- „ ta recensenda forent, quibus nedum eos, „ qui vel minimum commodi ipsi contule- „ rant, verùm etiam illos, qui de se malè „ meriti fuerant, abundè cumulavit. Lon- „ gum item nimis esset orationum, preca- „ tionumque frequentiam recensere, in- „ terdiu nunquam intermissam, de nocte „ verò sæpius adauctam, ubi alicujus mo- „ menti negocium erat decernendum. „ Nulla denique, quamvis prolixa satìs „ esset oratio, ut abstinentias, carnis ma- „ cerationes, jejunia à piissimo Pontifice „ inter tot, tantasque ardui ministerii cu- „ ras nunquam intermissa, explicaret. Pius „ enim in Pontificatu, si Vestium externam „ formam demas, nihil de pristina Religio- „ sæ, vitæ severitate quidquam immutave- „ rat. Unum hìc aperire sufficiat, illum „ scilicet non titulis, non divitiis, non „ novo quodam honoris gradu, Consan- „ guineos suos insignitos, ac donatos vo- „ luisse. Nam Michaëlem Bonellum suum „ ex Sorore Pronepotem, nonnisi post- „ quàm, & Dominicanæ familiæ nomen „ dedit, & sacrarum Literarum peritiam „ adeptus est, & totius Sacri Collegii ap- „ probationem meruit, Cardinalibus ad- „ scripsit. Nemini item in Aula Pontificia „ locum habere passus est, nisi illi, quem „ probatæ vitæ ratio, atque integerrimi „ mores commendassent. Nulli apud ipsum „ ad Ecclesiæ Dignitates aditus patuit, nisi „ cui merita prudenti judicio expensa ad il- „ las obtinendas viam stravissent, viresque „ ad illas probè exercendas abundè suppe- „ ditassent. Totus in eo fuit, ut subditorum „ commoda provideret; Quorum querelas, „ supplicesque recursus, quantovis sani- „ tatis suæ dispendio, datâ cuilibet fandi „ copiâ, prolatâque audiendi patientiâ à „ mane usque ad vesperas, penè quotidie „ excipiebat. Flagrans in eo propagandæ „ Religionis Catholicæ desiderium: inde- „ fessus pro instauranda Ecclesiastica Disci- „ plina labor: incredibilis, ac quasi perpe- „ tua in extirpandis erroribus vigilantia: ad „ sublevandam indigentium inopiam pro- „ na, & inhexausta beneficentia: pro tuen- „ dis Ecclesiæ Juribus ferreum pectus, ac „ robur invictum. Talis demum, ac tantus „ in eo effulsit splendor virtutum, ut ab „ ejus sanctitatis radio illustrati, & nobilis „ quidam Anglus, & Ollicæ Dux, He- „ bræique nonnulli ad admirabile Euange- „ lii, Orthodoxæque Fidei lumen libenter „ accesserint. Quos inter, Elias quidam „ Archisynagogus, divitiis, famâque cele- „ bris unà cum filiis Vaticano in Templo „ solenni Ritu Beati Pii Pontificis manu „ Sacri Baptismatis gratiam accepit.

„ Qua rectitudine, qua Justitia, qua „ æquitate Sanctæ Apostolicæ Sedis regi- „ men, totumque Ecclesiasticum Ordinem „ Pius administraverit, editæ ab eo san- „ ctiones inter Romanorum Pontificum „ decreta typis evulgatæ, probè testantur. „ Quanta protinus ipse fecerit, ut in Gallia, „ Belgio,Germania,Scotia,Anglia,Polonia- „ que, sarta tecta Catholica Religio con- „ servaretur, ac propagaretur, ex Auto- „ graphis Scriptorum monumentis, ac pu- „ blicis,omnique fide dignis Historicis col- „ ligi potest: atque, ut famigerata illa inter „ Christianos Principes adversùs Selimum „ Turcarum Tyrannum, & animorum, & „ armorum conspiratio perficeretur, ita „ Pium V. adlaborasse constat, ut meritò, „ quod in ea gestum fuit, Pii V. opus pu- „ blica prædicatione dictum fuerit.

„ Cùm Galliam omnem hæresis Hugo- „ nottorum appellata, susque deque ver- „ teret, atque hujus rei causâ, nonnulla „ essent parùm Orthodoxæ Religioni con- „ sentanea in publicum emissa edicta, ita „ forti animo apud Regem Christianissi- „ mum institit Pius V., ut illa penitùs fue- „ rint abrogata. Tum consilio, pecunia, „ commeatu, ac Militibus in Galliam, Du- „ ce Comite Sfortia Sanctæ Floræ Domi- „ no, opportunè transmissis, taliter Catho- „ licorum partes adjuvit, ut celebri ad- „ versùs Hæreticorum copias, parta victo- „ ria, accisis illius Regni rebus, non leve „ remedium allatum fuerit.

„ Neque minores in Belgio turbas ad „ labefactandam Religionem excitaverant „ Eterodoxi, quibus nè statim cursum in- „ hiberet Hispaniarum Rex, curatis tan- „ tummodò in præsens politicis rebus, di- „ latoque in aliud tempus Religionis ne- „ gocio, Authores erant Aulicorum Con- „ siliariorum quamplurimi. Pius igitur Pon- „ tifex evertit tam perniciosa consilia; col- „ latâque tempestivè pecuniâ, nonnullis- „ que inter Italos Bellicosis Viris, ut Bel- „ gium pro fide pugnaturi peterent, per-

„ suasis in causa fuit, ut quamplurimæ, Albano Duce belli summam dirigente, de Hæreticis victoriæ fuerint reportatæ.

„ Prope erat, ut Cæsar necessitate compulsus, in Austriæ Archiducatu, Dynastis, & Nobilibus, Augustanæ confessionis liberum exercitium permitteret, ni Pius Pontifex misso ad Cæsarem Cardinali Commendono pericula Orthodoxæ Religionis, quæ jam jam imminebant, opportunè avertisset.

„ Neque minori præsidio præsens fuit paterna Pii V. charitas Mariæ Stuardæ Scotorum Reginæ, ubi illam per summam injuriam Carceri mancipatam rescivit ab Angliæ Regina Elisabetha, quam hæresis crimine notatam Regio jure exutam Pontificia auctoritate declaravit.

„ Apud Polonos publicis Edictis exilio mulctati fuerant Antitrinitarii, Hæreticique reliqui: *At confessionis* Augustanæ, Calvinianæque Hæreseos Professoribus in Polonia degere erat impunè permissum. Quare Pius V. apud Regem effecit, ut solennem ille, ac jurejurando firmatam sponsionem ederet, qua sese in Religione Catholica ad mortem usque perseveraturum, ac nunquam passurum, vel minimum imminui, immutarive Romanæ Fidei dogmata, avitosque Ritus, quidquid contra niterentur Hæretici, sanctè promitteret.

„ Quis autem enumerare poterit umquam, quot, quantosque labores, sumptus, curasque impenderit Pius in firmando illo, quod supra diximus, Christianorum Principum fœdere, quo Selimi Turcarum Tyranni victoriis multis arroganter intumescentis superbia penè confracta est? nam præsens adfuit Divinæ dexteræ auxilium ferventibus Pii Pontificis precibus imploratum, cùm inito ad Echinadas Navali prælio, talem de victis hostibus, qualem nunquam antea, triumphum Christiana Classis reportavit.

„ Verùm alia, & fortasse majora ad Religionis incrementum Pium Pontificem cogitantem præpropera mors, Deo sic disponente, pervasit. Cujus in occursum, humilem, constantem, patientemque animum præseferens piissimus Senex, extrema vi morbi correptus, acerbissimos dolores ita fortiter pertulit, ut solùm ad Jesu Christi Crucifixi Imaginem dulciter suspirans, hæc sæpius ingeminare verba auditus fuerit: *Domine adauge dolores, sed auge etiam patientiam*. Ubi verò morbus invaluit, negociis quave de re longè sepositis, in id unum, quod erat omnibus anteponendum, totus incubuit, ut scilicet sese bene præparato animo morti advenienti sisteret. Iteratis igitur vicibus mundatâ pœnitentiæ Sacramento conscientiâ, Sanctissimo Jesu Christi Corpore sibi per manus Cardinalis Alexandrini Pronepotis porrecto, salutari illo supremi itineris Viatico refectus est. Postmodùm, quod sanè mirandum fuit, ad invisendas septem celeberrimas Urbis Ecclesias incessit, potioremque viæ partem è Basilica Sancti Pauli ad Sancti Sebastiani Templum nullo vehiculo usus, pedibus perfecit, timentibus, qui aderant, nè vitæ cursum medio in itinere consummaret. Denique statim ac novissimam appropinquare horam præsensit, Sacrum Christianorum Principum fœdus Cardinali Alexandrino ferventissimè commendavit. Dein Davidicos Psalmos sibi prælegendos poposcit, lectori mandans, ut illos alta voce pronuntiaret, factâ singulis versiculis pausâ, ut ipse Divina eloquia per aures admissa dulcissimo contemplationis ruminaret affectu. Tandem, cum Historia Passionis Domini Nostri Jesu Christi ex Euangelio legeretur, manibus in modum Crucis extensis, nullo motu, strepituve facto, suaviter efflavit Animam, eamque reddidit Creatori.

„ Maxima, eo defuncto, statim percrebuit de piissimo Pontifice fama sanctitatis. Quare non Romani Populi solùm, verùm etiam plurimorum è vicinis Regionibus Hominum concursus ad visendum illius Cadaver factus est; Ut majorem custodum, Militumque numerum adhibere opus fuerit, nè Populi fervor, qui Beati Cadaveris Vestes jam violenter sciderat, Carnes etiam in frusta distractas secum asportare præsumeret.

„ Agi cœptum de Pio inter Sanctos referendo, anno *1621.*, cujus rei gratiâ, instructis variis, & ordinaria, & Apostolica auctoritate, ut vocant, Processibus, fuit, ut mos erat illius temporis, tribus antiquioribus Romanæ Rotæ Judicibus eosdem examinandi demandata facultas: qui lato de hac re judicio, & documentorum auctoritatem probarunt, & virtutum præstantiam heroicum gradum attigisse, ac miracula supra communem naturæ usum fuisse patrata dixerunt. Horum judicio Sac. Rituum Congregationis examen superinductum; in quo pariter loco suo stetit juridica actorum validitas, atque in gradu heroico comprobatæ virtu-

„ tutes, ſimulque duo, quæ ſubſequuta „ fuerant miracula plenè comprobata. „ Quorum primum fuit, ab igne penitùs il- „ læſas remanſiſſe hujus Beati Pontificis „ Icones duas, ex papiro unam, alteram „ ex tela confectas in Sacello D. Antonii „ Cardonæ, & Seſſæ Ducis è pariete pen- „ dentes, quamquam ignis ita vehemen- „ ter per totam ædem graſſatus fuiſſet, ut „ etiam argentea ſimulacra ignea vi lique- „ facta fuerint, lapideumque Altare in „ formam cocti pumicis tranſierit, ac uni- „ verſa Sacra illius ædiculæ ſupellex (dictis „ dumtaxat duabus Imaginibus, eaque pa- „ vimenti parte, in quam una Imaginum „ ceciderat, exceptis) in favillam, & cine- „ rem redacta fuerit.

„ Alterum fuit, Tiburtiæ Florentiæ Au- „ ximanæ Mulieris ſeptuagenariæ repenti- „ na ſanatio. Hæc ſiquidem acuta, mali- „ gnaque febri correpta, aliiſque conge- „ ſtis morbis oppreſſa; itaut Medicorum „ teſtimonio intrà trium horarum ſpatium „ jam jam moritura crederetur, ubi Beati „ Pii induſium ægro corpori devotè appli- „ cavit, nullâ interpoſitâ morâ, firma ac „ vegeta è lectulo ſurrexit, multoſque „ deinceps annos feliciter vixit.

„ Fuerunt Pontificio decreto firmata, „ tum quæ ad virtutes, tum quæ ad mira- „ cula pertinerent, Sacræ Congregationis „ judicia, remiſſo in aliud tempus reliquo- „ rum miraculorum, quæ à Cauſæ Poſtula- „ toribus proponebantur, examine.

„ Interea, cùm ſan: mem: Urbanus Octa- „ vus de hujuſmodi Cauſis novas leges „ evulgaſſet; novum condere Proceſſum „ de non cultu, ut dicunt, ac quaſdam à „ Pio Pontifice exaratas Epiſtolas exhibere „ neceſſe fuit. Quibus omnibus adamuſſim „ impletis, de obſervantia decretorum „ conſtitit; conſtitit etiam nihil in prædi- „ ctis Epiſtolis contineri, quod non pieta- „ tem tanti Pontificis redoleret. Quamo- „ brem inſtauratum fuit examen miraculo- „ rum, nedum relictorum, ſed eorum „ etiam, quæ intermedio tempore affere- „ bantur contigiſſe. Horum duo præcipuè „ omnium calculis approbata. Primum fuit „ mira quædam triticeæ farinæ perampla „ multiplicatio, quæ in Monaſterio Sancti- „ monialium Sancti Dominici apud Pratum „ in Hetruria accidit: Alterum, Divina illa „ Beato Pio immiſſa cognitio, quâ eadem „ prorſus die, eademque hora, quibus Na- „ valis, quam ſupra innuimus, victoria à „ Chriſtianis reportata fuerat, Pius Quin- „ tus clariſſimè illam reſcivit, atque iis, „ qui ſecum aderant patefecit. Qui cùm „ menſem, diem, horamque notaſſent, ubi „ poſtea certus de victoria nuncius advenit, „ illam, uti Pius ipſis prædixerat, eveniſſe „ apertiſſimè cognoverunt.

„ Judicium de hiſce duobus miraculis à „ Sacra Rituum Congregatione pronuncia- „ tum Summus Pontifex confirmavit: Cùm- „ que eadem Sacra Congregatio judicave- „ rit Pium Quintum inter Beatos cenſeri „ poſſe, Officio, ac Miſsâ in ejus honorem „ conceſſis: Clemens Decimus Pontifex „ Maximus Pium Beati nomine inſigniri, „ ejus reliquias publicè venerari, & ali- „ quibus in locis de eo Officium recitari, „ Miſſamque Confeſſoris Pontificis ſecun- „ dum Breviarii Romani rubricas celebrari „ permiſit, ut ex Brevi Apoſtolico die 27. „ Aprilis anni 1672. Dato, perſpicuè col- „ ligitur. Aliæ item extant hujuſmodi In- „ dulti poſtmodùm datæ extenſiones.

„ Verùm reaſſumptâ denuo Cauſâ, ex- „ peditiſque remiſſorialibus, ac compul- „ ſorialibus Literis, ut quæ poſt Indulti „ Cultus conceſſionem ſupervenerant, rite „ probarentur; novi Proceſſus fuerunt ef- „ formati, quorum diligenter perpenſa, & „ deinde admiſſa validitate apud Sacr. Ri- „ tuum Congregationem, hujus reſcriptum: „ SS. in Chriſto Pater CLEMENS XI., „ quem Deus Omnipotens diu ſervet inco- „ lumem, comprobavit. Firmata actorum „ validitate, ſuum ſubiit examen eorum- „ dem relevantia; duoque propterea de „ novo expenſa in generali Congregatione „ coram Summo Pontifice, & ſimul appro- „ bata miracula. Unum fuit; Margarita „ Maſſia decennis Puella paralyſi diuturna „ laborans, quo morbo ejus crura, ac co- „ xendices vehementer agitabantur, mo- „ mento Sanitati reſtituta. Alterum, in- „ ſtantanea item eductio fœtus materno in „ utero multos ante dies prædefuncti, abſ- „ que parientis dolore, ab evidenti mortis „ diſcrimine ſervata pariter Iſabella Riccia „ Genitrice. Auditis Cardinalium, & Sac. „ Congregationis Conſultorum ſuffragiis, „ nulla ſtatim à Sanctiſſimo Domino capta „ deliberatio, ut in re tanti momenti Divi- „ num de more in anteceſſum imploraret „ auxilium. Probavit tandem Sanctitas Sua „ duo illa ultimo loco poſita miracula, ha- „ bitaque denuo coram Sanctitate Sua ge- „ nerali Congregatione, fuit in delibera- „ tione poſitum; *An tutò ad ſolennem Cano- „ nizationem Beati Pii deveniri poſſet.* Cùm- „ que unanimi conſenſu omnes affirma- „ tivè reſpondiſſent, iterum Sanctiſſimus „ Dominus Noſter antequàm hoc de nego- tio

„ tio quidquam decerneret, Divinæ gratiæ adjutorium expetendum censuit. Vocatis postmodùm Sacræ Rituum Congregationis Secretario, atque Promotore Fidei, Decretum pro canonizando, & inter Sanctos referendo Beato Pio Quinto publicavit. Pro cujus decreti exequutione, precibus in vestibulo Causæ olim à Regibus, & Principibus Christianis quamplurimis devotè porrectis, suas modò humillimas supplicationes addit omnis Fratrum Prædicatorum Ordo.

COMPENDIUM

Vitæ, Virtutum, & Miraculorum, necnon Actorum in Causa Canonizationis B. ANDREÆ AVELLINI Presbyteri Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum.

Ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum.

„ Andreas Avellinus, in Sacro Fonte Lancellottus appellatus, apud Castrum Novum in Regno Neapolitano Lucaniæ Provinciæ Oppidum, anno 1521., Parentibus Joanne Avellino, & Margarita Apella, Natalem diem sortitus est. A Patruo ejusdem Loci Archipresbytero, qui educandi Nepotis curam in se receperat, Christianis moribus, piè, ac laudabiliter instructus, primisque in Patria Grammaticæ rudimentis informatus, ut alibi majori cum fructu sublimiorum scientiarum cognitionem acquireret, paterna è Domo discessit.

„ Ita verò ad literarum exercitationes animum applicavit, ut numquam ex sui ipsius mente Dei timorem excidere passus fuerit; ratus in primis veræ pietatis amorem, atque animæ perficiendæ negocium reliquis bonarum artium studiis meritò esse anteponenda. Quo factum est, ut piissimus Adolescens, quamquàm in ipso effervescentis ætatis flore non semel ab impudicis Mulieribus ad inhonestas voluptates allectus, castimoniæ candorem sanctè coluerit, illibatumque servaverit.

„ Redux in Patriam Clericali militiæ, Deo vocante, nomen dedit; totusque in eo præcipuè fuit, ut proximorum saluti quàm diligentissimè vacaret. Quapropter & in Patria commorans, & per vicina Oppida excurrens, Christianæ Fidei instituta Pueros docere passim, omnesque Regionum illarum incolas ad exercendos devotionis actus incendere cœpit summo animarum emolumento. Verùm, quia nondum legibus operam navaverat, materno consilio acquiescens, Neapolim se contulit, ut Juris utriusque adeptus peritiam, reliqua literarum ornamenta, nova Jurisprudentiæ accessione cumularet; Sacerdos interea factus, ac legalibus disciplinis non leviter eruditus, Causarum patrocinia, in foro dumtaxat Ecclesiastico, proque privatis quibusdam personis secundùm sacrorum Canonum sanctiones agere incœpit: à quo tamen munere non diù postea abstinuit, Joannis Marinonii Clerici Regularis Theatini persuasione distractus. Hic enim Vir probatæ Virtutis, quem ille sibi conscientiæ ducem selegerat, ut eam vivendi rationem Andreas iniret, quæ ab omni tumultu, animæque periculo seposita uni Deo vacare solet, effecit.

„ Nam quidquid honoris, quidquid dignitatis, lucrive à forensi exercitatione se consecuturum aliquando speraret, vanitatis plenissimum demonstravit; summam verò Christianæ Vitæ in eo esse positam, ut quisquis, Sacerdos præsertim, & animæ propriæ, & proximorum salutis curam haberet quàm diligentissimam.

„ Igitur per hujusce perfectionis iter incedere cupiens Beatus Andreas eam videndi consuetudinem arripuit, quæ Sacerdotis eximii nomen ita inter probos Neapolitanæ Urbis Ecclesiasticos jurè, ac meritò ei conciliavit, ut Archiepiscopi Vicarius, ad abolendos, qui licenter irrepserant, inter Monasterii cujusdam Sanctimoniales, adversùs regularem disciplinam, abusus, Andream veluti huic rei perficiendæ mirificè idoneum destinandum putaverit. Ille verò, porrectis in antecessum ferventissimis Deo precibus, exploratoque conscientiæ suæ moderatoris consilio, arduum hujusmodi reformationis opus alacriter aggressus est. Quod quidem nullis unquam parcens laboribus, ita, Deo auxiliante, feliciter absoluit, ut Moniales, illæ præsertim, quæ longiùs ab Instituto desciverant, ad optimam frugem citò redierint, unique Deo, ac Spiritualibus rebus arctiùs sese adstrinxerint.

„ Aliqua erat inter eas, quæ per annos bene multos prophani Viri cujusdam commercio implicita fuerat. Hunc ergo Diaboli laqueum Andreas forti brachio penitùs contrivit, facto utrique interdicto: Viro scilicet, nè ad Monasterium accederet: Moniali, nè crates gratiâ

„ colloquendi cum eo frequentaret. Quo „ facto, tanto in Dei Servum exarsit odio „ perditus homo ille, ut hanc sibi illatam, „ ut malè putabat, injuriam ulcisci, adversùs Beatum Andream obfirmato animo deliberarit. Quamobrem Sicarios, „ qui Andream, sicubi invenissent, perderent, quater immisit. Horum primò frustrata est impetus non benè cognita sceleratis hominibus Beati Viri facies. Secundò loci Sanctitas intrà cancellos continuit; Etenim Andream flexis genibus „ in Templo, ingenti fervore, orantem invenerant. Tertiò postmodùm id facinus „ aggressi, leve in ejus facie vulnus inflixerunt. Quartò tandem duabus in vultu „ pariter inflictis plagis, pessimè habitum „ reliquerunt. Nam alterum ex vulneribus profundiùs adactum, atque ab una „ ad alteram faciei partem latè perductum, „ dissecta insigniori arteria, aut in proximo ei mortem allaturum, aut si unquam „ medicas manus admisisset, maximum, „ perpetuumque deformitatis vestigium „ ejus in vultu relicturum existimabatur.

„ Nihil verò in ipso percussionum impetu Andreas dicere auditus, nisi Deo „ gratias agere; quod ob Divini honoris „ causam hujusmodi affici contumeliâ, „ quam gloriæ loco reputabat, aliquando „ dignatus esset. Protinus ad Cœnobium „ Sancti Pauli Theatinorum sese afferri poposcit, ut ibi à Joanne Marinonio Directore, cui eo tempore regendæ illius „ Domus erat demandata provincia, auxilium, ac levamen acciperet. Veruntamen ad majora, Deo sic disponente, „ servatus, nedum è mortis faucibus ereptus, sed ita penitùs postea convaluit, „ ut nullum ex acceptis vulneribus indicium cicatricis apparuerit, nisi è proximo, & diligentiùs intuenti.

„Decumbentem assiduâ charitate solati „ sunt Theatini Patres; atque ut constanter ferret dolorum angustias, blandis, „ ac piis sermonibus confirmarunt. Ipse „ verò Dei amore permotus non solùm veniam percussoribus, hilari animo, impartitus est; verùm etiam tunc existentem Proregem amicorum operâ, nè Rei „ tanti facinoris meritas darent pœnas, „ enixè rogavit. Aliud hujusmodi hæroicæ „ mansuetudinis exemplum præclarè exhibuit; cùm, audita cujusdam Nepotis sui „ nece, hujus Interfectori, data statim pace, Christiana magnanimitate prorsus „ ignovit.

„ Sed ut ad vulnerati curam redeamus; „ hæc in ædibus Theatinis, ut supra meminimus, peracta, viam stravit Omnipotenti gratiæ Dei, quæ, hac data occasione, „ Andream ad amplectendum Theatinorum „ Institutum in auxilio opportuno efficaciter vocavit. Horum enim Patrum satìs „ ille probaverat vivendi rationem; eamque arbitratus fuerat non genio suo tantùm, verùm etiam ad procurandam, & „ animæ suæ, & proximorum salutem maximè accommodatam. Anno igitur 1556. „ ætatis suæ 35. Clericis Regularibus Theatinis adscriptus est, Virum illum in Tyrocinio Præceptorem sortitus, quem in „ seculo conscientiæ suæ moderatorem „ elegerat, Joannem scilicet Marinonium. „ Hoc duce, celeri cursu præcipuis Religiosæ Vitæ documentis plenè imbutus „ eò perfectionis statim pervenit, ut Sociis „ esset grande virtutis exemplum.

„ Emicuit in eo supra cæteras, solidæ „ humilitatis virtus, admirabili, invictæque patientiæ, & mansuetudini conjuncta. Itaque in exercendis vilioribus ministeriis, laudabili more apud Religiosos „ regulari disciplina insignes dudum recepto, satìs, superque probatus, ut seni „ cuidam infirmo phrenesi penè continua „ ob morbi violentiam laboranti, opem „ suam impenderet, jussus fuit. Quam sanè sedulò impendit, summo charitatis „ affectu, ab Officiis quantumvis contemptibilibus, & nauseam moventibus minimè abhorrens: Et quamquàm æger „ aliquando in ipso furoris excessu Andream, pugnis, ac colaphis impeteret, „ numquam ille, hac de causa, conqueri „ auditus: tantumque abfuit, ut ab inœpto serviendi officio desisteret, ut adhuc „ post emissam professionem, per aliud circiter biennium, in hac humili pietatis „ exercitatione usque ad ægroti obitum „ hilariter perseveraverit.

„ Expleto probationis tempore, votisque solennibus emissis, Romam venit superiorum permissu, loca sacra veneraturus: Ea præsertim, in quibus Sanctorum „ Martyrum Reliquiæ religiosissimè servantur. Ad horum sepulchra & assiduas „ fundere preces, & cordis sui Divino igne „ æstuantis incendia exhalare visus est: „ Eorum sæpe enim ajebat beatam invidere sortem, quibus in Orthodoxæ Fidei testimonium, & ad majorem Dei „ gloriam propagandam, sanguinem, vitamque profundere datum fuit. Diebus „ quinque supra triginta Romæ commoratus Neapolim rediit: ubi Tyronum Insti-

„ stitutioni Præfectus, summum cujuslibet „ religiosæ Familiæ bonum è recta Noviorum educatione originem trahere secum ipse animo reputans, ita sedulò in „ hanc curam incumbuit, ut prima virtutum lineamenta in Tyronum animis perfectè duceret, eosque præsertim ad sanctæ orationis studium excitaret. Esse enim orationem (dicere solitus erat) animarum Cibum, adeóque religiosi cujusque propriam, ut neminem ab orationis amore alienum religiosi nomine dignum ipse putaret.

„ Hic autem quamplurimis hujusmodi præclarè gestis silentio prætermissis, minimè reticenda erit celebris illa Nicolai Zecchii à Beati Andreæ Institutionibus profecta in optimam frugem mutatio. Etenim Nicolaus famigeratus in seculo Doctor, ac publicus legum Interpres prope sexagenarius in Clericorum Regularium Ordinem admissus, nescio quid mundani tumoris à Doctrina, ac veteri consuetudine exurgentis, adhuc inter Religiosos retinere videbatur. Ad hujus mali radicem Beatus Andreas veræ humilitatis Cultor summa dexteritate falcem applicuit, eo felici eventu, ut Nicolaus non amplius altè sapere, sed de se perquam humillimè sentire visus fuerit, atque in omni virtutum genere, maximè in calcanda humilitatis semita, multùm deinceps profecerit.

„ Itaque, cùm admirabile quoddam prudentiæ lumen in singulis hujusce Beati Viri actibus Theatina Familia elucere vidisset; Patres, rati optimum fore, ac consentaneum ad religionis commoda, si regimini Neapolitanæ Domus Divi Pauli, Andreas admoveretur, illum præfatæ Domus Præpositum declararunt. Andreas verò statim ac hujusmodi provinciam subiit, hæc, tamquam præcipua sui muneris exercitamenta, semper prę oculis habuit: Ut nimirum omnes ad Divinas laudes persolvendas frequentes adessent: ut graviter, ac decenter psallerent: ut singulas ceremonias, ritusque servarent: ut silentii tempora seriò custodirent: ut demum uniuscujusque Viri Religiosi vita, veluti Christi bonus odor, in omni loco ad populorum ædificationem, nil, nisi sanctum, rectumque spirare videretur. Quare, si quis umquam fuit Constitutionum Ordinis prævaricator; si quis remissè Dei servitium obiret, is profectò acrem Andreæ censuram incurrit.

„ Erat autem ipse viva quædam omnium censura. Nam quidquid verbo docere, firmare solebat exemplo. Ad ministrandum Pœnitentiæ Sacramentum superiorum auctoritate designatus, etiam cùm Novitiis dirigendis, ac Cœnobii Præpositus esset, fideliter, ac patienter id munus executus est. His verò solutus oneribus, vix dici potest, quanta assiduitate, ac diligentia fidelium confessiones exciperet. Nulla apud eum acceptio personarum; Nobiles, ac plebeios, benevalentes, & ægrotos, Domi, & extra Domum, singulos ope sua indigentes, omnibus omnia factus, Paterno charitatis amore complectebatur; Ut animas Christo lucrifaceret, ac ministerium suum impleret, incommoda quæcumque, quantumvis sibi gravia, & dura, floccifecit. Non hyemales pluviæ, non æstivus calor, non opprobria, non pericula, non humana quædam prudentiæ carnis dictamina, Andreæ unquam impedimento fuere, quin poscentibus Pœnitentiæ Sacramentum ministraret. Immo, quoties spiritualis proximorum utilitas ad id impelleret, & Domo egredi, & ad Templum accedere, Pœnitentes excepturus, solicitus animarum Pater, donec vixit, consuevit; quamquam, è loco suo dilapsis in scrotum intestinis, incredibili aliquando, acerbissimoque dolore torqueretur. Quamobrem, jurè, ac meritò factum est, ut animarum totius Neapolitanæ Civitatis Moderator, ac Magister communi appellatione, & diceretur, & esset. His enim charitatis artibus fidelis servus, & prudens, constitutus à Domino super Familiam suam, accepta cœlitus talenta Deo cum fœnore reddidit: Animarum lucro semper intentus, quamplurimas, è peccatorum barathro, in quo diu, multúmque voluntario vinculo obstrictæ jacuerant, miserandas animas, ad acquirendam Filiorum Dei libertatem revocavit. Quamplurimis item, ut ascensiones in corde suo disponerent, irentque de virtute in virtutem, lumina quædam ad id opportuna obtulit, viamque paravit. Nam solida spirituum discretione præditus, propria singulis remedia, ut recto tramite ad Deum tenderent, ad cujus honorem, & gloriam omnia dirigebat, prudenter impartiebatur.

„ Hæc, & similia Christianæ, & heroicæ charitatis documenta, Beati Andreæ nomen apud Neapolitanos, jam satis su-

„ perque inclarefcere fecerant: cùm Sanctus Carolus Borromæus, ut in Urbe Mediolanenfi Theatinorum Patrum Collegium inftitueretur, optavit. Noverat enim ipfe, dudum regnante Pio IV. Pontifice Maximo, cùm Romæ ageret, quænam effet Clericorum Regularium Inftitutio; & quænam apud illos optima, & exemplaris vivendi ratio. Patres igitur, in generalibus Comitiis anno 1570. celebratis, quofdam ex fuis, quos inter Andream Vicarii titulo infignitum, ut Sanctiffimi Cardinalis voto plenè fatiffacerent, Mediolanum mittere ftatuerunt. Summa, & humanitate, & veneratione Theatinos excepére Mediolanenfes. Tum Sanctus Carolus æquus probitatis æftimator ftatim novit, quanti valerent Beati Andreæ virtutes: Unde non audiendis dumtaxat Confeffionibus, cæterifque hujufmodi piis exercitationibus Andream addixit, verùm etiam in arduis quibufque ampliffimæ Diœcefis negociis, illius non femel ufus eft confilio.

„ At nondum integer excurrerat annus, ex quo Regulares Clerici Mediolani primam Sedem fixerant; cùm Beatus Andreas (ægre nimis id ferente Sancto Carolo) Placentiam, ibi novam Religionis Suæ Domum excitaturus, petere juffus fuit. Placentinam Ecclefiam ea tempeftate regebat Paulus de Aretio Theatini Inftituti olim Profeffor, & Beati Andreæ in Tyrocinio Socius, qui Sacro poftea Cardinalium Collegio adfcriptus Neapolitanam Metropolim gubernavit, ac tandem eâ Sanctitatis famâ obiit, ut ejus Beatificationis Caufa apud Sacram Rituum Congregationem introducta fuerit; Hic ergo piiffimus Præful, quos olim in eiufdem Inftituti profeffione Fratres habuerat, Epifcopus in paftorali gregis fui cura Theatinos voluit Coadjutores. Hoc igitur in loco, quàm benignè, quàm amanter Andreas ab Epifcopo exceptus fuerit, ac quanto ipfe ftudio Placentinis Sacramenta miniftrare fufceperit, longum nimis effet enarrare, ac fuperfluum. Mirabile verò fuit, miniméque reticendum illud flagrantiffimæ charitatis opus, quo Mulieres in libidinis cœno perditas, ac penè fepultas, ferventi conatu à peccandi confuetudine penitùs retrahere Andreas contendit. Ex harum numero duodecim feliciter emerfas, Epifcopo opem, auxiliumque ferente, intrà fepta Domus cujufdam, de Beatæ Mariæ Magdalenæ nomine poftea dictæ, tamquàm in refugii loco, malè actæ vitæ crimina expiaturas fimul habitare coegit. Crevit autem in dies hujufmodi fœminarum pœnitentium numerus, & Inftitutio, affidua Beati Andreæ folicitudine, ac diligentia, qui, quas ipfe primus feminarat pietatis fruges, agri Dominici laboriofus Cultor, etiam, atque etiam excolere nunquam deftitit.

„ Vitiofi quidam, corruptique mores altas in Placentinæ Diœcefis Clero dudum radices fixerant: Has Paftorali zelo, fecundùm Tridentini Concilii de reformatione Decreta, Paulus Epifcopus evellere cupiens, Beati Andreæ operâ, opportuno fatis confilio uti cogitavit. Andreas ergo, quamquàm ignoti nominis advena, Dux piis Viris huic rei adlaborantibus datus, difficillimum reformationis opus ad extremum ufque perfecit.

„ Interea, ad Religionis fuæ incrementa, vigilans in Lombardiæ Provincia Vifitator eft defignatus, & poftmodùm, ut in novo Collegio, Præpofiti munere fungeretur, iterum Mediolanum miffus, ubi nova exhibuit Sancto Carolo Borromæo exempla probitatis. In quibus illud fanè præcipuum, quod ex eleemofynis à liberali manu Sanctiffimi Archiepifcopi quolibet menfe Andreæ donatis, ipfe, illa tantùm portione retenta, quæ ad alendam Familiam fuam erat fatis, reliquum, Sancti Patris fui Cajetani imitator diligentiffimus, ad ipfum donatorem remittebat. Romanam item, ac Neapolitanam Provinciam vifitaturus acceffit, in quibus maximas Ordini fuo utilitates afferre curavit. Denique, quamquàm ab omni Superioritatis gradu maximè abhorreret, invitus ad regendam Neapolitanam Sancti Pauli Domum, Deo fic difponente, iterum adfcitus fuit, ut infignior ejus Virtus magìs, atque magìs eluceret. Etenim orto ea in Urbe ingenti Populi tumultu ob annonæ caritatem, Andreas non folùm quidquid frumenti domeftico in horreo fervabatur, pauperibus diftribuit, verùm etiam, ut Divinam averteret iram, folennem fupplicationem indixit: unde Beati Viri verbo, & exemplo quamplurimi ad pœnitentiam revocati, fefe è tumultuantium numero fubtraxerunt; quo factum eft, ut feditionis furor penitùs conquieverit.

„ Verùm pro coronide rerum à Beato Andrea præclarè geftarum, hoc unum ultimo loco addere fufficit. Duobus peculiari religione votis fefe Deo Vir piiffimus

„ ſimus obſtrinxerat. Unum erat, quo ſemper propriæ voluntati obſiſteret: Alterum, quo Divinæ gratiæ adjutus præſidio ad novum aliquem de die in diem perfectionis gradum contendere, firma ſponſione, ſtatuerat. Quibus promiſſis fideliter ſtetiſſe conſtat; tum ex iis, quæ breviter hactenus dicta ſunt; tum ex aſperrimis ſui Corporis afflictationibus, quibus, veluti pœnitentiæ victimam ſanctæ mortificationis gladio mactatam, ſeſe obtulit Deo viventi: qui hujus hoſtiæ odoratus odorem ſuavitatis, bene multa Cariſmatum dona, ad ejus Sanctitatem manifeſtandam, fideli Servo ſuo largiri dignatus eſt, veluti maximarum ſigna virtutum. Emicuit inter ea divinitus collatum penè familiare prophetiæ lumen; Quo quidem illuſtratus, & futura, & abſentia, quaſi præſentia ſæpe vidit; Et quod ſummum eſt, cordium ſecreta funditus aliquando penetravit.

„ At jam octavum ſupra octuageſimum ætatis ſuæ annum, qui erat 1608. reparatæ ſalutis, attigerat Beatus Andreas, cùm è ſtrato ſurgens primo mane, Sacellum ingreſſus, ac Sacerdotalibus de more ornamentis indutus, ad Aram Miſſæ Sacrificium celebraturus acceſſit. Ubi verò rem divinam agere cœpit, ad illa verba: *Introibo ad Altare Dei*: ita repente apoplexiâ perculſus fuit, ut, niſi Miniſter Sacrificio inſerviens jam jam labantem, ſuppoſita manu, ſuſtentaſſet, dubio procul in terram corruiſſet.

„ Accurrère protinus adſtantes; tum Patres hac de re admoniti ſupervenientes, Beatum Senem, ut ut eis datum, in ædem Templo proximam adductum Sacris Veſtibus exuerunt. Quapropter plurima ſunt adhibita, ſed incaſſum, medicamenta. Nam prævalida morbi vis omnem ei loquendi uſum interdixerat, illæſa tamen in totum diſcernendi facultate; quod per data ab ipſo ſigna planè compertum fuit. Etenim motibus quibuſdam, ac nutibus, ut ad Aram majorem perduceretur, ardens deſiderium oſtendit.

„ Cùm verò Superior, an ſuſcipiendæ Euchariſtiæ gratiâ id expeteret, interrogaſſet, annuit ille iterato Capitis flexu: nec à nutibus deſiſtere, aut quieſcere viſus, niſi, cùm hoc de negocio ſe idem Superior illi facturum ſatis ſpopondiſſet, poſtquàm ſcilicet, quod erat tunc opportunius, in Cubiculum ægrotans aſportatus fuiſſet. Eò perductus, ac lectulo ſtratus, Medicis, qui jam advenerant, nullam ſalutis ſpem dantibus, ſed intrà paucas horas ægrum moriturum pronunciantibus, Sanctiſſimo Viatico primùm, extrema dein Unctione munitus fuit. In tanta verò perturbatione ſpirituum; id planè mirandum, quod ſingulari Dei beneficio, ita mente ſemper integra permanſit, ut viſo à longè in Sacerdotis manibus Diviniſſimo Sacramento, datis haud vulgaribus pietatis, ac devotionis indiciis, è lecto ſurgere, quantum per vires licuerat, conatus fuerit, nonniſi humi ſtratus Dominum gloriæ in ſui cordis hoſpitium ſuſcepturus. Verùm nè id executioni mandaret, obſtitére pariter & morbi adverſarius impetus, & Superioris præceptum.

„ Itaque poſt ſuſcepta Eccleſiæ Sacramenta per aliquot horas aliquatenus conquieſcens, quamplurimis, tum ex religioſis Viris, tum ex ſecularibus in ejus Cubiculum introeuntibus, atque ab eo benedictionem poſtulantibus, ſingulos ille penitùs agnoviſſe indicans, ſingulorum votis, Paterna impartita benedictione, ſatisfecit. Extremo poſtmodùm ingruente agone (quoniam, non ſemel, ſe validiſſimum cum humani generis hoſte certamen in illa noviſſima lucta habiturum, ipſe prædixerat; ac propterea omnes orationi inſtantes vellet, quod iis intercedentibus Divinæ miſericordiæ auxilium, quo Victor evaderet, affuturum ſperaret) ſtatim ac ii, qui præſentes erant, Andreæ vultum, quaſi inducta pavoris, ac mœroris nube infuſcatum viderunt, pugnæ tempus à Beato Viro prædictum adeſſe rati, ferventiſſimas pro eo preces ad Deum fundere cœperunt. Verùm Andreas converſis iterum, atque iterum ad Imaginem devotiſſimam è cubiculi pariete pendentem firmiſſimo intuitu oculis, conſuetæ hilaritati redditus, placida, ſerenaque facie ex hujuſce Vitæ pelago ad æternæ tranquillitatis portum feliciter evolavit.

„ Qualis, quantaque fuerit poſt ejus obitum, quæ de Beato Andrea longè, latèque diffuſa eſt, fama ſanctitatis, notum eſt apud omnes. Igitur earum rerum, quas illo tempore accidiſſe conſtat, peculiarem, diſtinctamque narrationem ſilentio prætereuntes, quæ ſequuta ſunt paucis indicaſſe ſufficiet. Igitur Andreas anno 1608. eo mortis genere, quem paulò ante commemoravimus defunctus eſt: Anno verò 1625. inter Beatos ſolenni ritu adſcriptus. Etenim nondum latæ leges

„ ges erant, quibus cavetur, nè hujusmodi „ Beatificationis Servorum Dei quorumcumque, ac Canonizationis Causæ, nisi „ post elapsum ab illorum obitu annum quinquagesimum tractarentur: hoc solùm „ interea permisso; ut scilicet, & virtutum, „ & miraculorum probationes procurare, „ ac conficere liceret, nè per tam longa „ ætatum intervalla, certiora, atque illustriora monumenta sanctitatis prorsus intercideret. Quamobrem nonnulli statim post Beati Viri decessum, & ordinaria primùm, & Apostolica dein auctoritate efformati fuere Processus. Quorum „ examine, secundùm morem ea tempestate „ receptum, tribus antiquioribus Romanæ „ Rotæ Auditoribus demandato, actorum „ illi validitatem approbarunt, tum Beati „ Andreæ virtutes heroicum attigisse gradum, & octo inter alia, partim dum viveret, partim post mortem ab ipso patrata miracula communem operandi modum à natura institutum transcendisse, „ prævia legitima discussione, declararunt.

„ Horum omnium relatio in Sacra Rituum Congregatione exposita unà cum „ Rotali judicio seriam, rigidamque censuram subiit. Quâ peractâ, eadem Sacra „ Congregatio, & validos Processus, & „ Andreæ Virtutes heroicas esse censuit. „ Tum admissis inter vera, ac probata miracula, septem instantaneis sanationibus, „ etiam pro miraculo habendum dixit, „ quod hìc subjungimus. Accidit aliquando, ut Beatus Andreas Domum Camilli „ de Curtis Neapolitana in Curia Regentis, „ Catharinam Caraffam morbo decumbentem visitaturus, adiret, eique Christianæ pietatis officia more suo præstaret; „ Quibus indè perfunctus, circa tertiam noctis horam, recusato, quod in promptu „ erat, rhedæ commodo, pedes ad Domum „ Theatinorum à Divi Pauli nomine indigitatam reversurus, discessit. Interim „ copiosus, dum iret, ac penè inundans è „ Cœlo indesinenter cadebat imber: nihilo „ tamen minùs, nè una quidem aquæ guttula Servi Dei, Sociique Vestes aspersit, „ tetigitve. Immo homines duo, qui vix „ comites dati, ut accensam præferrent facem, ubi hæc imbrium, ac ventorum „ impetu extincta est, Andream repentina „ luce circumfusum viderunt, quare omnes „ ad Divi Pauli Cœnobium feliciter pervenére. Ad hæc, iidem duo per longum „ itineris tractum, & dum Dei Servo famularentur, & dum ad suas postmodùm „ ædes redirent, continuò maxima cir„ cumquaque imbrium copia decidente, in „ nulla, aut corporis, aut vestimentorum „ parte injuriam quantumvis minimam ab „ aquis undique confluentibus passi sunt.

„ Porrò quidquid à Sacra Rituum Congregatione de validitate Processuum tum „ de heroico Virtutum gradu, ac de miraculis judicatum, Summus Pontifex confirmavit. Deinde, cùm eadem Sacra „ Congregatio esse locum solenni Servi „ Dei Beatificationi dixisset; Urbanus VIII. „ Diplomate dato die 10. Junii anni 1625. „ Andream Beatorum fastis adscripsit: Et „ Clericis Regularibus Theatinis, ut in „ ejus honorem Officium, ac Missam de „ communi Confessorum non Pontificum „ celebrarent, recitarentque, die obitus „ Servi Dei anniversaria, quotannis indulsit. Eadem postea celebrandæ Missæ „ potestas Sacerdotibus quibuscumque die „ præfato in Ecclesia Patrum Theatinorum „ rem Sacram facturis ab eodem etiam „ Pontifice concessa fuit.

„ Interea Neapolitana Civitas, ac „ nonnullæ utriusque Siciliæ Urbes Beatum Andream in Patronum, ac Protectorem summa Religione sibi eligendum „ statuerant. Quapropter Urbanus Octavus, dato super hoc negocio speciali rescripto, Patribus Theatinis facultatem „ dedit, ut Neapolitanis Civibus partem „ Corporis Beati Andreæ dono darent inter lipsana Ecclesiæ Metropolitanæ reponendam. Fuit autem necessarium hujusmodi Apostolicæ Auctoritatis Decretum, quòd in generalibus Theatinorum „ Comitiis lege cautum erat, nè quemquam, „ vel minima à Beati Cadavere distracta „ portione, donatum vellent. Idem verò Summus Pontifex audita priùs hac de „ re Sacræ Rituum Congregationis deliberatione, ut de Beato Andrea, tamquam „ de Patrono, ac Protectore, apud Neapolitanos, Panormitanos, Capuanosque, „ & Missa, & Officium recitarentur, indulsit. Nondum enim ab Apostolica Sede, „ nè ii, qui Beatorum dumtaxat nomine „ insigniti, nec inter Sanctos adhuc solenniter relati fuerunt, in Urbium, locorumque Patronos adsciscerentur, statutum „ fuerat.

„ Igitur post Urbani VIII. generalium „ decetorum promulgationem, factâ novæ „ Commissionis gratiâ, negocium Canonizationis Beati Andreæ reassumptum fuit: „ atque ob Apostolicas hactenus commemoratas concessiones à legibus prædictis „ per Urbanum VIII. sancitis ejusmodi Cau-

,, Cauſam excipiendam eſſe à Patribus de-
,, claratum. Tum adauctâ in dies hujus
,, Servi Dei famâ ſanctitatis, ejus nomen
,, Pontificia ſanctione unâ cum illis, quæ
,, in Romano Martyrologio leguntur rite
,, adnumeratum: ac Patribus Theatinis per-
,, miſſum, ut proprias de Beato Andrea
,, lectiones à Sacra Rituum Congregatio-
,, ne, audito Fidei Promotore, approba-
,, tas in ſecundo Nocturno publicè recita-
,, rent. Datis poſteà Literis remiſſoriali-
,, bus, ut vocant, ac compulſorialibus, ut
,, earum rerum, quæ poſt Beatificationem
,, acciderant, probationes perficerentur,
,, varii de novo diverſis in locis conditi
,, fuere Proceſſus; quorum poſteà diſcuſſa,
,, ac probata validitas. Tum ex octo à Po-
,, ſtulatoribus in Congregatione coram
,, Sanctiſſimo Domino Noſtro habita pro-
,, poſitis miraculis, tertium, quartum, &
,, ſextum plenis calculis approbata.

,, Fuit autem tertium ſanitas Jacobo
,, Giovio in inſtanti reſtituta. Hic enim
,, attracta, atque exſiccata nervorum com-
,, page in dimidia ſuperioris Corporis par-
,, te vitale officium minimè expeditum ha-
,, bebat.

,, Quartum fuit inſtantanea item cura-
,, tio Joannis Baptiſtæ Corizzi à nimis pro-
,, fundo capiti inflicto vulnere, nè relicto
,, quidem, vel minimo, cicatricis indicio.

,, ,, Sextum denique fuit Pueri Scipionis
,, Arlei inſtantanea pariter ſanatio; ſiqui-
,, dem hujus graviter contuſa frons, ac la-
,, xatæ, quæ per collum extenduntur, ver-
,, tebræ, illico fuerunt priſtinæ integritati
,, reſtitutæ.

,, His itaque ordine ſuo peractis, San-
,, ctiſſimus Dominus Noſter CLEMENS XI.
,, dilato per id temporis judicio, ut preci-
,, bus ad Deum de more porrigendis, ac in
,, re tam gravi ſummè neceſſariis in ante-
,, ceſſum vacaret, poſtmodum die 25. Maji
,, anni 1704. tria proximè laudata miracula
,, ſuffragio ſuo comprobavit.

,, Denique, cùm die 18. Novembris
,, ejuſdem anni 1704. generali Congrega-
,, tione coram Sanctitate Sua, indicta, pro-
,, poſito Dubio: *An tutò ſolennis Beati*
,, *Andreæ Canonizatio perficienda foret*,
,, affirmativè Patres reſpondiſſent: eadem
,, Sanctitas Sua, & preces ipſa fundere ſta-
,, tuit, & ut à Chriſtifidelibus funderentur
,, indixit. Poſtremò vocatis, & Secretario
,, Sacræ Congregationis, & Fidei Promo-
,, tore die 12. Maji anni 1707., ut Beatus
,, Andreas ſolenni Ritu Sanctorum albo
,, adſcriberetur, decrevit, cujus Decreti
,, executionem enixè modò flagitat Patrum
,, Theatinorum Ordo univerſus, qui poſtu-
,, lationibus Catholicorum Regum, ac
,, Principum dudum in ipſa Cauſæ introdu-
,, ctione Apoſtolicæ Sedi exhibitis ſuas
,, etiam humillimas preces adjungit.

COMPENDIUM

Vitæ, Virtutum, & Miraculorum, necnon
Actorum in Cauſa Canonizationis
B. FELICIS à Cantalicio Laici
Capuccini

Ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum.

,, CAntalicium Diœceſis Civitatis Du-
,, calis Caſtrum, in Reatinorum fi-
,, nibus poſitum, Beati Felicis Natale ſo-
,, lum fuit. Hic enim anno 1513. (ut vero-
,, ſimiliter fert opinio) ex Parentibus ma-
,, nuum laboribus, agrorumque culturæ
,, addictis, piis tamen, ac Deum timenti-
,, bus, primam lucis uſuram accepit. Anno
,, dein 1543. Capuccinorum Religionem
,, ingreſſus eſt: Ac tandem die 18. Maji an-
,, no 1587. ex hac Vita deceſſit.

,, Felix, ubi primùm ei per ætatem li-
,, cuit, Agriculturam & ipſe exercere cœ-
,, pit: quo in ſtatu jam indè à Puero pluri-
,, ma ab eo exhibita fuerunt indicia Sancti-
,, tatis, quæ futuram hujus Beati Viri ad-
,, mirabilem virtutem præſignabant. Erat
,, quippe apud omnes rectè vivendi exem-
,, plar, à quavis peccandi occaſione abhor-
,, rens, Beatæque Virginis Mariæ cum pri-
,, mis aſſiduus, fervenſque Cultor.

,, Literarum planè rudis, geſta Vete-
,, rum Patrum ab aliis ſibi prælecta conti-
,, nuò imitari cupiens; ubi illorum quoſ-
,, dam rigidioris abſtinentiæ Sectatores,
,, paucis pro cibo fructibus, ac legumini-
,, bus contentos eſſe animadvertit, inſpi-
,, rante Patre luminum, Capuccinorum
,, Regulam, auſteros Eremitarum mores
,, inter Cœnobitas renovantem, ſumma
,, animi contentione amplectendam decre-
,, vit. Quare hujuſmodi conſilium Viro Re-
,, ligioſo, qui Fratribus prædictis in Civi-
,, tatis Ducalis Cœnobio præerat, patefe-
,, cit. Accidit autem, ut quantò magìs iſte
,, rigorem, atque aſperitatem Inſtituti Ca-
,, puccinorum Felici ob oculos ponere ſa-
,, tagebat, tantò ille ferventiori conatu ad
,, ineundam aſperrimæ hujus Vitæ ratio-
,, nem incenderetur. Denique Felicem in
,, Eccleſiam prudens Superior (Guardia-
,, num Minores Fratres appellant) adduxit;
,, illique, oſtenſa Crucifixi Imagine: *En*, in-
,, quit,

„ quit, *quanta pro nobis Jesus Christus* „ *Dominus noster perpessus est*! His audi- „ tis, ita compassivi doloris jaculum Beati „ Felicis Animam transverberavit, ut in ef- „ fusissimas lacrymas erumpere visus fuerit. „ Sensit propterea Guardianus, quàm ar- „ dens, firmumque foret Felicis in Sancta „ vocatione propositum.

„ Acceptis igitur Literis ad Romanæ „ Provinciæ Præsulem, Romam se contulit, „ ut quod diu, multumque optaverat, Re- „ ligiosæ professionis habitum inter Fra- „ tres Capuccinos impetraret. Optimi ado- „ lescentis desiderio à Patribus factum sa- „ tìs; qui, ut annum probationis de more „ compleret, Felicem, Anticolim (hoc in „ loco Cœnobium erat ad id designatum) „ miserunt.

„ Mira hic edere cœpit Serafici Patris „ imitator, humilitatis, obedientiæ, ac „ ferventissimæ devotionis exempla. Sed „ aliquali postmodùm morbo correptus, „ parum abfuit, quin ab emittenda profes- „ sione arceretur; At integerrimis moribus, „ rectaque Felicis indole bene pensitatis, „ illum eorum contubernio dignum Patres „ existimarunt, præsertim, cùm adversam „ ejus valetudinem nihil prorsus obstitisse „ viderint, quin omnes ipse muneris sui „ partes adamussim expleret.

„ Solenni ergo professione emissa, Fe- „ lici, quoniam & laboribus idoneus, & „ morum candore insignis, & sancta qua- „ dam simplicitate conspicuus meritò repu- „ tabatur, Superiores quæritandi ostiatim „ per Urbem res alendis Fratribus necessa- „ rias curam demandarunt. Quod sanè la- „ boriosum munus per integros quadra- „ ginta annos, admirabili patientia, mode- „ stiaque insigni, ita exercuit, ut nemini „ offendiculo, omnibus esset exemplo. Ut „ verò hujus Viri Dei imaginem suis depi- „ ctam coloribus, quoad fieri potest, ante „ oculos habeamus; breviter hìc illa recen- „ senda est vivendi ratio, quam ille iniit, „ & in Cœnobio cum Fratribus vivens, & „ per Urbem excurrens eleemosynas col- „ lecturus.

„ Erat illi in Conventu semper cara, ac „ dilecta solitudo, non aspera illa quidem, „ & humanitatis expers, sed quæ, dum „ charitas, amorque fraternitatis id postu- „ larent, comis, blanda, & officiosa. Erant „ Divini amoris igne examinata, & casta, „ tum semper ad proximorum ædificatio- „ nem directa ejus eloquia. Nullum, quod „ propriæ laudis quidquam saperet, ver- „ bum protulit unquam humillimus Dei „ Servus; erga singulos, suos præsertim „ Superiores, obsequentissimus. Si quid „ quandoque in aliquibus corrigendum „ animadverteret, Christianæ charitatis „ lege compulsus, hoc parum alioquin su- „ perbæ naturæ gratum remedium, ita dul- „ ci humanitatis condimento, ac pruden- „ tiæ sale mitigabat, ut nullius iram, atque „ indignationem moveret; sed potiùs leni- „ ter, quos monebat, ad meliorem frugem „ amplectendam induceret.

„ Egregia in eo virtus obedientiæ pro- „ micuit; quæ profectò in Viro petendæ „ eleemosynæ causâ extra Monasterii septa „ dies penè totos insumente, censenda est „ singularis, cùm Fratribus hujusmodi offi- „ cia exercentibus liberior quædam vagan- „ di potestas sæpe concedatur. Si quid ex „ assiduis hujus actuosæ Vitæ laboribus, su- „ pererat temporis, Felix, veterum Mona- „ chorum ritu, otii inimicus infensissimus, „ in efformandis ligneis quibusdam Sanctæ „ Crucis simulacris, protinus ad excitan- „ dam Jesu Christi passionis memoriam de- „ votè distribuendis, insumebat. Sanè, ut „ quàm piè, sanctèque inter domesticos „ Cœnobii parietes vixerit Beatus Felix „ plenè innotesceret, unum sufficeret dixis- „ se: illum scilicet Sanctissimi Ordinis, „ quem profitebatur, Instituta integre, in- „ violabiliterque servasse; Adeout etiam „ statis apud Capuccinos horis, orationi „ mentali quotidie semper interfuerit, „ quamquam ministerii onus, quo indesi- „ nenter occupabatur, aliter ei suadere „ potuisset.

„ Verumtamen non ea solùm, quæ Ca- „ puccinorum Regula statuit, fideliter im- „ plere, sed quamplurima peculiarium vir- „ tutum exercitia Felix ad majoris perfe- „ ctionis apicem contendens, superaddere „ visus fuit. Nam præscriptam Fratribus „ Laicis semel in hebdomada Dominici „ Corporis sumptionem, ter ille in heb- „ domada frequentavit. Tum per quinde- „ cim, qui obitum suum præcessere, annos, „ Sacerdoti primam in Ecclesia Missam ce- „ lebranti devotè ministrans, singulis die- „ bus Divino Eucharistiæ pane, Directori- „ bus id permittentibus, refectus est. No- „ verant enim ejus conscientiæ moderato- „ res eximiam Beati Viri puritatem, igni- „ tumque Divinæ Charitatis fervorem, „ quare illi quotidianæ Communionis gra- „ tiam meritò concedendam putarunt: ille „ verò, & uberrimo lacrymarum imbre „ perfusus, ut vix, ac nè vix quidem ali- „ quando Confessionem, quæ Communio- „ ni

„ ni præmitti solet, proferre valeret, & „ summo devotionis æstu ad Cœlestem „ mensam inhians, mira panis Angelici, „ omne delectamentum in se habentis, sua- „ vitate recreabatur.

„ Primo noctis crepusculo, Fratribus „ de more in Ecclesia vigilantibus, aliqua- „ lem lasso Corpori requiem daturus, cu- „ bitum ire solebat. At secundâ noctis ho- „ râ surgens è lectulo, Ecclesiam, statim ac „ Fratres ab ea recessissent, ingrediebatur, „ ibique remotis arbitris, aut in Cœmete- „ rio subtus Ecclesiam posito, aspero fla- „ gello Corpus suum diverberabat. Indè „ cum vocali, tum mentali orationi inten- „ tus, usque dum tempus matutinas lau- „ des recitandi advenisset, inter Divina „ commercia vigilabat; atque, ut Ecclesiæ „ Curatori, qui ex munere id agere de- „ buerat, levamen afferret, consueta signa, „ quibus ad Matutinum Fratres excitantur, „ ipse dabat: ac protinus Cellam repetens, „ modicissimo somno aliquantulum refe- „ ctus, expletis matutinis laudibus, ite- „ rum Ecclesiam ingressus, Sanctæ Oratio- „ nis studia ad auroram usque prosequeba- „ tur. Quâ primum illucescente, dato so- „ lito Campanæ signo pro Angelica saluta- „ tione recitanda, primæ Missæ Sacrificio „ adstabat, non priùs ab Ecclesia egressu- „ rus, nisi cùm tempus exeundi è Conven- „ tu ad eleemosynas petendas advenisset.

„ Duo solennia jejuniorum tempora „ apud Fratres Minores Capuccinos, san- „ cita lege, servantur. Unum omnibus „ Christifidelibus commune, quod qua- „ dragesimale appellamus. Alterum pe- „ culiari Statuto inter Fratres Minores re- „ ceptum initium sumit à Festo omnium „ Sanctorum, & usque ad Dominicam Na- „ tivitatem producitur; quibus insuper „ Capuccini Fratres speciatim tertium ad- „ dere solent, idque Benedictorum nomi- „ ne, ex oraculo S. Patris Francisci, com- „ muniter indigitant. Hisce solennibus „ jejuniis alia nonnulla superaddidit Bea- „ tus Felix rigidissima, supra communem „ usum, exactè servatâ abstinentiâ, dua- „ bus præsertim sextis feriis, ac Sabbatis „ Dominicas Resurrectionis, ac Penteco- „ stes præcedentibus, in quibus ab omni „ prorsus alimento abstinere consuevit.

„ Quoniam verò ob muneris sui exer- „ citium, statâ horâ communi Fratrum re- „ fectioni interesse rarissimè poterat, pecu- „ liarem quemdam, inaffectatum, & Fra- „ trum oculos fugientem, jejunandi mo- „ dum invenit. In Romano Capuccinorum „ Cœnobio, ob ingentem Fratrum multi- „ tudinem, quorum nonnulli, justis de „ causis, à primo sumendæ refectionis tem- „ pore eximuntur, quasi per omnes diei „ horas, mensæ locus, pane dumtaxat sin- „ gulis mantilibus supposito, paratus in- „ visitur. Redux igitur à munere suo Bea- „ tus Felix, non advocatis mensæ Ministris, „ solo pane contentus, & libentiùs ali- „ quando collectis, quæ in Cistula supere- „ rant, fragmentis, hauftâ è puteo aquâ, „ sitim sedabat; Vino dumtaxat, & com- „ munibus Fratrum cibis tunc refici soli- „ tus, cùm hæc à Ministris de ejus reditu „ certis palàm apponerentur.

„ Sæpissimè verò, ut promptiùs de no- „ cte surgeret, dormiebat incœnatus. Sto- „ rea nudis trabibus superposita lectuli lo- „ co ipsi erat: pulvinar, lignum palmitum „ malè junctorum fasce involutum. Post „ tot, tantosque per diem exantlatos la- „ bores, somnum tandem aliquando ca- „ pere coactus, non jam stertens, sed de „ genu flexus supra lectulum, supposita ma- „ nu caput substentabat, & nonnisi extre- „ ma naturæ lassitudine ad id cogente, som- „ num brevem, secundùm meræ necessita- „ tis mensuram, recubans carpebat. Nu- „ dis semper pedibus incessit: Sandaliis „ numquam usus, nisi per octo ante obitum „ annos, hyemali dumtaxat tempore, tum „ ob senectutem, tum ob colicæ affectio- „ nem, quâ graviter affictabatur, cujusque „ insultus eximiâ, atque heroicâ patientiâ „ toleravit.

„ Quotidiana ambulandi exercitatio- „ ne, disruptæ calcaneorum cuti, ad vim „ doloris augendam, crassiori ex filo sutu- „ ras inducere solebat. Septem celebrio- „ res Urbis Basilicas [quod frequenter „ agebat] devotionis gratiâ visitaturus, „ interulâ ferreis annulis intertextâ, quam „ modò hìc, modò illic in ædibus per viam „ occurrentibus clam abscondere solitus „ erat, ad nudam carnem indutus, incede- „ bat. Quod quidem pium macerandæ „ carnis instrumentum, veluti quoddam „ insignis pœnitentiæ trophæum, post Bea- „ ti Viri mortem Bavariæ Duci dono dede- „ re Patres Capuccini inter venerandas re- „ liquias collocandum.

„ Hactenus de claustrali, ac domestica „ vivendi ratione, quam Beatus Felix inter „ Fratres, non interrupto virtutum exerci- „ tio, usque ad exitum Vitæ prosequen- „ dam curavit. Nunc ad ea, quæ per Ur- „ bem eleemosynas colligens, latè præbuit „ pietatis, ac religionis documenta, gradum „ faciamus.

„ Mirabile profectò fuit, ut fidelis Domini Servus, alienis semper commodis addictus, numquam de nimia, gravique laborum sarcina questus fuerit. Mirabile fuit, ut per longum annorum quadraginta decursum, nullus de eo rumor ad aures Superiorum pervenerit, qui integerrimæ ejus probitatis nomen, morumque candorem, vel minimùm infuscaret. Mirabile fuit, ut nemo unquam à semel suscepto munere Felicem submovendum putaret: Ut nullus demum fuerit, qui de Beato Viro, aut sinistri quidquam suspicari, aut malè obloqui auderet, tametsi ille Viros inter, ac Mulieres indiscriminatim, officii sui causâ, versari penè quotidie coactus fuisset. Tam sancta, tam prudens, tam grata omnibus erat ab eo suscepta vivendi ratio; Tam insuper eximia, tam singularis illius modestia, ut nunquam oculos, purissimæ castitatis amator, in Mulierum vultus licenter conjiceret; Numquam vanæ curiositati indulgens per vicos, & plateas oberrare visus: nulloque sæcularis amicitiæ, aut suspectæ familiaritatis vinculo obstrictus fuerit.

„ Spargebat passim, verbo, & exemplo irreprehensibilis, efficacia salutis monita, ac cœlestis semina pietatis. Benefactoribus ægrotantibus summa charitate præsens aderat, ea, quæ poterat, cum animæ, tum corporis solatia collaturus, precesque pro eis & fundebat ipse, & ut Fratres reliqui in Oratorio funderent, auctor erat. Nobilium, plebejorum, divitum, pauperum, omnium votis satisfacere paratus, singulis ædificationem, singulis opportunum levamen afferebat. Si aliquando contigerat eum cum aliqua ex illustribus fœminis de animæ negocio sermonem habere, à laudibus cujuspiam probæ Mulieris facto verborum initio, ad hujus perfectionem, ad quam illa nondum accesserat, colloquentem inducere consueverat. Quæ pietatis sensa intimo cordis affectu prolata, atque unicè ex desiderio salutis alienæ profecta, ingentem in Audientium animis virtutis amorem excitabant.

„ Tantus erat in eo rerum divinarum fervor, tantusque simplicitatis, & innocentiæ candor, ut sæpe à devotis amicis ad id invitatus, cantiunculas quasdam à se olim digestas, ut Divini amoris flammas excuteret, & recitare, & canere quandoque, minimè recusaret. Si quæ Familia ad egestatem redacta in oculos Beati Felicis incurrerat, hanc ille, protinus collato, quod in promptu erat, subsidio, benignè sublevabat, facta à Superioribus facultate, ut tamquam dispensator Fidelis, ubi necessitas cogeret, aliquid ex collectis eleemosynis in pauperum usum erogaret. Summa rectæ intentionis puritate præditus, quacumque ex re hortandi proximos ad bona opera exercenda opportunitatem mirificè capiebat. Contigit aliquando, ut in Bibliotheca Jurisperiti cujusdam sua tempestate insignis, hinc magnam librorum copiam, illinc Crucifixi Imaginem prospiceret: Quamobrem statim in hæc verba prorupit: Inutilia prorsus erunt tot librorum volumina, nisi, & ut Jesum Christum discamus, & ut mandatis ejus fideliter obtemperemus, inserviant.

„ Satìs, superque conspicua sunt, quæ & Cardinalis Sfortia, & Divus Philippus Nerius de Beato Felice humilitatis experimenta cœperunt. Beatum Felicem semel per Urbem incedentem laudatus Cardinalis advocavit; tum Rosam auriculæ impositam, ac malum persicum odorantis in morem gestare, & per vicos, & plateas incedere jussit. Paruit illico Servus Dei, & admirantis Populi ludibriis contemptis, sic incedens ad Cœnobium usque humiliter perrexit.

„ Summam cum Divo Philippo Nerio familiaritatem, ac necessitudinem Beatus Felix contraxerat. Igitur accidit, ut semel in una ex celebrioribus Urbis Romanæ semitis, alter alterum offenderet: Tum peractis de more vicissim humanitatis officiis, Felix, Philippum an sitiret interrogavit, cui Philippus, Maximè, respondit. Tunc Felix: Modò experiar, inquit, an verè mortificationem diligas, & ei lagenam è collo subductam, ut biberet, ministravit. Hinc adstantis Populi multitudo Philippum sic bibentem admirata nihil ex eo offendiculi cœpit, sed omnes uno ore dixerunt: Ecce quomodò Sanctus Sancto propinat ad bibendum. Philippus autem, ut Felici suam rependeret vicem, novoque humilitatis experimento illius Sanctitatem probaret, pileum suo è capite detractum Felicis capiti imposuit, atque, ut eo coopertus ambularet, injunxit. Dicto paruit Felix. Quare Philippus, cui Felicis humilitas satìs perspecta erat, resumpto pileo reliquum viæ, Felice comite, est prosequutus, disceptantibus qui aderant, quis eorum altero humilior foret, perfectiorque.

„ que. Multa præterea leguntur in actis „ horum Sanctorum, quæ mutuam inter ipsos amicitiam, ac familiaritatem maximè „ testatam faciunt. Etenim sæpe invicem „ se se invisere solebant, ea tenerrimi amo„ ris significatione, ut aliquando præ gau„ dio, dulces inter amplexus, nec verbum „ quidem proferre possent.

„ Sed jam novissimum vitæ suæ tempus „ instare Beatus Felix agnovit. Quo qui„ dem splendidiora sunt, quæ ipse edidit „ exempla virtutum, ac signa Sanctitatis. „ Obitum enim suum ante præscitum jam „ jam futurum bis prænuntiavit, & in ædi„ bus Olgiatorum, cùm se non ampliùs ad „ petendas eleemosynas illuc accessurum „ dixit, & in ædibus pariter Cæsarinorum, „ ubi datis præter morem ad osculandum „ manibus, se quantocius hanc vitam reli„ cturum, illosque præsentiæ suæ copiam „ haud iterum habituros, adstantibus quam„ plurimis, auditus est affirmare. Et sanè „ non diu post lethali morbo vexatus de„ cubuit. Quapropter sanctæ obedientiæ „ virtute, ut iis uteretur commodis, quæ „ Fratribus Infirmis permittuntur, Supe„ riores præceperunt. Ipse verò, quamdiu „ per vires licuit, è lectulo surgens ad Ec„ clesiam Deum oraturus convolabat; do„ nec id quoque eadem obedientiæ lege „ ipsi interdictum fuit. Denique novissimo „ mortis agone, singulari constantiâ tolera„ to, Ecclesiæ Sacramenta, ut petiit, sum„ mo pietatis, ac religionis fervore susce„ pit, visâque Cœlorum Reginâ Angelicis „ Choris comitatâ, extremum Vitæ spiri„ tum suaviter exhalavit.

„ Sic igitur exactis inter Fratres Ca„ puccinos annis ferè quatuor, & quadra„ ginta, Beatus Felix die 18. Maji anni „ 1587. plenus dierum, & meritorum ex „ hac laboriosa vita ad æternæ quietis sta„ tionem migravit. Ita verò Sanctitatis „ ejus fama, dum inter vivos ageret, lon„ gè, latèque percrebuerat, ut statim ac „ illius obitus innotuit, innumera Romani „ Populi multitudo ad Ecclesiam Divi Bo„ naventuræ turmatim accurrens non nisi „ difficillimè Beati Cadaver ad Templum è „ Cœnobio transferendum permiserit.

„ At media in Ecclesiâ locato tandem „ corpore sensim longè frequentior inva„ luit concursus. Osculari pedes, discin„ dere Vestes, Capillos, pilosque è mento, „ ac capite certatim divellere pia turba sa„ tagebat. Quare Cadaver è medio sub„ latum intrà Aræ majoris Cancellos, at„ que, ut à singulis commodè conspici pos„ set, eminentiori situ locare necesse fuit. „ Quo in loco Marianus Perbenedictus Ur„ bis Gubernator prudenti consilio Curiæ „ Ministros adstare jussit. Verùm Populi „ fervor in ædiculam, quam Beatus Felix, „ dum viveret, incoluerat, summa vi ir„ rumpens, quidquid in ea reperit, tam„ quam pietatis monumentum abstulit, di„ straxitque.

„ Interea Cardinalis Sanctæ Severinæ „ Ordinis Capuccinorum eo tempore Pro„ tector, præter morem à Fratribus hacte„ nus servatum, plumbeam propriis expen„ sis arcam faciendam, atque in ea positum „ Beati Felicis Corpus, in Cœmeterio, quod „ erat Fratrum sepulturæ destinatum, se„ peliendum curavit. Cùm verò in dies „ frequentior devotus Populus ad Cœme„ terium ventitaret, sive Beati Felicis in„ tercessione Divinam opem imploraturus, „ sive pro acceptis beneficiis Deo gratias „ acturus; pretiosum Corpus è Cœmeterio „ in Templum transferre, atque in dextera „ parte sacelli Jesu Christo Crucifixo dica„ ti, Cardinalibus Sanctæ Severinæ Ordi„ nis Protectore, ac Rusticuccio Sanctissimi „ Domini Papæ Vicario præsentibus, se„ pulturæ mandare visum est opportunum.

„ Tantum verò abfuit, ut indè Populo„ rum concursus deferbuerit, ut valentio„ res postea vires (Deus enim hujus Servi „ sui precibus quamplurima miraculorum „ dona impartiri dignabatur) per tempus „ acquisierit. Porrò Sixtus Quintus Ponti„ fex Maximus, cujus auctoritate Corpo„ ris translatio è Cœmeterio ad Ecclesiam „ peracta creditur, duodecim comitantibus „ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, „ postquam Eucharistiæ Sacramentum in „ Ecclesia Patrum Capuccinorum adoravit, „ Sacellum Sanctissimi Crucifixi, ac Beati „ Felicis sepulchrum genuflexus invisit, „ ejusque precibus sese commendavit. Idem „ præstitit Gregorius XV., qui singulares „ à Deo gratias hujusce Servi Dei interces„ sione testatus est accepisse. Beati Felicis „ imaginem Paulus V. imprimi permisit, „ addita Epigraphe, quæ illius sanctitatem „ indicaret.

„ Porrò, cùm multos super virtutibus, „ ac miraculis Beati Felicis compilassent „ Processus, Ordinarii simul & Apostolici „ Delegati; contigit, ut antequàm de præ„ dictis agendi locus datus fuisset, Urbani „ Octavi decreta evulgarentur, quibus re„ motio, ac suspensio cultus præscribitur „ quorumcumque Dei Servorum, quos „ nondum Romana Sedes, aut inter Beatos,

„ aut inter Sanctos recensendos dixisset. „ Quare exorto dubio: *An horum Decretorum vigore Beato Felici cultus denegandus esset?* idem Pontifex Urbanus „ Octavus, quòd Beato Felici Pontificiæ auctoritatis interventione fuerat jam cultus „ exhibitus, eumdem cultum interrumpi, „ nec posse, nec debere, minimèque hujusmodi casum legibus ab eo latis obnoxium esse declaravit. Quamobrem ex „ more, qui tunc temporis obtinuerat, tribus antiquioribus Romanæ Rotæ Auditoribus, Beatificationis, & Canonizationis Beati Felicis Causa est demandata; „ qui validitatem actorum, virtutes in gradu heroico, & miracula, facta omnium „ prædictorum relatione, approbaverunt.

„ Tum Sacra Rituum Congregatio, „ iisdem sedulò perpensis, de virtutibus in „ gradu heroico, & de quatuor miraculis „ plenè constare pronunciavit, ac Summus „ Pontifex Congregationis judicium confirmavit. Fuerunt autem probata miracula, quæ sequuntur.

„ Clarix Guarneria Mulier Romana, „ molestissimo pedum tumore, tantâ doloris vehementiâ, ut è lecto surgere minimè posset, laborabat. Tertius annus „ erat, ex quo vi morbi ita afflictabatur, ut „ viribus macie penè consumptis, vix ipsi „ per lectulum sese movere concederetur. „ Itaque post adhibita incassum pharmaca, „ Beati Felicis opem expetitura, ad Ecclesiam Capuccinorum advehitur, ibique „ inunctis à Viro Religioso ægrotæ pedibus, oleo lampadis ad Sepulchrum Beati „ Felicis accensæ, statim, & dolor, & tumor evanuit, ut incolumis Domum repetere potuerit, ac si nullo umquam morbo „ affecta fuisset.

„ Paulus item Tiburtinus Capuccini „ Ordinis Professor, Romano in Cœnobio „ degens, articulari morbo correptus (cujus tanta vis erat, ut non solùm ei motum, incessumque, verùm etiam nè manum ori admovere posset, prohiberet,) „ quadraginta dierum spatio miserum in „ morem penè desperatus jacuerat. At Beati Felicis implorato præsidio, has sibi visus est audire voces: *Meum pete Sepulchrum*. Quare cùm è lecto surgere conanti morbi violentia impedimento esset, denuò Beatum Felicem oravit ægrotus. Præsens statim adfuit Beatus Felix, „ mirisque irradiatâ splendoribus Cellâ, „ jussit, ut oleum è sua lampade sumptum „ acciperet, efficax in eo adversùs morbi „ violentiam præsidium habiturus; credidit dictis ægrotus; oleoque inunctus statìm convaluit pristinæ sanitati restitutus.

„ Dominicus Floronus ex Agro Tiburtino oriundus, acuta, continuaque febri „ divexatus, apoplexiâ, paralysi, aliisque hujusmodi symptomatibus supervenietibus, „ miserandum in modum jacebat ægrotus. „ Et jam cancer latus ejus corrodere, tumor præterea caput, ac quasi totum corpus extendere cœperat, unde frustra omni Medicorum ope advocata, menses excurrerant quatuor, ex quo immobilis veluti Cadaver in proximo moriturus existimabatur. Uxor igitur Romam accedens „ in Beati Felicis intercessione omni posita „ fiducia, ejusdem lampadis oleum Domum „ reversa attulit; ægroti Corpus unxit, & „ illico omnem illam morborum congeriem abscessisse comperit, ac summâ lætitiâ maritum integram Corporis Sanitatem consecutum fuisse, mirata est.

„ Puer annorum quatuor à variolis malè habitus oculorum lumen penitùs amiserat, ut nec quod ei comedendum porrigebatur, agnoscere, nec nummorum „ valorem discernere, nec nisi adhibito „ viæ duce incedere posset. Quapropter „ cùm nulla medicamentorum subsidia profutura viderent mœstissimi Parentes, unì „ Deo, quem, Beato Felice intercedente, „ quamplurima patrare miracula non ignorabant, Filii sanitatem commendandam „ putarunt. Inunctis igitur, sæpius laudatæ lampadis oleo, Pueri oculis ante Servi Dei Sepulchrum, statim videndi usum „ Filio restitutum mirabiliter agnoverunt.

„ His itaque miraculis, ac virtutibus „ luculenter probatis, Felix Beatorum fastis adscriptus est; nam Urbanus Octavus „ Pontifex Maximus dato Apostolico Diplomate Kalendis Octobris anno 1625. „ ut Felix Beati nomine insigniretur, atque ut Officium, ac Missa in ejus honorem quibusdam in locis celebrari possent, „ indulsit. Quod posteà Indultum latiùs „ fuit ampliatum.

„ Jamque ab anno 1630. Beati Felicis „ nomen Romano Martyrologio fuit adscriptum; Ut verò à Beatificatione ad solennem Canonizationem jure suo pateret „ iter, novam Innocentius Decimus facultatem commisit. Unde confectis denuò „ Apostolica auctoritate Processibus, eorumque expensa, ac probata validitate, „ perseverare, & sanctitatis famam, & venerationem, & cultum, & Populorum „ erga Beatum Felicem devotionem Patres de-

„ declararunt. Item præhabito Sacræ Rituum Congregationis Consilio, idem Innocentius Decimus unum ex miraculis, quæ post indultam Beatificationem supervenerant, approbavit. Etenim Carolus à Tuderto Laicus Capuccinus, tumore quodam, eoque pertinaci afflictus, sinistri poplitis liberum usum taliter amiserat, ut nonnisi ligneis fulcris innixus, viam carpere posset. Hic Beati Felicis adjutorium expetens ejusdem lampadis oleo poplitem unxit. Quo peracto apparuit ægroto Beatus Felix, & die Purificationi Beatæ Mariæ Virginis sacro, se pristinæ incolumitati restituendum fore prædixit. Et sanè ita accidit, nam eo ipso die convaluit, etsì die præcedenti insanabilem Caroli morbum Medici pronuntiassent.

„ Hæc inter plurima selecta fuere miracula, relictis iis, quorum non satìs plena allata probatio. Demùm aliis super cæteris miraculis, quæ patrata dicebantur, confectis Processibus, generalique Rituum Congregatione coram Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTE XI. die 31. Januarii anni 1708. celebratâ, aliud ex iis, quæ post Beatificationem contigerant, miraculum approbatum; instantanea nimirùm Leopoldi Francisci de Tozzis, mirabilisque curatio. Hic siquidem adhuc Puer in peracutam, malignamque febrim inciderat è pulmonum inflammatione prognatam, cujus vi vehementissimè perculsus, amissis motu, ac loquelâ, oculisque jam clausis veluti mortuus existimabatur. Quare hujus Mater, Beati Felicis auxilium ut imploraret, vix ad Templum Capuccinorum processerat, cùm illico Puer ipse convaluit.

„ Firmato igitur à Sanctitate Sua Sacræ Congregationis Judicio, alteroque indicto Consessu, ac in eo, proposito Dubio: *An tuto deveniendum foret ad Beati Felicis Canonizationem*? Patres unanimes affirmarunt. Sanctitas verò Sua, dilata ad tempus deliberatione, post suas, aliorumque fusas ad Deum preces, Cœlestis adjutorii lumen enixè expetens, Sacræ Congregationis Secretario, ac Promotore Fidei coram se vocatis, die 8. Maji anni 1709. decretum solennis Canonizationis Beati Felicis pronunciavit. Pro cujus executione post Regum, ac Principum supplicationes, initio Causæ, Sanctæ Sedi porrectas, modò etiam humillimè postulat, ac reverenter flagitat tota Fratrum Capuccinorum Familia.

COMPENDIUM

Vitæ, Virtutum, & Miraculorum, necnon Actorum in Causa Canonizationis B. CATHARINÆ de Bononia Monialis Professæ Ordinis S. Claræ.

Ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum.

„ VIgriorum Familia divitiis satìs affluens honesto loco apud Ferrarienses fuit. Ex hac ortus est Joannes, qui Studiorum causâ Bononiam missus, ac in celebri illa Universitate Juris utriusque lauream consecutus, Benvenutam ex Domo Mamolina, vetusta nobilitate conspicua, ea in Urbe Uxorem duxit. Hisce parentibus in lucem prodiit Beata Catharina die 8. Septembris anno 1413. Hujus futura Sanctitas insigni prodigio divinitus præmonstrata. Nam, quùm Patavii, domestica curaturus negocia, Joannes ejus Pater moraretur, ipsamet nocte, quâ Bononiæ Benvenuta Uxor Catharinam peperit, Cœlesti visione admonitus futuras natæ puellæ Virtutes præcognovit.

„ Igitur Catharina statim à puerilibus annis magnarum præbere cœpit indicia Virtutum, ad quarum apicem, crescente ætate, pervenit. Etenim spretis illis, quibus innocenter gaudere pueritia solet, oblectamentis, cùm vix pedibus incedere didicisset, mira erga pauperes affecta animi benignitate, ac misericordia, quidquid præ manibus habere contigerat, in egenos liberaliter erogabat. Anno ætatis XI. Ferrariam à Parentibus adducta, ut in Aula Margaritæ Nicolai Marchionis Estensis Filiæ, nobilium puellarum contubernio adscriberetur, ea in Urbe, Bononiæ cœptum latinarum literarum curriculum ita prosecuta est, ut uni Sacrorum librorum lectioni toto mentis conatu se consecraverit. Erat in Virgine Catharina senilis prudentia, medestia verò singularis, quibus non amorem dumtaxat omnium, qui secum agere consueverant; verùm etiam speciem quandam venerationis sibi conciliabat. Exacto in Aula Ferrariensi quasi triennio (Margaritâ Estensi Roberto Malatestæ Ariminensium Domino in Matrimonium traditâ) ubi se ab Aulæ vinculis solutam sensit, illico à seculi tumultu sese abstrahere cogitavit; facillimè verò hujusce voti compos effe-

„ cta

ƈta eſt: nam, defunƈto Patre, piiſſima Genitrix, quæ ſola ſuperſtes erat, ſanƈtum filiæ propoſitum ſtudiosè adjuvit, probavitque ſententiam.

„ Eminebat ea tempeſtate inter Ferrarienſes Mulieres, pietate, & Religione inſignis, Lucia quædam de Maſcarone dicta, quæ habitu tertii Ordinis Sanƈti Auguſtini induta, aperto Domi ſuæ veluti quodam pietatis Gymnaſio, nonnullas in eo ſeculari veſte adoleſcentulas ita ad Chriſti ſeƈtanda veſtigia erudiebat, ut ſecum religioſiſſimè vitam traducerent, eſſentque omnibus exemplo. Nam aut in fundendas aſſiduè ad Deum preces, aut in honeſtos manuum labores, quidquid ſupererat temporis, impendentes, nonniſi feſtis diebus, ut Sacris intereſſent, per Urbem incedere videbantur. Hunc ſibi locum tamquam Virtutis Tyrocinium Beata Catharina eligendum putavit: Quo quidem non ſolùm poſtea regularis Monialium clauſura, verùm etiam, ut perfeƈtioris Vitæ deſiderio, ad quam piæ illæ Virgines anhelabant, plenè ſatisfieret, tum quoad habitus formam, tum quoad præcepta Diſciplinæ, Sanƈtæ Claræ Inſtitutio ſtabilita fuit. Hinc primum, omni penitùs rerum terrenarum ſolicitudine ſepoſita, arƈtius perfeƈtionis iter, Catharina, ut Sociis tamquam Virtutis exemplum præluceret, mirabiliter arripuit, nunquam, & nuſquam verba facere audita eſt, niſi cum Deo, vel de Deo locutura; Otioſis allocutionibus, iiſque præſertim, quæ vel minimo alicui offendiculo eſſe poterant, penitùs interdiƈtis.

„ Eò potiſſimùm omnem animi curam ſemper intendit, ut cunƈtis ob amorem Jeſu Chriſti contemptui eſſet.

„ Ac quemadmodum ipſa viliſſimam ſeſe inter Creaturas ex corde reputabat, ita apud ſingulos idem de ſe judicium extare cupiebat, probè noſcens veræ ſanƈtitatis ædificium, nonniſi humilitatis fundamento ſuperſtrui poſſe; nullumque haƈtenus hominum, niſi per Regiam humilitatis viam ad Regna Cœlorum perveniſſe, aut aliquando perventurum. Quamobrem & viliora ſibi indumenta, & abjeƈtiora miniſteria ſemper optabat: tantoque charitatis fervore operam ſuam Sororibus, ægrotis præſertim, alacri, promproque animo locabat, ut à nullo umquam officio, quamvis ſordido, ac laborioſo abhorrere viſa fuerit. Ex hujuſmodi Sanƈtæ humilitatis radice veluti legitimus fruƈtus, exaƈtæ obedientiæ Virtus, originem traxit, quæ totius religioſæ vitæ baſis eſt, ac fundamentum. Hujus verò eximiæ obedientiæ ſpecimen non unum Beata Catharina exhibuit. Nam difficillimis ſæpe numero probata experimentis, nihil umquam de prompta ad exequendum voluntate remiſit, ardua quæque longè, multùmque ſupra vires, jamjam executura aliquando, niſi eadem obedientiæ lex, nè illa executioni mandaret, protinus interceſſiſſet. Nihil illi dulcius, ſuavius nihil, quàm Sanƈtæ Orationis, divinæque contemplationis pabulo refici quotidie, tamquam unico vitæ ſpiritualis alimento. Quamquàm gravibus, iiſque diuturnis tentationibus ab humani generis hoſte vexata, numquam tamen, Divinæ gratiæ præſidio munita, viƈta ſuccubuit. Sed multas, illuſtreſque de triumphatis hoſtibus viƈtorias reportavit. Hinc faƈtum eſt, ut ſuo ſatis edoƈta experimento, iiſque, quæ ſpiritualis vitæ ſtadium incipientibus offendiculo eſſe ſolent, plenè perceptis, mirabile illud ſcripſit volumen, quo imbecillioribus animis adversùs hujuſmodi infirmitates præſentiſſima remedia pararet.

„ Verùm cùm ſecreto quodam humilitatis inſtinƈtu volumen ad calcem uſque perfeƈtum flammis comburendum tradidiſſet, ſuperno divinæ vocis oraculo admonita, illud iterum ſcribere coaƈta eſt, de ſeptem ſpiritualibus armis titulo prænotatum. Hoc verò nemini, quoad vixit, videndum, ſed conſcientiæ moderatori dumtaxat jamjam moritura exhibuit: Ut ſingulis ipſe eo in volumine contentis maturo judicio expenſis, tunc ejus legendi copiam Sororibus faceret, cùm id ad animorum ſalutem, majoremque Dei gloriam conducere exiſtimaſſet. Et ſanè, quàm magna ex iſto Beatæ Catharinæ volumine iteratis typis evulgato profluxerit utilitas, quamplurimæ orandi ſtudio addiƈtæ Animæ, ſummo cum fruƈtu hujuſmodi librum aſſiduè legentes, præſenſque in illo auxilium adversùs occultas tentatoris inſidias invenientes, experientiâ comprobarunt.

„ Diuturnis affeƈta morbis, jejuniis inſuper, vigiliis, innumeriſque affliƈtationibus voluntariè aſſumptis, inviƈtam tolerantis animi conſtantiam ſemper exhibuit. Quare veluti aurum in camino tribulationis diu, multùmque probata, uberrimos cœleſtium gratiarum fontes in ſe derivavit, dono præſertim prophetiæ,

„ variiſ-

„ variisque à Deo immissis visionibus illustrata. Annibalem Bentivolum adversùs Philippum Mediolanensium Ducem pugnaturum Victorem fore prædixit, eò ferme modo, quo postea per omnia veridicum Beatæ Catharinæ vaticinium monstravit eventus. Futurum Orientalis Imperii excidium, casuramque Regiam Constantinopolis Urbem in Maumetis Secundi manus, post bimestrem obsidionem, ipso pervigilio Pentecostes anni 1453. item prædixit, ut neminem lateret ruinam Græcorum propter ipsorum adversùs Spiritum Sanctum blasphemias justo Dei judicio fuisse permissam.

„ Beatum Thomam Cantuariensem Episcopum, & Martyrem sibi divinæ Orationis Præceptorem semel præsentem habuit: bis verò Seraphicum Patrem Sanctum Franciscum. Item, cùm Dominicæ Nativitatis nocte, de more vigilans Orationi esset intenta, Deiparam videre meruit Puerum Jesum in ulnis gestantem.

„ Nec silentio prætereundum, quod semel inter Missarum solennia Choros Angelicos divinum trisagium ita dulciter canentes audierit, ut si diutiùs (quemadmodum ipsamet testata est) Cœlestis ille Cantus perdurasset, animam profectò suaves inter concentus efflavisset.

„ Interea apud Moniales primùm, ac postmodùm per Ferrariensem Urbem, vicinasque Regiones fama Sanctitatis Beatæ Catharinæ longè, latèque percrebuerat; Quare, defunctâ Monasterii Abbatissâ, de subroganda in demortuæ locum Beata Catharina Sanctimoniales unanimiter deliberarunt. Illa verò, ubi Sororum Consilia rescivit, dici vix potest, quanta vi verborum, additis insuper singultibus, lacrymisque, ut hujusmodi onus à se deprecaretur, conata fuerit; Id unum vehementer optans, ut ab omni prælationis honore aliena, continuum exhiberet Sororibus singulis, viliori cuiquam, infimoque ministerio addicta, famulatum. Hos verò heroicæ humilitatis sensus, tam intimo cordis affectu, sinceríssimè protulit, ut Abbas Sanctæ Justinæ, qui, Romæ degere solitus, Ferrariæ tunc fortè aderat, maximum ex hisce cœperit veræ virtutis documentum; ac deinde quoties, aut animi, aut corporis angustiâ premeretur, precibus Beatæ Catharinæ adhuc viventis se se commendare solitus fuerit, ratus se certò certiùs quidquid in votis haberet, Beatæ Catharinæ precibus à Deo impetraturum: Nec quidem illum hujusmodi fiducia umquam fefellit. Tantùm propterea valuit apud Moniales Beatæ Catharinæ humilis excusatio, ut tunc à munere regendi Monasterium fuerit liberata: verùm non diu post, ut virtuti sanctæ obedientiæ morem gereret, onus suscipere coacta fuit.

„ Hæc igitur sublimium virtutum exempla ardens in nonnullis Italiæ Urbibus desiderium excitarunt, ut Sanctarum Virginum, quæ Ferrariæ tot, tantosque Sanctitatis radios, Beata Catharina duce, emittebant, pium, ac laudabile Institutum longè, latèque propagatum vellent.

„ Id in primis Civitas Bononiensis expetiit, & Romanum Pontificem, ut voti compos efficeretur, oravit, atque Apostolicis, quæ opus erant, obtentis rescriptis, Ferrariam Legatos misit, ut secum indè ad novum Monasterium Bononiæ excitandum, Moniales aliquot, quarum una Abbatissæ, ac Fundatricis munere fungeretur, asportarent. Legati benignè suscepti, ac rebus singulis ritè compositis, eorum admissa petitio, & demum Beata Catharina id oneris subire, Sociisque assumptis, ad novam fundationem, sanctæ obedientiæ mandato, se se accingere jussa est.

„ Postremò Legatis abeuntibus, Ferrariensium Monialium Gubernatrix: *Habebitis*, inquit, Beatam Catharinam designans, *Virginem, quæ famam Sanctæ Claræ, moresque Sanctissimos erit apud vos aliquando instauratura*. Verum dixisse, rei probavit eventus. Interea Beata Catharina, quamquàm eo tempore gravi oppressa morbo decumberet, itaut in itinere defectura crederetur, nihilo tamen minus iter aggressa est, acciditque, ut, Divino favente præsidio, illico aliquatenus convalesceret. Ut verò tumultus, qui facilè oriri poterat inter Ferrarienses Cives discessionem Beatæ Catharinæ ægreferentes, providè evitaretur, Legati Bononienses, Fratresque Divi Francisci, qui comites itineris dati erant, noctu discedere deliberarunt. Ubi primùm proximus Sacrarum Virginum adventus Bononiensibus nunciatus, incredibilis inter eos animorum consensio, etsi hactenus in acerrimas factiones distractos, apparuit, quà certatim summis, & honoris, & benevolentiæ signis pium illud agmen, ducem præsertim Beatam Catharinam, exceperunt, Cardinalibus Bessarione Pontificio Legato, ac Philippo Calandrino Urbis Episcopo obviàm euntibus, Clero,

„ Magi-

„ Magiſtratibus, & Senatu univerſo comi- „ tantibus.

„ Menſes ferè quatuor in Sancti Antonii Xenodochio moram fecere novellæ „ Moniales, donec Sancti Chriſtophori „ Cœnobium, Beatæ Catharinæ curâ, ac vigilantiâ in commodiorem formam redactum fauſtis auſpiciis ingreſſæ, inſigne „ Sacrarum Virginum Collegium aperuerunt. Hujus verò Inſtituti ſanctitas, exemplo præſertim Beatæ Fundatricis, adeò „ tamquam Chriſti bonus odor latè manare cœpit, ut brevi temporis intervallo „ quamplurimæ ex nobilioribus Familiis „ honeſtiſſimæ Virgines in Catharinæ Societatem receptæ, Cœleſtem illam vivendi formam fuerint amplexatæ.

„ His itaque bene, ſapienterque conſtitutis, venit in mentem Franciſcanis Fratribus Monaſterii directoribus, ut ad ſervandas ſanctiori methodo, inter Moniales, Sanctæ Claræ Conſtitutiones, diploma Apoſtolicum impetrarent; Quo munus Abbatiſſæ non uni Monialium donec „ viveret, ut hactenus ſervatum, ſed ſingulis trienniis, renovata electione, modò „ uni, modò alteri conferendum ſtatueretur. Hujus conſilii novitas non levem „ injecerat metum, nè in ſingulis Monialium Collegiis turbæ excitarentur. Ægrè „ enim Abbatiſſas, quæ ſemel regendi munus cum earum vita duraturum ſuſceperant, ab illo removeri poſſe nonnulli exiſtimabant. Quapropter Provinciæ Præſul, cui nota ſatìs erat Beatæ Catharinæ „ humilitas; ut apud reliqua Franciſcani „ Ordinis Monaſteria, novæ huic Conſtitutioni faciliorem viam ſterneret, provido conſilio à Bononienſi hoc Cœnobio „ hujuſmodi reformationem incœpit: atque ubi primùm ad iſtud acceſſit, coacto „ Monialium Capitulo, Diploma Pontificium de triennali Abbatiſſarum electione inſperatò promulgavit.

„ Quo audito; tantùm abfuit, ut quid „ humanum Beata Catharina paſſa fuerit, ut „ lætanter exultans, humi ſtrata, Deo gratias egerit, quod tandem aliquando ſuis „ annuiſſet precibus Divina Majeſtas; hilarique vultu ad Præſulem converſa, gratias ei dixit de bono nuncio reddendas, „ atque illico Monaſterii negocia ita componere ſtuduit, ut futuræ Abbatiſſæ, ſuis „ præcipuè monitis inſtructæ, regiminis „ ſarcina levior, faciliorque redderetur.

„ Hæc ſingularis animi moderatio, non „ Provinciæ Præſidem ſolùm, verùm etiam „ Moniales ſingulas in admirationem rapuit: Quæ ſanè majorem in modum excrevit, ubi congregatis ad novam electionem Abbatiſſæ Monialibus, Beata „ Catharina Capitulum ingreſſa, humillimo inceſſu, vultuque, petitâ veniâ, ſeſe „ liberè, libenterque officio ſpoliavit. Quo „ facto, Sorori Annæ Morandæ Ravennati „ (una hæc erat è Monialibus Ferrariâ Bononiam translatis) Cœnobii regimen plenis ſuffragiis collatum. Verùm hæc cùm „ in gravem morbum incidiſſet, vix elapſo „ anno, Præfecturam dimittere coacta fuit. „ Quare Monialibus conſilium novæ Abbatiſſæ eligendæ ineuntibus, una omnibus „ non ſinè prodigio injecta mens eſt, ut „ Beatam Catharinam iterum in Abbatiſſam eligerent; Quam quidem electionem, utpote Divinæ voluntatis opus, ratam habuit Provincialis Miniſter, omnibus plaudentibus, una dumtaxat id ægrè „ ferente Catharina, quæ niſi validiſſimus „ ſanctæ obedientiæ ſtimulus acceſſiſſet, ut „ denuo Præfecturam ſuſciperet, nullo modo in animum induxiſſet.

„ Hujus novæ electionis rumor ſtatim „ ac per Urbem innotuit, multas nobilioris „ ordinis Puellas, ut ad Sanctæ Claræ inſtitutum profitendum, Catharina duce, „ locum præfato in Monaſterio enixè flagitarent, excitavit. Verùm cùm ob Cellularum anguſtias, omnium votis minimè „ ſatisfieri poſſet, Deo fundendas de more „ preces Catharina cogitavit. Tum Deus „ Sponſæ ſuæ deſideriis obſecundans, Puellarum Conſanguineis liberalem animum „ cœlitus indidit: quo factum eſt, ut collatis pecuniis, ad dilatandos Monaſterii „ fines accurrerint, illudque in ampliorem, „ commodioremque formam redegerint.

„ Interea Catharinam materna quadam ſolicitudine nihil reliqui facientem, „ ut optimè rerum, & temporalium, & ſpiritualium regimen in Monaſterio procederet, morbus acer, idemque mortiferus invaſit. Quapropter Virgo prudens, „ convocatis Sororibus, quamplurima ſalutis monita, æſtu Divinæ charitatis pleniſſima, communicavit: ſuſceptiſque reverenter Eccleſiæ Sacramentis, ſeſe in „ occurſum Divini Sponſi, lampade non „ vacua, præparabat. Erat autem una omnium Sororum, eaque fervens ad Deum „ fuſa deprecatio, quâ tot, tantiſque cumulatam virtutibus Beatæ Matris Vitam „ diutius in commune commodum protrahendam poſtulabant. Annuit piarum Virginum precibus Clementiſſimus Dominus. Nam poſt ecſtaſim, quam paſſa fue-

„ rat

,, rat Catharina, è lectulo incolumis surre-
,, xit, atque ad obeunda consueta munia
,, statim sese applicavit. Annum verò, quem
,, unum supervixit, insignioribus Christia-
,, narum virtutum operibus, ac ferventiori
,, charitatis exercitio, Catharina corona-
,, vit. Solitudini intentiùs vacans; sacros,
,, piosque libros assiduè volutabat, & non
,, interruptâ precum, meditationumque
,, frequentiâ, vitam potiùs inter Cœlites,
,, quàm inter mortales agere videbatur.
,, Nam sæpissimè in Ecclesiæ secretiori an-
,, gulo posita, uni rerum Cœlestium con-
,, templationi addicta, majorem diei, no-
,, ctisque partem dulciter illacrymans, at-
,, que ad beatam Patriam suspirans, impen-
,, debat. Tum Sororibus, ut aliquid remit-
,, teret, monentibus, ne recens à morbo
,, ob inclementiam rigidioris aeris longè
,, gravius incurreret vitæ discrimen: *Non-*
,, *dum*, reponebat, *venit hora mea*.

,, At jam hebdomadæ majoris tempus
,, advenerat, quo ablutis de more Sororum
,, pedibus, satis prolixam orationem ha-
,, buit, qua singulas ad mutuam charitatem,
,, atque ad amorem Crucis vehementer
,, hortata est: tum altera in Capitulo habi-
,, ta concione, resolutionis suæ tempus
,, jamjam instare prædixit. Id verò mini-
,, mè tunc à Sororibus animadversum: præ-
,, sertim cùm iis diebus, familiariùs inter
,, eas versari, nullo dato vicinæ mortis si-
,, gno, lætior, hilariorque visa fuerit: Sed
,, tandem sumptâ cœnâ in communi refe-
,, ctionis loco, ubi prope Dormitorium ac-
,, cessit, levatis in Cœlum oculis, hæc pro-
,, ferre audita est: *Poteras, Jesu dulcissime,*
,, *hanc mihi gratiam impartiri, ut cùm pri-*
,, *vatam agerem vitam, animam meam ad*
,, *te vocares*. Quæ quidem verba cùm ad
,, aures Illuminatæ de Bembis Monialis
,, pervenissent, hæc, an malè se haberet,
,, Catharinam interrogavit: cui illa respon-
,, dit: *Jam vitæ meæ cursum consummavi*.
,, Protinus acerrimis correpta doloribus
,, ægrotantium more decubuit: Tum mirâ,
,, Christianâque patientiâ mortiferis illis
,, toleratis angustiis, sumptisque summo
,, Religionis affectu Sacramentis, oculis in
,, Imaginem Crucifixi è pariete pendentem
,, sæpe conversis, hymnos quosdam, quos
,, ipsamet ad excitandos devotionis igni-
,, culos composuerat, recitavit; denique,
,, advocatâ Vicariâ, cui post ejus obitum
,, gubernandi Monasterii provincia erat de-
,, mandanda, eidem Sorores singulas, tota
,, animi contentione commendavit, atque
,, iis, ac similibus tenerrimæ pietatis affe-
,, ctibus, assiduaque Sanctissimi Nominis
,, Jesu invocatione extremum diem clausit,
,, atque in osculo Domini moriens cadu-
,, cam vitam cum æterna commutavit anno
,, Domini 1463. ætatis autem quinquage-
,, simo.

,, Hujus Beatæ Virginis obitu, summo
,, mœrore affectæ Moniales, cùm illam ma-
,, gno, dum viveret, Sanctitatis nomine
,, celebrem, reverenter observassent, cer-
,, tatim aliquam Vestium defunctæ particu-
,, lam, aut rei cujuslibet, quæ Beatæ Virgi-
,, ni usui fuerat, rapere contendebant, vel-
,, uti venerandum piæ Matris monumen-
,, tum. Elato in Ecclesia pretioso Cadave-
,, re, ut justa Christiano Ritu persolveren-
,, tur; instauratæ passim lacrymæ, instaura-
,, ti denuo gemitus, instaurata suspiria: Hæc
,, manus osculabatur, illa pedes, aliæ vul-
,, tum: Omnes à dulcissimo Beati Corporis
,, amplexu minimè divelli poterant. Fuit
,, pretiosus ille thesaurus primùm in Cœ-
,, meterio Sepulturæ mandatus: Sed cùm
,, Cœlestem è Sepulcro odorem efflare cœ-
,, pisset, atque ægrotos quamplurimos, qui
,, Sepulturæ locum frequenter invisebant,
,, ac se se Beatæ Catharinæ precibus com-
,, mendabant, Omnipotens Deus mirabilis
,, in Sanctis suis, sanitati restituere digna-
,, tus fuerit; Moniales absque ligneæ saltèm
,, arcæ tegmine Beatum Corpus terræ man-
,, dasse pœnituit. Novum igitur consilium
,, capiunt, quod Sacerdoti, qui eis à Sa-
,, cris Confessionibus erat, aperiunt. Hic,
,, rejecta primùm Monialium petitione,
,, postmodùm fusis ad Deum precibus hu-
,, mum effodere permisit, hac data condi-
,, tione, ut si quid fœtoris indè exiret, de-
,, nuo congesta humo, ab incœpto desiste-
,, rent: si verò odor adhuc perciperetur,
,, Capsâ ligneâ Cadaver includerent, illud-
,, que iterum terræ mandarent. Verùm id
,, consilii exequi ubi incipiunt Moniales,
,, maxima imbrium copia, atque immanis
,, ventorum vis statim oborta est. Sed in-
,, dicta ad Deum supplicatione, illico sere-
,, nitas rediit: quare Beatum Corpus è ter-
,, ra erutum, suavissimum spirans odorem,
,, candidum, incorruptum, miraque pul-
,, chritudine exornatum, etsi per decem,
,, & octo dies humatum jacuisset, repertum
,, est. Hujus prodigii fama per Urbem to-
,, tam longè, latèque perlata. Hinc Ale-
,, xander Longarius Bononiensis Diœcesis
,, Vicarius, cui propter absentiam Calan-
,, drini Cardinalis Episcopi rerum spiritua-
,, lium cura commissa erat, locum invisit,
,, deque singulis certior factus, Beatæ de-

F ,, functæ

„ functæ virtutes, habitâ ad Moniales Concione, laudibus exornavit. Venerandum insuper Beatæ Corpus septem dierum spatio ante oculos omnium exponi permisit. Ad hoc visendum tanta Populorum multitudo non ex Urbe, Agroque Bononiensi solùm, verùm etiam ex vicinis Regionibus accurrit, ut per Urbis semitas, nè quis oriretur inopinus tumultus, vigiles Militum copias collocare necesse fuerit. Cùm verò Omnipotentis Dei bonitas varia charismatum dona ægrotis nonnullis, hujus famulæ suæ intercessione, divinam opem postulantibus largita fuerit, novo excitato Sarcophago, in quo Sacrum illud depositum fuit collocatum, duæ appositæ claves, quarum unam Sacerdos pœnitentiæ Minister, alteram Moniales custodirent. Porrò hujusmodi sepulchrum nimiâ festinatione extructum, non levem injecit metum, ne à recenti calce, quæ fortasse nondum satis exaruerat, atque ab interclusa aëris humiditate, Beatum Cadaver aliquid vitii contraxisset, unde corrumperetur; quare illud in aptiorem, ac salubriorem Monasterii locum transferre decretum fuit. Cùm verò ad venerandum Beati Corporis prodigium, peregrinantium turba penè quotidie ventitaret, Moniales in altiorem chori partem sæpius illud asportare cogebantur, ut ex ostiolo, quo Sororibus Eucharistiæ Sacramentum porrigebatur, piæ advenarum devotioni, Beati Cadaveris præsentiâ satisfacerent; quod sanè perpetuum, & non leve incommodum erat. Quapropter prope vetus Sacrarium paratâ ædiculâ, apertâque in pariete fenestrâ, Beatum ex ea corpus omnibus videri datum, incorruptum quidem, non Cadaverum more decumbens, sed viventis ad instar sedens, atque erectum. Frequens exinde, ac nunquam interrupta nedum Bononiensium, verùm etiam alienigenarum, erga Beatam Catharinam visa est efflorere devotio.

„ Dudum à Pontificatu Clementis VII., qui Bononiam Carolo V. Imperii Romani Coronam collaturus advenerat, ac mirabilem Beati Corporis incorruptionem inspexerat, deque summa rerum sedulò inquisierat, actum fuit, ut inter Sanctas solenni Ritu Beata Catharina referretur. Et sanè de hoc negocio perficiendo Clemens Pontifex mentem suam satis explicarat: sed tot, ac tantæ publicæ, privatæque arduæ illæ quidem tunc temporis res emergentes impedimento fuere, ne huic Causæ manus admoveret Romana Curia, in varias, magnasque negociationes distracta. Nihilo tamen minùs laudatus Pontifex Bononiensibus Monialibus in Monasterio præfato degentibus, facultatem concessit, ut quotannis in honorem Beatæ Catharinæ Officium à Magistro Apostolici Palatii approbatum, Anniversario die, quo Beata è vivis excesserat, Ecclesiastico Ritu recitarent, tum singulis anni diebus inter horas Canonicas de eadem commemorationem haberent. Atque ut ii, qui die festo Beatæ Catharinæ dicato, pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis rite susceptis, Ecclesiam, ubi corpus Beatæ requiescit, devotè invisissent, indulgentiam peccatorum consequerentur, idem Pontifex concessit. Tum etiam idem recitandi Officii indultum ad quædam Monialium Civitatis Ferrariensis Monasteria extendit, utque in die festo Beatæ Catharinæ, una cantaretur Missa propria in Ecclesiis Monialium præfatarum Bononiæ, & Ferrariæ, reliquis verò diebus privatæ Missæ devotionis causâ secundùm Romanæ Ecclesiæ Ritum, non à quibuscumque, sed à Sacerdotibus dumtaxat, qui Monialibus essent à Confessionibus, celebrarentur, indulsit. Postea verò cum Sixtus V. Curtio Franco Vaticanæ Basilicæ Canonico Officia Romani Breviarii expurgandi, corrigendique negocium demandasset, fuit ab eodem Beatæ Catharinæ Officium ad normam prædictam reformatum. Clemens verò VIII. habito hac de causa in Sacra Rituum Congregatione examine, nomen Beatæ Catharinæ Romano Martyrologio Apostolicâ auctoritate inserendum mandavit.

„ Anno tandem 1645. solennis Canonizationis Causa introducta fuit; & secundùm Urbani VIII. decreta, habita prædictorum Indultorum ratione, hujus casus exceptio approbata: Atque pariter examini subjectum, probatumque fuit Opus supra laudatum, cujus titulus: *De septem spiritualibus armis*, à Beata Catharina conscriptum. Processu item super fama sanctitatis in genere Apostolica auctoritate confecto, atque hujusmodi famâ rite approbatâ, ad specialem inquisitionem gradum fecit Sacra Congregatio, in qua facta discussione validitatis, ac relevantiæ actorum in specie, utrumque probatum, & decreto suo censuit Sacra Congregatio constare de virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus in gra-

„ du

„ du heroico; Summus verò Pontifex Innocentius XI. anno 1680. tale decretum confirmavit.

„ His peractis, novi fuere instructi Processus de miraculis, quæ post permissam venerationem supervenerant; Horum Processuum perpensa simul fuit, & admissa validitas. Hinc transitus factus est ad examen relevantiæ, & ex octo à Postulatoribus propositis miraculis, duo in generali Rituum Congregatione coram Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTE XI. habita die 31. Martii ann. 1701. approbationem meruerunt, Sextum scilicet, & Octavum. Nihil tunc pronuntiatum à Summo Pontifice; qui tamen postea, causâ exactiùs pensitatâ, ubi Divini Spiritus opem ferventibus precibus imploravit, Sacræ Congregationis Decreto robur Apostolicæ Confirmationis adjunxit, prædictis Sexto, & Octavo Miraculo approbatis die 5. Decembris anni 1703.

„ „ Fuit autem sextum Miraculum, Justinæ Calcinæ Monialis in Monasterio Corporis Christi Bononiæ instantanea curatio. Hujus enim malè luxata manus, quæ jam indè à novem mensibus minimè flecti, ac testimonio Medicorum nullo naturali pharmaco curari poterat, statim fuit sanitati restituta. Octavum verò miraculum, instantanea item curatio fuit Sororis Mariæ Geltrudis de Ghirardellis eodem in Monasterio Monialis, cujus ob febrim vehementissimam phrenesi, ac letargo comitatam fuerat à Physicis penitùs conclamata salus. Post horum miraculorum approbationem coacta tandem Congregatione coram Sanctissimo Domino die 18. Novembris anni 1704., cùm in ea disceptatum, an esset locus, ut Beata Catharina solenni ritu inter Sanctas Virgines describeretur, annuerunt unanimiter Patres: Sanctitas verò Sua judicium distulit, donec postmodùm suis, aliorumque Christifidelium precibus Divino implorato præsidio, Sacræ Congregationis Secretario, Fideique Promotori die 17 Maji anno 1707. jussit, ut publici Juris facerent decretum Canonizationis Beatæ Catharinæ, pro qua supplicationibus Regum, ac Christianorum Principum Causæ initio Sanctæ Sedi porrectis modò suas etiam humillimè adjungit Senatus, Populusque Bononiensis.


Tali adhibita diligentia pro feria 4. xii. Kal. Maji 1712. Sanctissimus D.N. Consistorium indixit Secretum, ad quod Cappis violaceis induti convenerunt Eminentissimi Patres, & maximâ quidem advenarum frequentiâ fuit celebratum.

Porrò Ritus nostris temporibus indicendi Consistorium Secretum est, qui sequitur. Qualibet die Dominica duo Cursores violaceâ ex textili laneo [vulgò *Sajetta*] induti veste, & virgulam nodosam nigro colore imbutam præ manibus gestantes, conveniunt ad Apostolicum Palatium. Stant præ foribus Pontificiis, usque dum Sacrum à Sanctitate Sua sit absolutum. Tum admittuntur in conspectum Summi Pontificis à Sacello Secreto ad Secretiora Cubicula transeuntis, ipsumque suppliciter exorant genuflexi hisce verbis: *Sanitas, & vita longa, Pater Sancte: cras erit nè Consistorium*? Pontifex respondet: *Erit*. Tum ipsi subdunt: *Ad multos annos*; & abeunt: deindè ad [1] Ædes Eminentissimorum Patrum accedunt; admissi de genu Consistorium denunciant his verbis: *Sanitas, & gaudium, Eminentissime, & Reverendissime Domine: Cras erit Consistorium*: neque eis, aut fores occluduntur, aut serica vela, sed rectà ad Cardinalem transeunt, ac Consistorio indicto demigrant. Aliis autem temporibus usque ad seculum XV. non erat hic ritus: Aderat Campana magna Consistorialis, qua personante indicebatur; Leguntur enim in Diario Antonii Petri Basilicæ Vaticanæ Beneficiati ad annum 1411. hæc notabilia verba: *Item die Martis 11. dicti mensis Augusti D. N. Papa Joan. XXIII. fecit pulsare Campanam ad Consistorium, in quo quidem Consistorio fuerunt xvii. DD. Cardinales &c.* & ejusdem meminit Petrus Amelius in suo Ordine Romano à P. Mabillonio relato cap. 83. §. *Omnes*, ubi de Sabbati Sancti differens ceremoniis, scriptum reliquit: *Dum incipitur* Gloria in excelsis Deo: *parvæ Campanæ debent pulsari, & etiam illa magna Consistorialis*. Nec mirum, mos iste pulsandi Campanam majorem Palatii Principis ad convocandum Senatum extat adhuc alibi; In Urbe verò pro accersendis Judicibus, & Causarum Patronis in Curiam tum Innocentianam, tum Capitolinam translatus est. Porrò Cursores, ut omnibus innotescat, ubi DD. Cardinalibus denunciaverint Consistorium, tabellam cum inscriptione: CRAS ERIT CONSISTORIUM, ad Januam figunt Curiæ Innocentianæ, & Apostolicæ Cancellariæ.

[1] *Cursores intimare debent Consistoria, Cappellas, Congregationes, omnesque alias functiones in propriis EE. Card. habitationibus: non autem per vias, & alia loca sub pœna &c. juxta Decretum Sac. Rit. Cong. sub die 16. Febr. 1630.*

Consistorii Aula ex more fuerat instructa: sedes Pontificalis, ad quam in anteriori parte per duplicem gradum, Supremum primo latiorem, conscenditur, duobus hinc & inde pictis variè Scabellis, & Sedi, & parieti hærentibus consueto de tempore panno aureo obducebatur. Post æqua à Sede intervalla super oblongo viridi strato depicta Cardinalium subsellia erant ordine dispoſita, atque in tetragonismum affabrè desinebant, relicto è conspectu Sedis ad ingressum, quasi per Ostium, spatio, post discessum Populi æquè obstruendo, alia, atque alia utrimque simillima subsellia ab illis ad laterales parietes transversim producebantur, tum ad intercludendum iter ad intervalla, tum ad arcendum populum, illic etiam appositis nobilibus Procœtonis Custodibus.

Pro-



II
1
2
2
7
8
10
3
3
5
5
6
10
4
9
10
Ichnographia Aulę Consisistorij Secreti in Palatio Vaticano
Scala Palmorum Rom.
10
20
30
40
50
1. Sedes Pontificia,
2. Consueta Cardd. Diac. Assist. Scabella ad ornatum tantum,
3. Sedilia Cardinalium,
4. Sedile uacans ad claudendum Tetragonismum.
5. Similia ad arcendum populum.
6. Aliud pro substinen libro Taxarum, ac tintinnabulo.
7. Secessus pro Papa ad audiendas Conciones.
8. Vestibulum ligneum ad secreta Cubicula Papæ, vulgo Bussola.
9. Ianua ab Aula Clementina.
10. Fenestræ uersus Plateam Vaticanam.

Prodierat Sanctissimus Pater in Consistorium faldâ magnâ, & stolâ coccineâ rubei coloris opere phrygio elaboratâ exornatus, ac opertus Camelaucio. Tum quemadmodum ritus postulat hujus Sacri Consessus, cuilibet solùm Cardinali data facultas est eundi ad colloquendum cum Sanctissimo, servato tamen ordine, & initio ab antiquioribus sumpto. Sanè qui ad Pontificem ibat, exhibita veneratione, stabat erectus, & aperto Capite loquebatur, nemine Collegarum, Populive propter statam loci distantiam, eorum verba audiente; reliqui verò Cardinales sparsim per subsellia considentes, purpureo birreto tecti, sermones invicem miscebant, & qui colloquium habebant cum Sanctitate Sua, aliorum Patrum cunctanter convenientium maturabant adventum; Non enim omnes unâ horâ convenerunt, utpotè ex more non indictâ, quamvis ea censeatur, quâ Sanctæ, & Universalis Inquisitionis Congregatio qualibet fermè feriâ quintâ solet cogi coram Beatissimo. Cæterum Pontifex quemlibet signo Crucis excipiebat, dimittebatque, & cuique, inchoato jam Consistorio, advenienti, ac ei demissè se inclinanti benedicebat. Cùm autem Prior Card. Diaconorum ad colloquium Papæ fuerat admissus, monitus per Ceremoniarum Magistrum Custos Consistorii, elata voce dixit: *Extra omnes*, & tunc egredi cœpit Populi multitudo, quæ sensim extra processit, obseratis post eam foribus. Remanserant adhuc Secretarii, aliique Ministri; verùm colloquiis Cardinalium cum Pontifice ad finem perductis, ipsi quoque per posticum egressi sunt illicò clausum, remanentibus solis cum Sanctissimo Pontifice Cardinalibus, considentibus ad dexteram scilicet Episcopis, & Presbyteris, ad lævam Diaconis, adeout Prior Episcoporum, & Diaconorum primum juxta Papam obtinerent locum, & ultimus Presbyterorum esset proximior ultimo Diacono, qui tintinnabulum prope se retinebat in scabello extra tetragonismum posito, ut signum pro rerum necessitate faceret Magistris Ceremoniarum. Tùm Sanctissimus Pater eximiâ, qua pollet, eloquentiâ, de BB. proximè in Sanctorum album referendis, hanc, quæ sequitur, habuit ad Eminentissimos Patres orationem.

VENERABILES FRATRES. *Universam planè Christianam Rempublicam, tot undequaque calamitatibus pressam, sævisque potissimùm, ac diuturnis bellorum procellis agitatam, Apostolicæ charitatis oculis contemplantes, suspiria inter, & lacrymas cum Propheta Regio exclamare compellimur*: Terrores tui conturbaverunt me: circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul. *Ubique terror, ubique luctus, ubique desolatio: undique percutimur, undique amaritudinibus replemur; adeout novum propemodum, atque inauditum tot veterum discordiarum ærumnis inter Christianos populos additum videamus dissidium, ut de suis quisque cladibus pugnet, & in hoc calamitatum certamine unaquæque gens aliarum miserias vicisse contendat. Quod tamen magìs deplorandum est, atque dolendum, malorum hæc non sunt summa nostrorum. Timendum magìs est, nec immeritò timendum, nè filiis tenebrarum, qui prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt, adnitentibus, deterior bello pax, hoc est orthodoxæ Religioni maximè perniciosa, ita forsan ex inopinato coalescat, ut ingemiscere cogamur*: Expectavimus pacem, & non est

bo-

bonum; tempus medelæ, & ecce formido; tempus curationis, & ecce turbatio. *In tanto itaque rerum discrimine constituti, hinc bellorum damna sentientes, indè pacis pericula formidantes, cor primùm, & oculos nostros in montem excelsum, & sanctum, unde omne Nobis auxilium affuturum confidimus, levare non prætermisimus, enixè Dominum deprecantes, ut non contineat in ira misericordias suas; sed qui facit pacem in sublimibus, & Reges in Thronis collocat, arctam non modò, & indissolubilem animorum concordiam, verùm & parem Catholicæ fidei conjunctis viribus, & consiliis tuendæ, ac propagandæ zelum Christianis Principibus largiatur. Novos deinde, ac validos afflictis Ecclesiæ rebus apud Divinam bonitatem Patronos quærere decrevimus, qui scilicet scripti sint in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, & conciliare cor Patris ad filios; adeout illorum ope, & pacem in diebus nostris à Domino dandam sperare possimus, & ita dandam, ut non in nos auctam cælestem indignationem, sed verè placatam fuisse dignoscamus. Animum propterea, ac studia nostra convertimus ad promovendas causas Canonizationis Beatorum Pii V. Summi Pontificis, Andreæ Avellini, Felicis à Cantalicio, & Catharinæ de Bononia, quo eorum splendida merita universæ Ecclesiæ venerationi proposita, ac veluti super candelabrum collocata, luceant omnibus, qui in domo sunt, sciantque fideles populi sibi in iis datum esse & calamitatum præsidium, & virtutum exemplar. De illorum idcirco præclaris gestis, & eximiis miraculis narrationem, servato à Prædecessoribus nostris more, in præsenti Consistorio referri, & à Vobis audiri exoptamus.*

His à Sanctissimo D. N. prolatis, Eminentissimus de Abdua ex SS. Rituum Congregationi Præpositis Cardinalibus Primus assurgens nudato capite erga Pontificem, & statim sedens, birreto tectus purpureo, ordinatissimâ methodo vitæ, virtutum, & miraculorum B. Pii V. Summi Pontificis habuit relationem.

BEATISSIME PATER.

Beatus Pius V. ex illustri oriundus Ghisleriorum Prosapia, natus est in agri Alexandrini Oppido, quod Boschum vulgò appellant, die 17. *Januarii anni* 1504., *teneram ejus ætatem parentes ad Dei cultum ita finxerunt, & ad omnium virtutum studium informarunt, ut germanam pietatem cum lacte suxisse videatur. Puerilium annorum illecebras perosus, nihil antiquius habuit, quàm ut in ipso adolescentiæ æstu, morum innocentiam puram, sibique, semper constanti vitæ ratione illibatam jugiter conservaret. Ad Regularis vitæ disciplinam à Domino vocatus, nuncium è vestigio mundo remisit, & annos natus quatuordecim Ordini Sancti Dominici nomen dedit*

dit, in quo sic vixit, ut omnibus tanquam eximiæ in Deum charitatis, modestiæ, pœnitentiæ, obedientiæ, omnis denique Virtutis proponeretur exemplum. Emenso probationis anno, votisque Deo nuncupatis, Philosophiæ, & Theologiæ studio incumbens, animum suum omnibus disciplinis, quæ sive ad Fidem illustrandam, sive ad Ecclesiam ab erroribus Hæreticorum vindicandam conducere possunt, non solum sedulò excoluit, sed etiam alios edocendi demandatâ sibi à Superioribus provinciâ per sexdecim annos, summa cum laude, & singulari fructu defunctus est. Exedebat animum ipsius Zelus Ecclesiæ, & in eo quà docendo, quà concionando, quà Superioris munus obeundo, potissimum elucebant singulare studium augendi Cultus divini, conservandæ Catholicæ Religionis, & adversùs eos, qui eam ulla ex parte labefactare moliebantur, implacabile odium. Impositum sibi in Hæreticos inquirendi officium, inviolabili animi fortitudine, & infatigabili zelo exercuit. Non minas, non Potentum inimicitias, non vitæ, ac Capitis discrimina sibi defugienda putavit, sed in solo Deo spem, & fiduciam suam collocans, gravissima pericula, quæ sibi à grassante tum temporis Hæresi imminebant, pro defensione, ac propagatione Fidei Catholicæ, adeò infracto pectore sustinuit, ut optimo jure dici possit: non animum Martyrio, sed Martyrium animo ejus defuisse. A Paulo IV. ob præclara in Rempublicam Christianam merita, ad Episcopatum Nepesinum evectus, nihil intentatum reliquit, quod ad Fidei tuendam integritatem, ad Religionis promovendum incrementum, ad cultum Sacrorum restituendum, & ad Ovium sibi creditarum utilitatem pertineret. In Collegium Cardinalium ab eodem Summo Pontifice adscitus, solitam in victu, cultuque parsimoniam retinuit. Abstinentiam à carnibus, Jejunia statis anni temporibus indicta, interioris vestitus asperitatem, aliasque id genus austeritates, quibus à principio, cùm adhuc in Monasterio esset, totum sese addixerat, adamussim observavit. A Pio IV. ad Ecclesiam Montis Regalis in Subalpinis translatus, omnes abusus, qui in eam irrepserant extirpare sategit, Romamque reversus, in gravissimis rerum maximarum deliberationibus, ingenio, consilio, prudentia, integritate, ac intrepida dicendi libertate excelluit. Supremo adspirante Numine, & summo Cardinalium consensu in locum Pii IV. vitâ functi suffectus, periclitantis Ecclesiæ, & multis agitatæ procellis clavum feliciter rexit. Veterem Ecclesiæ disciplinam, quæ penè obsoleverat postliminio revocavit; Judiciorum severitatem renovavit; Hæreticos ad gremium Ecclesiæ reduxit; Infidelium, & Judæorum saluti consuluit; Pauperum miserias profusa liberalitate sublevavit; Sanctissimas condidit leges, quibus improborum hominum libidinem, audaciamque frænavit; Galliam, Carolo IX. Rege, nefariis perduellium Hæreticorum armis vexatam, missis equitum, peditumque auxiliaribus copiis, in pristinam libertatem vindicavit. De Selimo Turcarum tyranno multis victoriis elato, & ultimam cladem omnibus Christianis minitante, maximam post hominum memoriam ad Echinadas, non tam navali prælio, quam Jejuniis, lacrymis, & fusis ad Deum precibus reportavit victoriam, quam eodem momento prædixit, quo obtenta fuit. Denique tot rerum gestarum gloriâ clarus, & de toto, quà latè patet, Orbe Christiano optimè meritus, post acutissimos dolores quadraginta totos dies patientissimè toleratos, Cœlo jam maturus, extremum Deo Spiritum reddidit Kal. Maji anno 1572. Pont. an. septimo ætatis suæ LXVIII.

Tam in Vita, quam post mortem multis miraculis coruscavit; Ex his autem post discussas, & approbatas Virtutes in gradu heroico, quatuor fuere à Congregatione Sacr. Rituum approbata; Revelatio videlicet cum visione interna eidem Beato divinitus concessa, eodemmet tempore, quo victoria Navalis contra Turcas à Christianis reportata fuit: Duæ Imagines prædicti Beati à prægrandi incendio illesæ in Sacello Dom. Antonii Cardonæ Sessæ Ducis excitato. Sanitas in instanti restituta Tiburtiæ Florentiæ Auximanæ ad contactum subuculæ Beati, cui sese enixè commendaverat; multiplicatio demum farinæ in magna quantitate in Monialium Monasterio Sancti Dominici Prati. Quibus ritè probatis Clemens X. Beati Titulum, & Cultum ei indulsit; Novoque Processu de his, quæ supervenerunt fabricato, Sanctitas Vestra, prævio Sacræ Rituum Congregationis consilio, alia duo Miracula approbavit: subitæ nimirum Sanationis Puellæ decennis à diuturna paralysi, quâ in Coxis, & Cruribus laborabat; Necnon instantaneæ emissionis fœtus à pluribus diebus jam mortui in utero Matris, & absque ullo ejus dolore editi, cum ipsius Matris præservatione ab evidenti mortis periculo: Quibus omnibus maturè perpensis, Sacra eadem Congregatio censuit posse tutò deveniri ad solennem ejusdem Beati Canonizazionem. Superest igitur, ut Sanctitas Vestra Beatum Pium Sanctorum Fastis adscribat: pro qua gratia assequenda multi Principes Catholici, in hujus Causæ limine humillimas preces porrexerunt, & ad pedes Sanctitatis Vestræ repetit Universus Prædicatorum Ordo.

Ea

Eâ absolutâ Sanctitas Sua DD. Cardinalium sententias super ejusdem Beati Canonizatione exquisivit his verbis.

EXcepistis, VENERABILES FRATRES, *quas, & quantas Altissimus in Beato Pio V. virtutes collocaverit, & quàm mirabilis in eo fuerit, qui facit mirabilia magna solus. Placet nè igitur Vobis, ut ad tanti Pontificis, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, adeôque in tempore iracundiæ esse poterit reconciliatio, solennem Canonizationem, juxta consuetum Apostolicæ Sedis morem procedamus?*

Ad hæc DD. Cardinales assurgentes unus post alium aperto capite, responderunt omnes: *Placet*.

Tum Eminentissimus de Abdua relationem vitæ, virtutum, & miraculorum B. Andreæ Avellini sequenti methodo prosequutus est.

BEATISSIME PATER.

BEatus Andreas Avellinus Castronovo Lucaniæ Oppido in Regno Neapolitano, honestis æquè, ac piis Parentibus natus est Anno 1521. *Adolescens in servanda Castitate, plurimum enituit: Neapoli Juris Lauream adeptus, ac deinde Sacerdos factus, ad meliora Studia eum revocante Numine, forensem curam reliquit; ac intrà Clericorum Regularium Claustra, sic totum se Deo per solennia Religionis Vota mancipavit, ut Virtutum omnium, quas diligentissimè excolebat, splendore præluxerit. Cruciatuum, pœnarumque sitientissimus Martyribus invidebat; & ut meliùs ad Regis Martyrum Christi exemplum se componeret, in se ipsum sævire gestiens, Corpus nunquam interrupta afflictatione torquebat; & novam sibi dari quacunque die patiendi materiam Jesum suum enixè deprecabatur. Charitate Dei intimè vulneratus, majora exoptans pro Domino suo pati, duo hæc ardua emisit Vota: propriæ nempè voluntati se velle jugiter adversari; semperque ita se gerere, ut nulla laberetur dies sinè novo gradu ad perfectionem adipiscendam; Unde semper se ipso melior, utriusque sui Voti compos factus, & visus est.*

Quapropter omnes illum, ceu hominem Cœlo delapsum, adibant. Nihil autem de studio alienæ salutis omittens, non tam sibi, quàm aliis se natum esse monstravit: Omnibus omnia factus, sermonibus, consiliis, Confessionibus excipiendis, totus aderat, ut Christo omnes lucrifaceret; Humilitate, Patientia, ac Regularis Disciplinæ studio maximè effulsit. Divo Carolo familiaritate conjunctus, suam ipsi operam in iis, quæ ad pastoralem curam attinebant, diligentissimè præstitit. Nullis ejus Charitas terminis coercebatur, nullum laboribus ocium faciebat, nullo deterrebatur periculo, nec morbis poterat detineri, quin vel ægrotus proximis opem ferret. Et mirum est, quanta pro Animarum bono, & præcipuè pro tuenda, qua sui, qua aliorum Castitate, sit ipse mala perpessus. Non semel Tenebrionum sensit juratos in necem gladios, gravi vulnere excepto; Verùm, nec labore victus, nec morte vincendus, pœnas vorabat omnes, & proprio condecoratus sanguine triumphum agere videbatur. Hæc omnia quàm Deo fuerint accepta mirabilibus signis comprobatum est; inter quæ cum noctu ad Animarum salutem iter ageret, extincta ventorum vi, quæ prælucebat, face, mirabilis ejus corpus repente circumambiens fulgor, ipsum, ac Socios, nec minimùm decidentibus imbribus madefactos, domum usque perduxit. Aliis etiam donis, & gratiis clementissimus Dominus Servum suum cumulavit. Prophetiæ dono futura, absentia, ac cordis secreta introspexit. Quamplurimis tandem de Mundo, Carne, Dæmone victoriis reportatis, ferè nonagenarius supremum clausit diem decimâ Novembris Anno 1608.

Discussis autem, & approbatis in Sacrorum Rituum Congregatione virtutibus, tam Theologalibus, quàm Cardinalibus in gradu heroico, necnon octo Miraculis intercessione Beati Andreæ à Domino patratis, San. mem. Urbanus Octavus Andream Beatorum fastis adscripsit Anno 1624. *In discussionem novissimè adductis, & approbatis ex pluribus tribus miraculis post Beatificationem secutis: Instantanea nempè sanatione Jacobi Jovii ab attractione, & exsiccatione medietatis corporis deorsum: Joannis Baptistæ Corizzo à profundo vulnere capitis absque ullo cicatricis signo: Et pueri Scipionis Arlei à gravissima frontis contusione, ac vertebrarum colli luxatione, SANCTITAS VESTRA, eâdem Sacrâ Rituum Congregatione auditâ, benignissimè*

ſimè tandem conceſſit Decretum ſolennis ejuſdem Beati Andreæ Avellini Canonizationis; Pro qua Reges jam pridem, Principesque quam plurimi ſupplicarunt: nunc Clericorum Regularium Ordo in ſui ſpirituale augmentum, in commune Chriſtiani Orbis bonum, ac in Sanctæ Matris Eccleſiæ lætitiam humillimè ſupplicat.

Hac etiam relatione abſoluta Sanctiſſimus Pater ita de B. Andreæ Avellini vita, rebus geſtis, & miraculis Fratrum ſententias poſtulavit:

INtellexiſtis, VENERABILES FRATRES, *quàm præclarè Beatus Andreas Avellinus in omnibus ſe exhibuerit ſicut Dei Miniſtrum, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu* Sancto, *in charitate non ficta. Intellexiſtis pariter, quàm illuſtribus Omnipotens Dominus ejus ſanctitatem teſtimoniis comprobaverit. Videtur nè itaque Vobis expedire, ut ad illius quoque Canonizationem ſolenni ritu deveniamus?*

Tum DD. Cardinales approbarunt omnes per verbum: *Placet*.

Subindè Eminentiſſimus de Abdua Beati Felicis à Cantalicio vitam retulit, res geſtas, & miracula in hunc, qui ſequitur, modum.

BEATISSIME PATER.

BEatus Felix in Cantalicio Reatinæ Vallis Oppido, anno circiter milleſimo quingenteſimo decimo tertio, Patre Sancto de Porris, Matre Sancta de Nobilibus natus eſt. Deo, quo Magiſtro citò diſcitur, quod docetur, Genitorum ruditatem ſupplente, puritatis, ſimplicitatis, ac innocentiæ ab ipſamet Pueritia ſeſe exemplar exhibuit. Paſcendis gregibus, agrorumque culturæ addictus, hora quietis adveniente, ſociis ſe clam ſubducens, ſub quercu genibus flexis, ferventer orabat. Annum agens trigeſimum, Capuccinorum Ordinem ingreſſus eſt; in quo exacto feliciter Tyrocinio, votiſque nuncupatis, ad ſtipem pro Fratribus emendicandam in Urbe Roma deſtinatur; quod officium, in omnibus ſe præbens exemplum bonorum operum, per annos ferè quadraginta, non ſinè magna omnium ædificatione fideliter exercuit. Nemo tam auri, quietis & honoris, quàm Felix paupertatis, laboris, & contumeliæ cupidus, carnem ſuam ciliciis, inedia, flagellis, frigore, pedum, capitiſque nuditate, interdum loricâ ferreâ, quâ indutus ſeptem Eccleſias viſitare conſuevit, caſtigans, eò præſertim humilitatis devenit, ut ſe Fratrum Aſellum ad onus Charitatis ſubeundum paſſim arbitraretur, ac diceret. Orationi, rerumque Divinarum contemplationi, majorem noctium partem impendit. Charitate in Deum ardens, Sanctiſſima JESU, *ac* MARIÆ *nomina tenerrimo cordis affectu, ſæpiſſimè uſurpabat, Cantiunculas ſuper iiſdem devotiſſimas recitans: eaſque, ut illas à prophanis cantionibus arceret, nobiles fœminas docebat; Cruces ligneas ſuis manibus fabrefactas, ad imprimendam in Fidelium mentibus Paſſionis Chriſti memoriam, diſtribuebat. Erga Proximum adeò fuit ardore Charitatis effuſus, ut pauperes, Infirmoſque in publicis Noſocomiis viſitaret: eorum anguſtias ſuaviſſimis verbis leniret: inopiæ, pane, vino, linteaminibus ſubveniret. Sui ipſius contemptor, Sancti Philippi Nerii pileum per totam Banchi viam; Roſamque ad aurem; ac in manibus perſicum, Cardinali Sfortia ſic jubente, oblocutiones Populi tranquillo animo ſpernens, conſtanter detulit. Annum denique agens ſeptuageſimum quartum, ſua jam prænunciata morte in febrim incidit, nihilque de priſtino rigore remittens, donec acri cum Dæmone ſuperato conflictu, mirabili Deiparæ Virginis Angelorum Choris ſtipatæ viſitatione, ac præſentiâ confortatus, in Verba:* Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum, *migravit ad Dominum die decima octava Maji anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo.*

Introductâ Beatificationis & Canonizationis Causâ Beati Felicis virtutes fuerunt diſcuſſæ, & appobatæ.

Miraculis adhuc vivens, & poſt mortem multiplicibus coruſcavit, quorum quatuor per Sac. Rituum Congregationem approbata, ſunt hæc.

Clarix Guarneria tumore pedum ad triennium laborans; Fr. Paulus à Tybure Capuccinus

nus articulari morbo affectus, & immobiliter jacens; Dominicus Floranus primò febri continua, & acuta, deinde verò Apoplexia, Paralysi, Hydrope, cum Cancro putrido correptus; Gabriel Bolognoli trium annorum puer, lumine oculorum omnino privatus: qui omnes oleo lampadis ad ejus sepulchrum ardentis peruncti: Tres primi continuò surrexerunt incolumes: quartus extemplò visum recepit.

His, ut diximus, rite discussis, & approbatis, Urbanus Octavus Anno Jubilei 1625. prima die Octobris, Beati Titulum, ac Cultum ei concessit; Novisque Processibus de his, quæ supervenerunt, fabricatis, Innoc. X. instantaneam sanationem Genu Fratris Caroli à Tuderto Laici Capuccini: & novissimè Sanctitas Vestra instantaneam sanationem pueri Leopoldi Francisci de Torris à febri acuta, & maligna cum Pulmonis inflammatione approbarunt.

Cùm hæc igitur sint, BEATISSIME PATER, *Beati Felicis, heroica gesta, & Miracula, quibus accuratè perpensis, & discussis Congregatio Sacr. Rituum repetito voto censuit, posse tutò deveniri ad solennem ejusdem* Canonizationem; *reliquum est, ut S.V. Beatum Felicem Sanctorum Fastis adscribat, Causæque numeris omnibus absolutæ coronidem adjiciat.*

Pro qua gratia, sicut jam in introductione Causæ, Reges, & Principes Catholici, Sanctæ Sedi supplicarunt: Ita nunc pro eadem obtinenda ad pedes S.V. humillimas preces porrigit provolutus totus Capuccinorum Ordo &c.

Narratione absolutâ, Beatissimus Pater iterum de B. Felice DD. Cardinalium suffragia his verbis exquisivit.

VENERABILES FRATRES: *Ex iis quæ audistis perspectum satìs est, quomodo Beatus Felix à Cantalicio, qui non cognovit literaturam, introiverit in potentias Domini. Vir sanè simplex, & rectus, ac timens Deum; quomodo itidem illius memoria jamdiu sit in benedictione populorum, qui illum verè Francisci filium, hoc est pauperem, & humilem, tam heroicarum virtutum meritis insignem, quàm illustrium miraculorum gloriâ præfulgentem pia devotione deprædicant. Placet nè igitur Vobis, ut ad solennem illius Canonizationem juxta Ecclesiæ institutum procedamus?*

Et DD. Cardinales concordibus suffragiis annuerunt per verbum: *Placet.*

Demùm Eminentissimus de Abdua super vita, virtutibus, & miraculis B. Catharinæ de Bononia narrationem exorsus sic loquutus est.

BEATISSIME PATER.

Beata Catharina ex nobilibus, ac piis Civibus Joanne de Vigris Ferrariensi, & Benvenuta de Mammolinis Bononiensi Bononiæ nata, jam inde ab ineunte ætate non obscura prætulit Sanctitatis indicia. Sub auspiciis enim Beatissimæ Virginis, natali ejus die in lucem prodiit; absentique tum Patri divinitus est pronunciatum, fore aliquando, ut recens orta ipsius Filia magnum Orbi Christiano lumen afferret: & statim quidem cœleste præsagium comprobavit eventus. Nam vix domi reptans, erogare stipem Pauperibus cœpit: ita videlicet Deo præmonstrante, quantus esse deberet in electa sibi sponsa Seraphicæ paupertatis amor, & quibus monilibus eam ornari vellet, non gemmarum, sed virtutum. In eam spem educata, puerilibus ludis nihil dabat, solùm rebus Divinis intenta; & prodente se magis in ejus corde Spiritûs Sancti gratia, incitato studio ad bravium Sanctitatis aspirabat. Cùm annum undecimum attigisset, à Patre suo in Aulam Nicolai Estensis evocata, Margaritæ hujus Filiæ, cum aliis Nobilibus Puellis comes adjuncta, omnium sibi venerationem, & amorem conciliavit; interea vacans latinis literis, & prophanis omnibus libris à se rejectis, uni Sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum lectioni addicta: ex quo brevi factum est, ut cœlestium rerum supra captum ætatis, & sexus particeps fieret, jugique orandi Deum, ac Divina meditandi consuetudine, interioris, ac mysticæ disciplinæ Magistra evaderet, sicut reliqua ejus vita, & quæ ipsius extant scripta, luculentissimè ostendunt. Mox Patre defuncto, festinavit ad nuptias Agni, seque in Ferrariense Gynecæum, per eos dies à pia quadam Virgine institutum recepit;

pit; ubi, ut ejus virtus faceret cum tentatione proventum, crebris, atque diuturnis, iisque molestissimis ab hoste communi jactata insidiis, fortiter pugnans, divinis est sæpe colloquiis, & revelationibus illustrata; cœlesti Sponso hilaritatem, & claritatem sui vultus in ejus animam effundente, atque altissima explicante mysteria, quæ Virgo verè fortis in fide clarissimè intelligebat, ac tenacissimè profitebatur. Neque impar in ea fuit spes, & charitas; solicitè enim cupiens placere Deo, ac multùm diligere, præteritæ vitæ noxas, etsì levissimas, magno recogitabat dolore, sæpius Christum Dominum exorans, ut quidquid antea deliquisset, plenâ indulgentiâ dimitteret, ex quo postea sinè ruga, & sinè macula exhiberet se Sponso suo sicut Columbam, quæ lacte sit lota, nidumque suum posuit in foraminibus petræ, assidua contemplatione illi affixa, in quem solùm sperabat, & quem unicè diligebat. Aliquot deinde post annis, eo Gynecæo in Monasterium à Corpore Christi nuncupatum erecto, sub regula Sanctæ Claræ; vix annum vigesimum attingens, ita fulgebat Euangelicæ prudentiæ radiis, ut currentibus Adolescentulis in odorem unguentorum Cœlestium, Tyrocinii præses, & Magistra præiverit. Tùm verò sapiens, & vigilans Virgo Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ vivum illis præbebat exemplum; & præcinctis lumbis fortitudine, ac temperantia, simulque præferens lucernam ardentem in manibus, nec tam sermone potens, quàm opere, arctum, & arduum Justitiæ iter, longo ante alias intervallo, conficiebat. Demum annos nata quadraginta tres, Auctoritate Apostolica Bononiam rediit, ubi Monasterium sub eadem appellatione Corporis Christi fundavit, & rexit, à Bononiensibus Civibus magna celebritate in Urbem illam deducta, quibus eam Deus Patronam decreverat. Supremum Antistitæ munus bis exercuit, in quo, & septem post annos vivere desiit, magnisque statim claruit miraculis: quemadmodum, & multa in vita patraverat. Ex hujus tumulo cœlestis quidam odor, & splendor prodibat, eique accurrentes morbo aliquo, quamvis inveterato, & gravi captæ Moniales, illius patrocinium recuperata valetudine sentiebant. Erutum deinde post aliquot dies Cadaver, inventum est integrum, & incorruptum; Cùmque ex eo suavissimus odor manaret, & hujus rei fama momento temporis per Civitatem lata fuerit, affluenti omnis generis multitudini palàm expositum est; & tertio jam labente seculo, ex quo Deus gloriam suam in Catharinæ corpore ostendit, illud incorruptum apparet, non Cadaverum more decumbens, sed viventis adinstar sedens, atque erectum. Tantarum verò virtutum, & miraculorum auctoritate, simulque constanti apud omnes opinione Sanctitatis hæc Apostolica Sedes permota, Beatæ cultum illi permisit, quem Clemens Septimus approbavit, festum ejus diem indulgens celebrari à Monialibus Corporis Christi; itemque Clemens Octavus confirmavit, & auxit, adjecto in Martyrologio Romano ipsius nomine, quam Beatam appellavit. Cùm autem è supervenientibus novis miraculis, post indultam venerationem, Sanctitas Vestra, Sacræ Congregationis Rituum auditis suffragiis, duo potissimum approbaverit, nempe Sanationes in articulo temporis factas luxationis manûs à novem mensibus inflexibilis, & à Medicis derelictæ in Sorore Justina de Calcinis, & gravissimæ febris cum delirio, & lethargo per dies ferè sexaginta sinè spe curationis in Sorore Maria Geltrude de Ghirardellis: Tum, iterum audito unanimi consensu ejusdem Sacræ Congregationis, censuerit quandocumque deveniri posse ad prædictæ Beatæ Canonizationem, suumque super ea re Decretum expediri, & publicari mandaverit; propterea Senatus, & Civitas Bononiensis humillimè se provolvunt ad Sanctissimos Pedes, atque instantissimè petunt à Sanctitate Vestra, ut Civem, & Patronam suam solenni ritu fastis Sanctorum adscribat; utque Cultum illius ab uno Clemente approbatum, ab alio auctum, ipsa tandem cumulet, atque perficiat; in qua idem CLEMENTIS nomen, tum ipsi Catharinæ, tum Bononiensibus Civibus, tum Christianæ Reipublicæ, hac etiam in re, lætitiam, & faustitatem pollicetur.

Quâ absolutâ Pontifex DD. Cardinales ad suffragia excitavit his verbis:

AUdistis, VENERABILES FRATRES, *quàm singularibus patientiæ, humilitatis, obedientiæ, paupertatis, ac potissimùm flagrantissimæ charitatis experimentis Beatæ Catharinæ sanctitas probata fuerit. Audistis similiter, quàm pręclaris, ac mirabilibus signis Divinus illam Sponsus decoraverit. Audistis demum, quomodo heroicę illius vir-*

virtutes ita ejus corpus cœlestibus imbuerint aromatibus, ut illud incorruptione quæsita, quasi cinnamomum, & balsamum aromatizans, & quasi myrrha electa perennem dederit odorem suavitatis. Placet nè igitur Vobis, ut etiam ad illius solennem Canonizationem rite procedamus?

Quibus DD. Cardinales unanimi consensu, magnaque alacritate responderunt omnes: *Placet*.

Hæc de proxima Beatorum Canonizatione, quantum rei gravitas postulabat, acta sunt. Subindè paululùm interquiescente Summo Pontifice, ventum est ad Ecclesiarum propositiones, quibus absolutis, signo per ultimum Diaconorum dato, præstò fuimus ad ingressum. Tum Diaconorum Cardinalium Prior exuit Stolâ Pontificem, qui Sede descendens ad Secretiora cubicula rediturus, producto super Cardinales Crucis signo, Consistorium dimisit. Erant postmodùm pro Canonizatione in publicis Consistoriis audiendæ Advocatorum Aulæ Consistorialis instantiæ, quæ non nisi luculentissimis Orationibus fieri consueverunt; neque in uno, quot erant Beati Canonizandi, tot fieri poterant instantiæ, neque plus æquo protrahenda res erat, cùm præstitutum tempus instaret, nec locus esse videretur (1) quatuor Consistoriis, quot erant Causæ, celebrandis. Omnem hanc ademit hæsitationem Pontifex: Jussit enim duobus publicis Consistoriis rem peragi, & primum juxta regulas Ceremoniales habendum in Aula regia pro die Sabbati viii. Kal. Maji, in quo de BB. Pio V. & Andrea Avellino instandum esset, mandavitque hac, quæ sequitur, formula denunciari.

INTIMATIO

Per Cursores facienda, Domi quoque dimissâ copiâ.

D*Ie Sabbati 23. currentis Mensis Aprilis horâ decimâ tertiâ erit Consistorium publicum in Aulâ Regiâ Palatii Vaticani, ad quam Sanctissimus Dominus Noster Sede vectus ex Aulà paramentorum accedet: Eminentissimi verò DD. Cardinales cum Cappis violaceis ex Camelotto ad eamdem Aulam paramentorum se conferent, & statim ac Sanctitas Sua ascenderit solium, consuetam obedientiam ei præstabunt. Postea D. Advocatus Consistorialis Marcellinus Coyrus referet Vitam, Virtutes, & Miracula, necnon acta omnia in Causa Canonizationis Beati Pii Quinti Summi Pontificis, & pro illius Canonizatione instabit: Deinde D. Advocatus Consistorialis Philippus Sacripantes similia referet in Causa Beati Andreæ Avellini Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, & similiter instabit pro ejus Canonizatione; quibus subindè genuflexis, D. Secretarius Pontificiarum Literarum, quæ ad Principes scribuntur, è sinistro latere Solii Suæ Sanctitatis nomine respondebit.*

Ideo intimentur omnes, & singuli Eminentissimi, & Reverendissimi DD. Cardinales; intimentur etiam Decani, seu antiquiores Episcoporum Assistentium, & non Assistentium, Protonotariorum, Auditorum Rotæ, Clericorum Cameræ Apostolicæ, Votantium Signaturæ Justitiæ, Abbreviatorum, & Advocatorum Consistorialium, ut Collegas suos admoneant, & Cappis induti intersint; sicut etiam Secretarius Congregationis Sacrorum Rituum, & Promotor Fidei.

Similiter intimentur Gubernator Urbis Vicecamerarius, Principes Solii, Conservatores Urbis, Oratores Civitatum Subditarum, Magister Sacri Hospitii, cæterique intimari soliti.


De mandato SS. Domini Nostri Papæ.

Candidus Cassina Magister Ceremoniarum.

Porrò Aula Regia in Vaticano ea est, quæ prima post magnos ad Constantini simulacrum gradus sese offert ascendenti: Celebris illustrium Virorum picturis, quæ provido Sanctissimi Patris mandato nuperrimè fuerant à sordibus expurgatæ, inauratis etiam undequaque earundem Coronis arabico more constructis: Celebrior, magno ad dexteram Paulino Sacello: maximo ad lævam Sixtino; adeò spatiosa, ut Pontifex sacras non semel in anno per eandem, magnâ Præsulum frequentiâ, consueverit obire Processiones: Celeberrima, tum quia [2] ibi Reges, aut Regii Legati ad obedientiam Pontifici præstandam missi, excipiuntur: tum etiam quia inibi Canonizationum Causæ palàm pertractantur.

Id-

[1] *Juxta Decretum Sac. Rituum Congregationis sub die 3. Janu. 1622. ubi habetur: In Canonizatione plurium Beatorum de uno tantùm agendum esse in quolibet Consistorio.* [2] *Cerem. Rom. lib. 1. sect. 13. Cap. 2.*



Ichnographia Aulę Regię in Vaticano prô Consistorio publico.

Idcirco Palatii Apoſtolici Coſmetæ eam ad S. R. E. libri Ceremonialis præſcriptum inſtruxerant, Pontificio ſcilicet Throno in Capite Aulæ ex adverſo Sacelli Paulini excitato, & ſedilibus Cardinalium præaltis de more diſpoſitis. Hæc aulæis atrebaticis cooperiebantur; illud purpureo panno: Sedes Pontificalis parieti hærens rubra tegebatur attalica veſte. Umbella ſupra ſedem ex atrebatico periſtromate auro contexto confecta nonniſi majeſtatem præſeferebat.

Summo manè Sabbati cuſtodierunt Aulam milites Helvetii, tranſitu DD. Cardinalibus, & Prælatis ad Aulam paramentorum relicto. Aula ſiquidem paramentorum ex eo dicitur, quod ibi Summus Pontifex ad functiones Eccleſiaſticas obeundas paramenta, ideſt Sacras veſtes ſuſcipiat; Cæterùm Sancti Spiritus nuncupatur, poſt regiam tertia, quæ modò textilibus circumveſtitur atrebaticis, videlicet in ſolennitatibus, modò violaceo holoſerico, lineis aureis per ſuturas decurrentibus, ut in actionibus mœroris, & Pœnitentiæ: modoque omnibus conſpicitur ornamentis denudata, veluti poſt Veſperas feriæ v. in Cœna Domini, & feriâ vi. in Paraſceve. In hanc coadunatis DD. Cardinalibus, deſcendit Summus Pontifex in proximiori parvo cubiculo indutus magnâ ſericâ faldâ, quam eſſe crediderim veſtis ſupplementum ad augendam Pontificiam Majeſtatem; Peculiare ſiquidem Pontificis, dum exit ad Sacra, & ad Conſiſtoria, indumentum eſt, quod à femore ad pedes deſcendit valdè amplum, & laciniosum, longo, latoque ſyrmate ultra communem uſum, etiam in antîca parte ſatis prolixum, & clauſum; ſerico autem funiculo ad femora conſtringitur, oramque habet diffluentem ſemper coloris albi: plerumque ex ſerico, aliquando etiam ex lana conſtat pro temporum, & actionum qualitate. Cycladem quoque appellarem, veſtem ſcilicet tenuiſſimam, rotundam, & ſpatioſam, quæ in modum veli corpus in ea parte circumdat à græco verbo κυκλόω ideſt *circumdo*: unde illud Propertii: *& Cyclade longa Verrit humum*. Induitur ad Caſulæ modum, & ejus ora colligata Rocheto contegitur: E cubiculo faldæ ita dicto, quia ibi eâ induitur Pontifex, in anteriori parte à duobus Cubiculariis aſſiſtentibus, in poſtîca à Caudatario eadem falda defertur uſque ad lectum paramentorum. Ibi Summus Pontifex detractis per Diaconos aſſiſtentes Camelaucio, & Byrro, quem vocant Mozzettam, circumſtantibus intrà ſubſelliorum tetragoniſmum DD. Cardinalibus, ac [monitis per verbum: *cooperiant*: à Ceremoniarum Magiſtro] ſe ſe cooperientibus, fuit indutus Amictu, Albâ, Cingulo, Stolâ rubrâ Phrygio opere elaboratâ, auroque intertextâ, Pluviali ſimillimo, & Formalio ex adamantibus aliàs *Rationale*, ac Mitrâ ex textili aureo tenuiſſimo. Cùm Stolam induiſſet Pontifex, Subdiaconus Apoſtolicus haſtilem capiens Crucem, quæ parieti ad lecti dexteram hærebat illuc è ſecretiori Pontificio Sacello comportata per Magiſtros Oſtiarios Virgæ rubeæ, à brevi virga in extremitatibus argenteo ornatu, in reliquo holoſerico rubro tecta ita nuncupatos, ſtatuit ſe in conſpectu Summi Pontificis noſtræ mox redemptionis vexillum veneraturi; quo peracto, ſurgens ad verbum: *Extra*: à Ceremoniarum Magiſtro prolatum, ſupplicandi ritu, medius inter eoſdem Magiſtros Oſtiarios ad Aulam regiam ſenſim perrexit, ibique in dextero Solii latere eam parieti ſimiliter hærentem collocavit. Secuti ſunt Crucem Eminentiſſimi Patres bini incedentes violaceis Cappis ſuper veſtes rubeas induti, & poſt eos [maxima nobilium etiam advenarum frequentia cum Urbis Conſervatoribus præeunte] Summus Pontifex, cui faldæ extremitates anteriores elevabant duo Protonotarii Apoſtolici, Pluvialis duo antiquiores Cardinales Diaconi, poſteriores verò, ſcilicet utriuſque ſyrmata, Comeſtabilis Columna Solii Princeps ex laicis nobilior. Poſt deſcenſum trium magnificorum Aulæ Ducalis graduum ex liguſtico marmore (1) Sellam geſtatoriam conſcendit Sanctiſſimus Pater, quâ ab octo ex Paraſrenariis rubeo ſago amictis in Aulam Regiam delatus eſt. Ibi è ſella deſcendens ſublime Solium conſcendit; & ſedens Eminentiſſimos Patres ad oſculum manus ſub ora Pluvialis ante pectus defluenti phrygio opere, & Imaginibus Sacris acu præſtanti picta, recepit. Actio hæc dicitur: *Obedientia*: quæ ſemel (2) tantùm in die, etiamſi plures Conventus, vel Cappellæ celebrarentur, à Sacro Senatu ſummo Pontifici præſtatur. Exhibitâ Obedientiâ ad ſua ſedilia inter Collegas ituri Diaconi aſſiſtentes debitis reverentiis receſſerunt è latere Pontificio, ubi Flabella pavonicia, videlicèt ex pavonum pennis confecta, hinc indè à lateribus à duobus Cubiculariis aſſiſtentibus tenebantur.

Pontifex eminenti ſedebat in Solio: Car-

[1] *Antiquitus vocabatur* Sellarium *Ord. Rom. c.3. fol.11. col.2. apud Hittorp., & Magr. in Hierolexic. verb* Sellare. [2] *Cerem. Rom. lib.3. ſect. prima cap.4. circa fin.*

Cardinales ſolita occupabant ſcamna: Epiſcoporum, & Protonotariorum ordo per gradus Solii locatus: Curiæ Officialium multitudo, quæ aderat, frequentiſſima, id ſpatii occupabat, quod Cardinales inter, & Pontificis Solium intercedebat: Pontificiarum Literarum ad Principes Secretarius in plano Solii è ſiniſtro latere ſe compoſuerat Orationibus, & inſtantiis reſponſurus: Advocati Conſiſtoriales duplici ordine juxta eoſdem gradus anteriores conſiſtebant, nutu Ceremoniarii Pontifici aſſiſtentis, in unum coituri; cæteri de populo à tergo ſedilium Cardinalium. Fores, quæ hinc à Conſtantini, & indè ab Atrii Datariæ gradibus ingreſſum in Aulam præbent, ad noxium arcendum aerem clauſæ. Tum Ceremoniarii nutu, Advocati Conſiſtoriales in unum coacti genuflexerunt Pontifici, & ſurgentes, ac ſeſe in formam ſemicirculi exhibentes, medium tenuerunt oraturum Collegam Co: Marcellinum Coyrum, qui mox de B. Pio ornatiſſimam habuit Pontifici orationem.

„ QUod unum, BEATISSIME PATER, calamitoſiſſimis hiſce temporibus ad Populorum Chriſtianorum gaudia, ad majorem fidei Orthodoxæ gloriam, ad Romanæ decus Eccleſiæ, præſidiumque maximè facere videbatur, id Summo Dei Omnipotentis beneficio, nobis hodierna die mihi videtur contigiſſe. Hic enim ſacerrimus Ceremoniarum apparatus, hæc veneranda Sanctiſſimi Ordinis frequentia, quæ in hoc unitatis centro, domicilioque veritatis Summum circumſtant rerum ſacrarum Antiſtitem, divinos jamjam decreturum honores B. Pio V. olim Pontifici Maximo in hac ipſa Sede, quam ille dum viveret tot virtutibus illuſtravit, & cœleſtis illius Jeruſalem ſuper aſtra triumphantis ſpeciem præſeferunt; & adversùs Hæreticorum calumnias Romanæ Sedis unitatem, ſanctitatem, ſtabilitatem, contra quam Inferi portæ minimè prævalere poterunt, omni ex parte confirmant: Cùm non fidei ſolùm, ſed etiam morum ſanctiſſimorum ſucceſſione numquam interrupta, Eccleſia cum in membris ſuis, tum in ipſo viſibili capite ſinè ruga, atque macula, ut decet Agni ſponſam, ſancta, & immaculata demonſtretur. Lætor igitur, BEATISSIME PATER, ac ſummo gaudio perfundor, quod in hoc ampliſſimo Orbis Terrarum, auguſtiſſimoque Conſeſſu tale mihi ad dicendum oblatum eſt argumentum, in quo Reipublicæ Chriſtianæ lætitiam, cauſam totius Eccleſiæ, honoremque Apoſtolicæ Sedis cum laudibus Beatiſſimi Pontificis video eſſe conjuncta. Quare etsì hujuſce argumenti præſtantiam, non dicam Oratione, ſed aſſequi cogitatione arduum ſit, atque difficile, mihi præſertim homini indiſerto, atque inexercitato: non tamen ego vereor ſuſcepti muneris difficultatem: Cùm ipſa per ſe à Sanctiſſimo Pontifice pulchre geſta, nudè, ac ſimpliciter enarrata, tam grandem omnium animis ingerere poſſint opinionem: ut non operoſiùs exquirere, aut arceſſere longiùs ornamenta eloquentiæ mihi hoc loco, hoc tempore dicenti opus ſit. Dicam igitur, quod ipſa res feret de B. Pio V. Pontifice Sanctiſſimo, non ut Oratoris induſtria, ſed ut argumenti dignitas, ac majeſtas, ſinè fuco, & phaleris, planè, apertéque videantur.

„ Itaque illud in primis, quod à Patria, ab opibus, à claritate generis ductum in laudationibus præſtantiſſimorum Virorum Oratores quamplurimi facere ſolent initium, quamquam in laudibus hujus Viri ſuum habere locum poſſet, tamen jurè, ac meritò arbitror ſilentio eſſe prætereundum. Illa ſiquidem hoc loco de Beatiſſimo Pontifice à me potiſſimùm commendari debent, quæ ipſe maximè commendanda putavit animi ornamenta; admonet enim me B. Ambroſius *probati viri genus virtutum proſapiam eſſe, ac ſicuti hominum genus homines, ita quoque Animarum genus virtutes honeſtare*. Unum igitur hac de re breviter dicam, Pium ſcilicet Quintum, Michaelem antea dictum in Oppido Boſchi Derthonenſis Diœceſis Anno 1504. ortum eſſe ex gente Ghiſleria, quæ inter Patritias Bononienſis Urbis olim conſcripta, ad declinandam Civilium diſcordiarum invidiam, Patrio decedere è ſolo coacta, in eam Inſubriæ oram ſeſe receperat. Egregiam Michaelis indolem, animamque bonam, quam ille à Deo ſortitus erat, ita pii, honeſtique Parentes Chriſtiana educatione excoluerunt, ut ingenuus in puero animi candor, jam tum eximia pollicentis; modeſtia item *caſtimoniæ comes, nitorque gratiæ*, tum pietas adversùs Deum, ac Religio, veluti prima virtutum germina futuræ ſanctitatis præſagia feliciter erumpere, atque effloreſcere viderentur; unde non ex deſidia, inertique otio, ſed ex liberali ingenio, nihil niſi magna cogitanti, ac mundana quæque veluti infra ſe poſita deſpicienti nata eſt à vilioribus

„ alie-

„ alienatio; Etenim ubi primum quosdam „ è Dominicana Familia, ut laudatissimo illi Instituto nomen dare vellet invitantes, „ offendit ingenuus Adolescens, ratus illorum verba, Dei voces esse, illico Parentibus, Amicis, ac Mundo penitùs valedixit: Atque in Vogheriæ primùm, dein „ in Viglebanensi Cœnobio veterem expoliatus hominem, sacroque Prædicatorum „ habitu indutus, statim cœpit continentiæ, tolerantiæ, humilitatis, obedientiæ, omnium denique edere exempla virtutum, ut in ipso tyrocinio summum perfectionis apicem facilè attigisse crederetur.

„ Ipse tamen ab optata virtutis possessione se longiùs abesse ratus, quo propriùs „ ab aliis accessisse existimabatur; proque „ summa, qua in Deum ferebatur, voluntate, nihil in suscepto sanctioris vitæ instituto bene actum reputans, ubi aliquid piè, „ sanctéque gerendum restaret, incredibile dictu est, quanta animi contentione, „ & sodales suos æmulari, & secum ipse „ certare niteretur, ut melior in dies, ac „ perfectior evaderet: Quo factum est, ut „ severioris disciplinæ studio acriùs incumbens, eo in gradu divinarum virtutum, fidei, spei, & charitatis augmentum fuerit assecutus, ut ab ipso semper heroicum aliquid proficisci videretur. Ecquis „ enim eximiam erga Deum, hominesque, „ Michaelis charitatem non suspexerit, qui „ viderit, illum, non humanis, sed Angelicis præditum moribus, ita non interrupta rerum cœlestium contemplatione delectari, ut uni semper Deo adhærere, & „ nonnisi ut dona Dei proximis communicaret, versari inter homines diceretur? „ Id unum per varias Italiæ Urbes sexdecim annorum spatio Doctoris munere „ functus præ oculis habuit, ut in Auditorum animis, non scientiam literarum „ tantùm, quæ sola inflat, sed una cum literis Dei charitatem, quæ ædificat, verbis „ instillaret, firmaret exemplis; verè simul „ lucerna lucens, & ardens, quippe qui ex „ Bernardo didicerat, quòd *lucere vanum: ardere parum: lucere, & ardere perfectum*.

„ Quàm verò profundas ejus in corde fixerit spes Christiana radices, rerum caducarum, quæ apud Mundi amatores in „ pretio esse solent, magnanima quædam, „ ac cœlestem hæreditatem unicè desiderans contemptio declaravit. Non ille „ honores seculi, fluxamque gloriam appetere umquam visus fuit, qui ab omnibus despici, ac *pro nomine Jesu contumeliam pati* semper optarit: Non gulæ blandimenta quærere; non carnis illecebras, „ qui asperrimam victus rationem pro deliciis habuerit, qui flagellis, aliisque voluntariis afflictionibus quotidie maceratus *Crucis mortificationem jugiter in suo corpore portarit*.

„ Cùm autem hæc omnia admiratione „ digna in hoc religiosissimo Viro fuerunt; „ tum singulare studium fidei Orthodoxæ „ supra cæteras virtutes principem sanè locum sibi vindicavit. Hujus rei testes sunt „ Purpurati Patres ea tempestate Religioni „ conservandæ ab Apostolica Sede Judices „ dati, qui exploratâ Michaelis doctrinâ, „ proque fide Catholica amore singulari, „ ei nihil tale cogitanti in Novocomensi „ primùm, dein in Bergomensi ditione adversùs hæreticam pravitatem inquirendi „ munus unanimes contulerunt. Quo sanè „ in munere quàm integrè, quàm fideliter „ præconceptæ de ejus zelo opinioni Michael responderit, norunt omnes, qui „ Michaelem viderunt ad tanti muneris „ procurationem admotum imperterritâ „ quadam animi constantiâ, & labores diuturnos, maximosque devorasse, & certissima capitis pericula, impetusque gravissimos perditorum hominum subiisse.

„ Exemplo sint unum, atque alterum à „ Michaele exhibitum firmitatis heroicę argumentum. Erat Novocomi Mercator, „ qui libros bene multos hæresis veneno „ conspersos per Italiam disseminandos paraverat, quod ubi rescivit Michael, sarcinas omnes apud Publicanos intercepit; „ Verùm cùm ii, quibus maximè Religio „ cordi esse debuerat, sumpto iniquitatis „ patrocinio, fucato tuendæ auctoritatis „ titulo, id exequi minimè paterentur, „ tanti facinoris Auctorem, ejusque criminis affines Michael anathemate perculit, nihil veritus Populi turbas ab improbis excitatas, qui in tantam odii adversus Michaelem devenerant insaniam, ut „ ipsum aliquando per Urbem incedentem, „ contumeliis, sibilis, lapidibus etiam ad „ proximum usque vitæ discrimen impeterent. Re postmodùm ad Provinciæ Præsidem delata, cùm tamquam concitati „ tumultus Auctor intrà brevissimum tempus Mediolanum petere jussus fuerit, „ declinatis insidiis, quas per iter consuetum paraverant impii, nè stato tempore, „ Præfecti indignationem indè incursurus,

„ accederet, aliâque divino consilio arre- „ ptâ semitâ, Mediolanum pervenit, *sese-* „ *que posuit veluti murum pro Domo Israel*: „ Tum omnibus ministerii sui partibus ab- „ solutis, negocioque hujus Sanctæ Sedis „ judicio delato, magnum, atque illustre „ probatæ fidei, constantiæque testimo- „ nium reportavit.

„ Neque verò stabilis minùs, ac fir- „ mus Michaelis animus apud Bergomates „ pro servanda fidei integritate refulsit: „ Fuerint ea in Urbe nonnulli ex primati- „ bus hæreseos labe contaminati. Fuerit „ illius Gregis Pastor in lupum conversus: „ qui omnes ad erroris defensionem colla- „ tis signis, opes, clientelas, magnaque „ nomina dignitatis afferrent; non præpo- „ tentum inimicitias, non insectantium mi- „ nas, non intentatam capiti mortem, dum „ impios modis omnibus persequeretur, ex- „ timescenda putavit: Et nonnisi deleta „ penitùs peste, sumptoque de reis suppli- „ cio, ab iis insectandis, vexandisque re- „ quievit. O Religionis vindicem fortis- „ simum! O veræ fidei assertorem acerri- „ mum! de quo illud meritò usurpatum „ fuerit *non animum martyrio, sed marty-* „ *rium animo defuisse*.

„ Hæc igitur, Beatissime Pater, Insubria „ penè tota spectante, vigilantiæ, ac for- „ titudinis Apostolicæ longè latèque dif- „ fusa lumina in causa fuerunt, ut Julius „ Tertius Michaelem Sanctæ Universalis „ Inquisitionis Commissarium declararet, „ facta ei in rebus fidei dijudicandis amplis- „ sima potestate: ut scilicet illius virtus la- „ tiorem aliquando exercendæ, cum justi- „ tiæ, tum misericordiæ campum sortiretur. „ Et sanè nullus eo justior, severiorque, „ ubi hæreticos pertinaces; nullus miseri- „ cordior, benigniorque, ubi sincerè resi- „ piscentes offendisset. Testis sit Xistus „ Senensis vir multiplici eruditione, ac do- „ ctrina celeberrimus: Hunc enim violatæ „ fidei reum, ut capitis pœnam effugeret „ flagitantem Michael absolvit, eumque „ non sinè prophetiæ lumine magno Eccle- „ siæ Catholicæ emolumento futurum ali- „ quando prædixit. Hæc itidem, aliaque „ quamplurima inusitatæ virtutis indicia in „ causa fuerunt, ut Michaelem ad Nepe- „ sinam Ecclesiam primùm, ac deinde in „ amplissimum Cardinalium Collegium an- „ no quinquagesimo septimo supra mille- „ simum quingentesimo Paulus IV. assume- „ ret: cujus tamen supremæ dignitatis tan- „ tum abfuit, ut appetens ille aliquo pa- „ cto videretur, ut cùm anno superiori sta- „ ta ipsa die, qua Purpuratorum Patrum „ coacto Senatu Pontifex ad Cardinalium „ electionem devenire decreverat, apud „ Cardinalem Carrafam divertens, de pro- „ ximè publicanda ejus electione jamjam „ Nuncius expectaretur, ubi Sacris Co- „ mitiis absolutis audivit in aliud tempus „ rem esse dilatam, vultu, animoque ad „ veram hilaritatem composito, *Magnam* „ inquit, *evasimus procellam*: Digna pro- „ fecto bene præparati animi vox, qua „ tantam dignitatem meruisse confirmavit; „ Hæc siquidem vox indicio fuit, ut Ro- „ mana Curia illarum virtutum exempla, „ quæ Michael in amplissimo constitutus „ Ordine daturus erat, in antecessum admi- „ raretur. Fuit enim in hoc Viro summus „ justitiæ amor in ferendis sententiis ab „ omni prorsus privati odii, gratiæve su- „ spicione liber, ac vacuus; Fuit in gravis- „ simis quibusque S. Sedis, Ecclesiæque „ negociis solertia, ac diligentia singula- „ ris; Fuit in procurandis egenorum, Vi- „ duarum, & Pupillorum commodis mise- „ ricordia verè paterna; Fuit (& hæc me „ penitùs in sui admirationem rapit) rara „ quædam ab amore veritatis, animique „ magnitudine profecta libertas, qua si „ quid Christianæ Reipublicæ profuturum „ intelligeret, apertis verbis sinè technis, „ sinè ambagibus, quæ vellet, quæque „ sentiret in medium proferebat: Nulli „ enim adblandiri solitus vitio, quamquam „ simulatam aliquando virtutis larvam „ præseferenti, non sibi, sed Deo maxi- „ mè serviens, non privato commodo, sed „ Reipublicæ bono prospiciebat. Hæc pro- „ fecto digna Christiano Principe, digna „ Sacerdote libertas, tuam illam, Vir San- „ ctissime, animavit vocem, qua Pio IV. An- „ niversaria Coronationis die post Epulas „ tunc fieri consuetas Ferdinandum Medi- „ ceum, ac Fridericum Gonzagam, quam- „ quam & generis claritate, & morum „ candore præstantissimos Adolescentulos, „ tamen in Sacrum Cardinalium Colle- „ gium præproperè cooptare volenti, nè „ id faceret posthabitis Tridentini Conci- „ lii ea de re recens editis decretis, forti- „ ter obstitisti: Hæc, hæc sanctissima liber- „ tas tua illa peperit sensa Sacerdotalis „ plena gravitatis, quibus Maximiliani „ Cæsaris, ut Nationis Germanicæ Pre- „ sbyteris more Græcorum Uxores per- „ mitterentur efflagitantis, repulsa petitio: „ Tum repressa postulantium audacia, ac „ disjecta penitùs inania, & fucata, spe- „ ciemque utilitatis publicæ præseferentia

„ ar-

„ argumenta. Hujus autem aureæ, divi-
„ næque libertatis pretium novere optimè
„ & Farnesius, & Bozzutus Cardinales:
„ Primum enim dicere solitum accepimus,
„ se illam, si venum iret, omnibus divitiis,
„ quibus planè affluebat, coempturum: Al-
„ terum verò exclamasse sæpiùs, tanti apud
„ se esse Cardinalis Alexandrini senten-
„ tiam, ut eam reliquorum Cardinalium
„ sententiis judicaret anteponendam.

„ Sed nè hìc singula consecter, ac colli-
„ gam: Hæc tandem libertas, aliaque
„ quamplurima præclarè gesta regiam Mi-
„ chaeli Ghislerio muniêre viam, ut una-
„ nimi Patrum consensu publicæ tempo-
„ rum felicitati ad supremum Ecclesiæ fa-
„ stigium eveheretur. Quare mihi Pium V.
„ in Petri Solio Pontificem Maximum in-
„ tuenti, non illas amplius de eo comme-
„ morare virtutes datum esse videor, quæ
„ in privato homine fuere sanè mirabiles;
„ modestiam scilicet, temperantiam, fru-
„ galitatem, humilitatem, amorem pau-
„ pertatis, rerumque omnium humanarum
„ despicientiam, etsì illas easdem secum
„ ipse evexerit in Petri Solium Pius, &
„ Pontifice Summo dignas effecerit, nova-
„ que Supremæ dignitatis accessione maxi-
„ mè cohonestarit; Illa, illa dumtaxat ani-
„ mi ornamenta, quæ Principem, eum-
„ que Ecclesiæ totius Antistitem, Christi-
„ que Vicarium decent, hoc loco brevi sunt
„ Oratione complectenda.

„ Et sanè egregiis adeò instructus pru-
„ dentiæ, fortitudinis, justitiæ, ac magna-
„ nimitatis instrumentis ad Rempublicam
„ Christianam bene, sanctissiméque geren-
„ dam accessit Pius, ut propterea possit
„ cum Leone, ac Gregorio Pontificibus,
„ quibus meritò Magni cognomentum sa-
„ pientissima fecit antiquitas, summa cum
„ laude comparari. Etenim *Leo malorum*
„ *Italiæ impendentium misericordiâ permotus*
„ divinæ eloquentiæ vi Attilæ furorem
„ fregit; Pius verò non minori erga Chri-
„ stianam Rempublicam amore succensus,
„ nè Selimus Turcarum Imperator durissi-
„ mæ servitutis jugum Christiano Populo,
„ ut meditabatur, imponeret, & fusis ad
„ Deum precibus, & publicis supplicatio-
„ nibus indictis, irritos Tyranni conatus
„ effecit; atque [nè quid dicam de oppor-
„ tunis, ingentibusque collatis subsidiis, &
„ Equitum Hierosolymitanorum Magno
„ Magistro, & Venetæ Reipublicæ, & Ma-
„ ximiliano Cæsari adversùs Turcam pu-
„ gnaturis] ad frangendam hujusce intu-
„ mescentis hostis audaciam, Christianos
„ aliquot Principes fœdus inire coegit, quo
„ Navalis illa ad Echinadas est parta victo-
„ ria, quæ tota quanta fuit Pii V. opus di-
„ ci potest, & cum ejus laudibus vivet me-
„ moriâ hominum sempiternâ. Adstiterit
„ olim Apostolorum Princeps Magno Leo-
„ ni adversùs Attilam loquenti: Adstitere
„ etiam Pii V. subsidiariis legionibus in
„ Gallia pro Religione militantibus Cœli-
„ colarum agmina, quibus sanè acceptus re-
„ ferri debet triumphus ille ab Henrico
„ Andagavensium Duce de Hæreticorum
„ copiis reportatus. Servaverit sartam te-
„ ctam Religionis causam Leo Magnus
„ damnatis apud Chalcedonem Euthyche-
„ te, & Nestorio nefarii dogmatis Autho-
„ ribus: Hanc ipsam Religionem Pius V.
„ servavit, arcens solicitus ab Italiæ fini-
„ bus Lutheranam, Calvinianamque pe-
„ stem recens à Tridentina Synodo proscri-
„ ptam; cujus etiam de Reformatione de-
„ creta, ut undique obtinerent, providè
„ ipse curavit.

„ Et ò quàm benè Magni Leonis non
„ solùm, verùm etiam Gregorii memoriam
„ Pius V. renovavit! O quàm par utriusque,
„ & in pauperes effusa liberalitas, & in
„ hanc Urbem omnium Principem paterna
„ beneficentia, & ad amplificandam Reli-
„ gionem studium singulare! Subvenit ille
„ olim Romanæ Urbi annonæ inopiâ labo-
„ ranti magnâ tritici copiâ largiter in pau-
„ peres erogatâ: subvenit iste pariter Urbi
„ simili annonæ caritate afflictæ, centum
„ aureorum millibus in id insumptis, com-
„ portato ex Gallia frumento, horreisque
„ publicis pauperum beneficio reseratis.
„ Excepit ille pauperes hospitio, ac quo-
„ tidiano parato cibo alere consuevit: Hic
„ quoque egenos quotidie ad Mensam ad-
„ hibuit; Virginibus subsidia statuit; Ægro-
„ tos in Nosocomiis frequenter invisit, pe-
„ cuniâ fovit, ac peramanter complexus
„ est. Quid plura? Quanta publicis, pri-
„ vatisque calamitatibus, pestilentia præ-
„ sertim per Urbem grassante, charitate oc-
„ currit Gregorius; Tanta itidem, eodem
„ morbo magnam hujus Urbis partem oc-
„ cupante, Pius ipse præfulsit. Denique, si
„ ad Religionem propagandam, fervens
„ Magni Gregorii ardor extremas Europæ
„ plagas complexus, Brittanniam Augustini,
„ & Sociorum prædicatione ad Jesu Christi
„ fidem perduxit; paribus quoque amoris
„ stimulis excitatus Beatissimus Pontifex
„ Pius, & Scotiam, Belgium, Galliam,
„ Germaniam, Sarmatiam, Prussiamque in
„ veteri Religione firmare; & ad Indos us-

 „ que

„ que è superstitionis tenebris evocandos „ Euangelicos operarios mittere quamplurimos „ Apostolica solicitudine curavit. „ O Beatum Virum (liceat hic mihi exclamare „) qui,quod olim Sacerdotibus Summis „ præceperat Deus, ut Patriarcharum „ nomina sculpta in pectore gestarent, plenius „ implevit, dum Sanctissimorum Prædecessorum „ virtutes, ac gesta æmulatus, „ eorumdem imaginem in seipso fideliter, „ & ad vivum expressit! Utinam,ut illis,ita „ ipsi diutius Ecclesiam regere contigisset; „ Verùm, non ut Leo vigesimo,non ut Gregorius „ tertiodecimo, sed sexto vix Pontificatus „ Anno expleto, Pius V. è vivis „ excessit, bonis omnibus summo mœrore „ perculsis, quod unius Sanctissimi Principis „ occasu, & imminuta Apostolicæ Sedis „ gloria, & in discrimen adducta Reipublicæ „ Christianæ salus, & amplificandæ „ Religionis spes certissima interiisse „ viderentur.

„ Nunc verò quàm latissimus mihi eloquentiæ „ campus pateret, ut qua animi „ constantia extremi doloris acerbitatem, „ ac diuturnitatem pertulerit piissimus Pontifex: „ quo intimo pietatis sensu novissima „ Sacramenta susceperit: qua tandem tranquillitate „ animam Creatori redditurus „ spiritum exalaverit, enarrare possem: sed „ neque ullo arbitror indigere Orationis „ lumine nitidissima hæc virtutum exempla „ apud vos præsertim, quorum animis insident, „ ac penè dixerim auribus insonant „ aurea illa, quæ in æstu gravissimi doloris „ Pius emittere consueverat verba: *Domine adauge dolorem, dummodo augeas & patientiam*: „ neque deerunt umquam Scriptorum „ quamplurium illustria Commentaria, „ ex quibus unusquisque Vestrum pro „ summa sui erga Beatissimum Pontificem „ voluntate facilè hauriet, quæ suspiciat, „ quæque imitetur nulla temporum diuturnitate „ delenda hujusmodi invictæ patientiæ, „ pietatis, ac Religionis testatissima „ monumenta; Ego verò quamquam ad hujus „ præstantissimi Viri Sanctitatem ostendendam „ ante oculos omnium Vestrum „ hoc loco ponere possem, tum incredibilem „ Populorum frequentiam, Urbemque „ Romam, quæ ad venerandum ejus pretiosum „ Cadaver, veluti è suis convulsa „ sedibus, penè tota confluxerat: Tum ardens „ Principum aliquot, Regumque studium, „ qui certatim vestes illius, ut eas „ tamquam religiosæ pietatis insignia apud „ se custodirent, ferventer expetierunt: „ Tum denique publicas omnis ætatis, ordinisque „ hominum acclamationes, obtestationesque, „ qui, vel ejectos è corporibus „ obsessis dæmones, vel ab ægris „ fugatas illico febres, aliosque id genus „ morbos, admirati sunt: Nè tamen in rebus „ satis superque notis vestrâ diutius „ abuti videar patientiâ, duo illa dumtaxat „ hoc tempore exponam, quæ Deus „ Optimus Maximus dignatus est patrare „ miracula,quæque tuam, BEATISSIME PATER, „ nuper meruerunt approbationem.

„ Anno 1674. Margarita Massia decennis „ puella vehementi paralysi, nulloque „ naturali pharmaco curandâ per menses „ bene multos afflictata; ubi die B. Pio V. „ sacra ante ipsius sepulchrum maternis ulnis „ ad Liberianam Basilicam perducta, „ Pontificis Beatissimi precibus plurimum „ sese commendavit, illico resumptis viribus, „ ita convaluit, ut stupentibus, qui „ aderant, suis ipsa pedibus festino, liberoque „ gressu viam carpere potuerit.

„ Adfuit etiam Isabellæ Ricciæ B. Pio „ intercedente præsens Dei auxilium, cum „ præmortuus multos ante dies ejus in utero „ fœtus, absque ullo parientis dolore, „ aut vitæ periculo mirabiliter fuerit eductus.

„ Quæ cùm ita sint: Unum restat, BEATISSIME „ PATER, ut scilicet B. Pio Pontifici „ Sanctissimo, qui continuata heroicarum „ virtutum serie vitæ cursum feliciter consummavit: „ qui donis cœlestibus, ac miraculorum „ gloriâ illustris singulari Dei Omnipotentis „ beneficio, præter communem „ naturę rationem *fecit mirabilia in vita sua*, „ atque immaculatam vitam pretiosa justorum „ morte coronavit: Restat, inquam, „ ut B. Pio, cujus laboribus in triumphanti „ Ecclesia dudum reddidit Deus Coronam „ justitiæ, ii in militanti Ecclesia solenni „ ritu à SANCTITATE VESTRA decernantur „ honores, quibus Sanctorum ille fastis „ adscriptus publicam per Universam Ecclesiam „ venerationem sortiatur. Id in „ primis postulat S. Sedis Apostolicæ decus, „ ut in eo Viro, qui olim illam tamquam „ visibile Caput gubernavit, ipsa „ etiam novum gloriæ sertum accipiat. Id „ postulat Sacerdotum Ordo Sanctissimus, „ ut in hoc Summo Sacerdote communis „ Sacri Ordinis prærogativa novo Sanctitatis „ fulgore illustretur. Id supplices petierunt „ olim Catholici Reges quamplurimi, „ ut in hoc Apostolorum Principis „ Successore Petri Solium ampliori prosequerentur „ obsequio. Id enixè flagitat „ universa Sancti Dominici Familia, cujus

„ erga

" erga Sedem Apoſtolicam ingentia merita " hoc novo dato pignore in immenſum " excreſcent: ut quem ipſa ad pietatem " erudivit, habuitque Socium, inter San- " ctos relatum, veluti ſummum veneretur " ornamentum. Id denique longa omnium " Nationum, Populorumque Chriſtiano- " rum vota maximè deprecantur, ut quem " in hac veritatis Cathedra Doctorem au- " dierunt, & Magiſtrum, illum eumdem " ex Sacris Altaribus Interceſſorem ha- " beant, & Patronum.

Quoties Sanctitatis Suæ nomen protulit Orator, toties in genua procubuit cum Collegis, ſicut etiam in fine, cùm pro Canonizatione inſtitit humiliter. Erat olim hoc munus orandi, ut (1) ex antiquis Codicibus colligitur, demandatum ſex, aut octo Prælatis, Epiſcopis videlicet, qui ſucceſſivè orabant narrantes merita Canonizandi, & ſupplicantes pro Canonizatione [2]: Advocatus autem in principio tantùm petebat à Pontifice, ut Prælati audirentur, & poſtmodum ſupplicabat, ut Canonizatio decerneretur. Hodie tamen eum ſequimur Ritum, qui à tribus ſeculis perennavit, & efluxit in noſtrum.

Abſoluta à Co: Coyro de B. Pio oratione, conſurrexerunt Advocati, & tum D. Philippus Sacripantes Fiſci, & itidem Conſiſtorialis Aulæ Advocatus B. Andreæ Avellini merita enucleata oratione ordinatè explicavit.

BEATISSIME PATER.

" CUm ad Apoſtolicum Clericorum Re- " gularium Ordinem inſtituendum, " immo potiùs inſtaurandum ad normam " primitivæ Eccleſiæ, decimoſexto ineun- " te ſæculo Divus Cajetanus Thienæus Di- " vino verè conſilio electus eſſet, tribus " aliis eximiæ pietatis, magnæque notæ " ſociis adhibitis, priſtinam illam Apoſto- " lorum vivendi formam mundo reſtituit, " magno cum Eccleſiaſtici nominis fœnore, " magna cum blaterantium hæreticorum " confuſione, magnâque cum animarum fi- " delium utilitate. Quò condita verò nova " Cajetani Familia, à tenuibus, ut fit, orta " principiis, latiùs in dies excreſceret, " quamplurimi, quos ad ipſius Sanctiſſimi " Ducis normam, legeſque finxerat Deus, " in hac ſacra militia ſtipendia facere de- " creverunt, quos inter Andreas Avellinus " Caſtro Novo Lucaniæ Oppido in Regno " Neapolitano ortus à piis, honeſtiſque " Parentibus Joanne Avellino, & Marga- " rita Apella Anno vigeſimoprimo ſupra " ſeſquimilleſimum, in ſacro Fonte Lan- " cellotti nomine appellatus.

" Egregia iſte futuræ pietatis argumen- " ta ab incunabulis ipſis præſetulit: Nam " faſciis, quibus circumligari ſolent infan- " tes, exſolutus, ubi primùm liberis uti po- " terat manibus, ſalutare Crucis ſignum " compluries, alacriterque ſponte iterabat: " & balbutiente lingua, nec dum etiam arti- " culatè prolatis verbis, illius Domini in- " geminabat laudes, qui linguas Infantium " facit eſſe diſertas. Nihil unquam leve, " aut ſcurrile ſapuit, qui puerorum abjectis " ludis, æquales ſuos, vel ad pietatis ſtu- " dia incendebat, vel ad Chriſtianæ Reli- " gionis dogmata, quæ faciliter ipſe, ac " feliciter arripuerat, informabat.

" Hæc Avellini fuere primordia, qui- " bus ipſe non tam oſtendere quid in præ- " ſens, quàm quid in poſterum futurus eſ- " ſet, portendere viſus eſt. Cùm autem " tam clara in illo enituiſſent perfectæ pro- " bitatis indicia, ita ſe popularibus ſpecta- " bilem reddidit ſuis, ut quamvis per æta- " tulæ teneritudinem contemni facilè poſ- " ſet, omnium tamen ora, oculoſque in ſe " unum converterit: omneſque jam tum " præſagirent, quàm citò ad virtutis me- " tam eſſet progreſſurus, qui, vel in ipſo " ætatis primordio, ſpatio penè decurſo, " tam longè à carceribus receſſerat.

" Ex pueris egreſſus bonarum artium " Præceptori fingendum, informandumque " ſe tradidit: & in hoc literarum curriculo " id potiſſimum cavit, ne quid de ſuſcepto " Religionis ſtudio remitteret, aut ex alio- " rum Adoleſcentium conſortio aliqua, ut " fit, puriſſimis moribus affricaretur labes, " quæ conceptos pietatis igniculos reſtin- " gueret, animique candorem pollueret. " Sed cùm forma plerumque inimica pudo- " ri ſit, accidit aliquando, ut procaces fœ- " minæ ex illius oris conformatione, & " oculorum potiſſimùm venuſtate illectæ, " lenocinia omnia, ceteraque amatoriæ " veſaniæ machinamenta adhibuerint, ut " de Sanctiſſimi Juvenis caſtimonia trium- " pharent; Quas quidem illecebras non " modò conſtanter repulit fortiſſimus Ado- " leſcens, ſed promptum etiam, paratum- " que ſe præbuit ad oculos abjiciendos, " qui alienis animis afflarent incendia, " ſuamque virtutem toties in diſcrimen ad- " ducerent; Intelligebat enim ſapientiſſi- " mè quantò præſtaret, mentis, quàm cor- " poris valere luminibus. E' tot ergo dia- " bolicis

[1] *Ordo Rom. Jacob. Card. Cajet.* [2] *erem. S. R. E. lib. 1. ſect. 6. cap. 1.*

,, bolicis insidiis, Divina favente Gratia,
,, victor evadens, ut tutiùs imposterùm
,, posset spurcissimo hosti resistere, perpe-
,, tuæ virginitatis voto, forti velut clypeo,
,, se munivit, ac seculari abjecto, clerica-
,, lis militiæ cingulum induit.

,, Inter hæc magnæ Indolis argumenta
,, emensus Neapoli Legalium disciplinarum
,, spatia, ritu solenni laureâ, ceterisque do-
,, ctrinæ insignibus decoratus, se Domino
,, suo per Sacerdotium statuit consecrare;
,, Eique mox initiato, ut notæ probitatis
,, Viro, legumque peritiâ prædito, exci-
,, piendi Christifidelium confessiones fuit
,, collata facultas: Et nè otio, cujus fuit
,, perpetuus osor, ullo modo torperet, ex
,, umbratili vita, scholasticisque exercita-
,, tionibus in forensem lucem egressus, ad
,, actitandas in foro tantùm Ecclesiastico
,, Causas, juxta sacrorum Canonum sanctio-
,, nes, & pro pauperibus tantùm, egenis-
,, que personis, totum se contulit.

,, In hac autem ancipiti, plenissimaque
,, periculorum alea non diù passus est disti-
,, neri Deus, quem præstantioribus curis,
,, rerumque æternarum studio jam indè à
,, primis annis destinaverat. Cùm enim
,, ipsi aliquando inter forenses contentio-
,, nes, & judiciarias rixas, dum amico la-
,, boranti patrocinabatur, leve mendacium
,, imprudenter excidisset, antequam de-
,, cumberet, sacros libros, ut consueverat,
,, aperiens, incidit in illa Sapientiæ verba:
,, *Os, quod mentitur, occidit animam*: quod
,, monitum ad se statim convertens, totus-
,, que in penitiores animi latebras descen-
,, dens, non modò prolatam temerè vocem
,, amarissimis lacrymis execratus est, ve-
,, rùm etiam legalibus exercitationibus,
,, quæ sibi mentiendi occasionem præbue-
,, rant, nuncium remisit, & annos tunc na-
,, tus propemodum viginti septem tanto se
,, studio Divini Numinis obsequio manci-
,, pavit, ut quamvis antea integerrimam
,, in tanta peccandi licentia vitam duxisset;
,, deinde mos illi fuerit eam ætatem suæ
,, Conversionis tempus nuncupare.

,, His igitur perfuncto periculis Avel-
,, lino, & rectis jam sensibus eunti plures
,, non defuerunt Præceptores, ac Duces,
,, qui in Christianæ militiæ castris merenti
,, coram adessent, & ad præclara quæque
,, sua jam sponte enitenti viam quodammo-
,, do munirent. Et primò quidem Petrus
,, Foscarenus inter Clericos Regulares cùm
,, pietate, tum rerum humanarum, divina-
,, rumque scientiâ clarissimus: illoque mox
,, è vivis erepto, Ven. Joannes Marino-
,, nius in Neapolitano Divi Pauli eorun-
,, dem Cler. Reg. Cœnobio sanctitate cele-
,, bris, quem conscientiæ expiandæ, for-
,, mandisque moribus censorem, atque ar-
,, bitrum adhibuit. Quorum Virorum suf-
,, fragiis, nec non à Scipione Rebiba Nea-
,, politanæ Ecclesiæ Generali Vicario di-
,, gnus propediem habitus est, cui proxi-
,, morum cura committeretur, ut miseros
,, mortales à Diaboli servitute in filiorum
,, Dei libertatem assereret. Cùm autem
,, animarum salutem procuraret ardentiùs,
,, difficillimam sanè, periculosissimamque,
,, sibi verò quammaximè gloriosam susce-
,, pit Provinciam, in pristinum nimirum
,, splendoris, & sanctitatis curriculum re-
,, stituendi sacrarum Virginum Monaste-
,, rium, in quod solutâ paulatim disciplinâ,
,, corruptisque moribus, pravæ admodum
,, consuetudines irrepserant, fœdèque ino-
,, luerant. Dum verò hærentem visceribus
,, pestem elidere, & inveterata passim vitia
,, conatur abolere, paremque laboribus
,, percipit fructum, improbum quendam
,, Juvenem, malorum omnium caput, Virgi-
,, nis cujuspiam ibidem inclusæ amore ca-
,, ptum Monasterii aditu interdicendum pu-
,, tavit. Excanduit nimirum, ubi avulsam
,, ex unguibus prædam sensit nefarius ama-
,, tor, & in extremam efferatus rabiem per-
,, cussores in insidiis locat, qui Avellinum
,, excipiant, multisque confossum vulneri-
,, bus interimant: remque profectò confe-
,, cissent, nisi semel, atque iterum in vitæ
,, discrimen adductus, Deo nimirum nunc
,, insidias commonstrante, nunc Sicarii fe-
,, rocem animum emolliente, feliciter eva-
,, sisset; dum enim in Divi Agrippini Tem-
,, plo devotissimè orat, illuc facinorosus in-
,, greditur nefariam innocentis cædem pa-
,, traturus, sed intuitus Dei Virum, fulgo-
,, ribus radiantem, & facie Angelicis vul-
,, tibus quamsimillimum, non est ausus in
,, eum sacrilegum stringere gladium. Sed
,, nec idcirco nequissimus Adolescens ab
,, suscepto consilio passus est amoveri; Al-
,, terum in Sanctissimum Virum percussorem
,, immittit, qui dum properanter rem ge-
,, rit, ignarus festinationem inimicam esse
,, consilio, summam tantùm faciem levi
,, vulnere delibavit. Verùm, quod humanis
,, sensibus rem expendenti videbatur fore,
,, ut Avellinum ab incepto deterreret, id
,, incitavit maximè: Nam & ipse post acce-
,, ptam plagam incumbere ardentiùs in
,, eam curam visus est, & nefarius Juvenis,
,, cui conatus in irritum toties ceciderant,
,, immanè quantum irarum, furorisque con-

,, cepit.

„ cepit. Par nequissimorum hominum delegit, & ut quamprimùm Custodem Virginum impunè sibi toties elapsum, aut jugulent, aut insigni dehonestamento ejus vultum fœdent, edicit: muneraque insuper, & liberales addidit pollicitationes ad impium facinus incitamenta. Conspiravit quoque ipsemet in suam perniciem Vir Sanctus: edoctus enim quàm jucundum sit in proximorum salutem sanguinem effundere, cùm durissima quæque pro Deo suo subeundi siti vehementiùs æstuasset; etiam atque etiam obtestatus Numen erat, ut ad cujus gloriam se, suaque omnia jam pridem retulisset, vitam quoque profunderet. Nuncupatis precibus domo se proripienti statim adstitit uterque Sicarius, qui duplici vulnere, quorum unum altiùs adactum est, Avellini faciem fœdissimè deturpavit. Sed quod, quis Divinæ Providentiæ consilia nondum expertus, dedecus, & infortunium dixerit, id ipsi fuit apprimè utile, ac majoris sanctitatis exordium. Saucius, & sanguinolentus omni humana ope destitutus in Clericorum Regularium Domum se recepit, ab ipsis, ac Ven. Marinonio ejusdem loci Præposito exceptus, fotus, & recreatus inexplicabili charitate; ibique diu subsistens, dum cicatricem vulnera obducerent, sedulâque adhibita curatione penitùs coalescerent, tali, tantoque captus est amore, & admiratione Angelicarum virtutum, quas in singulis, universisque ejus Domus Patribus suspexerat, ut jam inter ipsos adscribi maximè desideraverit; oculato enim experimento viderat, quàm essent ab omni terrenarum rerum affectu defœcati, tantùmque Divini Numinis gloriæ propagandæ quà concionibus, quà confessionibus, sacrorumque Templorum nitore, solerter intenti: pespexerat omnium animos in procuranda proximorum salute ferventes, effusas unius cujusque perpetuo cum fervore preces, media etiam nocte alacriter ab omnibus decantatas Domino laudes, vitiisque extirpandis indictum ab ipsis implacabile bellum. Tanta ergo illorum Religiosorum sanctitate captus Avellinus ad suum Ducem in spiritualibus pergit, ad Ven. nempe Patrem Joannem Marinonium, qui sacram eam Domum tum procurabat, & infimis precibus admitti in Cler. Regul. Congregationem postulat; nec difficilem planè aditum apud illum, cæterosque Patres invenit, qui tantum jam cœperat flagrantissimi spiritûs, ma-

„ gnæque virtutis experimentum. Voti ergo omnium plausu compos effectus, in pervigilio Assumptionis Deiparæ anno 1556. nova Christianæ perfectionis tyrocinia posuit. Statim Andreas (hoc enim nomine, veteri deposito, maluit inposterum vocari) quam de se concitaverat expectationem, non sustinuit modò; verùm etiam sic superavit, ut ejus fama, & latiùs manaret in dies, &, veluti adhibitis calcaribus, magis, magisque quotidie percrebresceret. Ad Moderatoris sui nutum se, moresque suos omnes componere, Christianam humilitatem perfectè colere, omnia Instituti munia, abjecta quantumvis, & operosa strenuè servare, difficillima quæque subire, socios ad pietatem verbis incendere, omnibus exemplo prælucere. Quibus planè virtutum incrementis præscriptum probationis tempus emensus, summo animi fervore, ac pietatis sensu incredibili solennia vota Paulino in Templo Andreas noster emisit vigesimâ quintâ Januarii Conversioni Divi Pauli sacrâ anno 1558. Tyrocinio perfectissimè exacto, in cœlestium amorem exardescens Romam profectus est, sacra ibi loca veneraturus. Impossibile omnino exprimere ipsius devotionem, fervorem, & lacrymas, quibus in Urbe sacra Martyrum sepulchra visitabat, magnam ipsis invidens sortem, quod pro Deo suo sanguinem fudissent, vitamque dedissent. Nulla ipse solicitatus curiositate suscipiendi Urbem tot monumentis inclytam, totque prodigiorum feracem, totus erat in sanctis Cineribus venerandis, totus in illa terra, quæ Apostolicum ebiberat sanguinem, exosculanda, ex imo pectore preces fundens, semperque inexplebili meritorum Christi thesauro ditescens. Neapolim indè reverso, & Proximorum saluti assidua charitate, ac propriæ perfectioni summâ diligentiâ per quadriennium incumbenti Novitiorum regendorum cura primò demandatur; deinde verò etiam Paulinæ Domus Præpositus renunciatur; Quibus in muneribus non ea solùm, quæ ad Novitios perfectè instituendos, instruendosque pertinebant, quæque ad Subditos prudenter regendos conveniebant, adamussim est persequutus; verùm etiam sibi deesse ratus, si intrà domesticos tantùm parietes se contineret, foràs quoque mirabilem Charitatis suæ lucem effudit, nulla quantumvis ardua prætermittens officia, quæ cùm aliorum essent

„ salute,

„ salute, ac utilitate conjuncta. Quamobrem
„ imminens jamdudum Satanas in omnem
„ occasionem collectam ex longo rabiem
„ in Andream profundendi, tum demum
„ vehementer excanduit, cùm in Oppido
„ Pomiliano, illius consilio capitales qui-
„ dam inimici, simultatibus compositis, in
„ gratiam planè bona redierunt fide: Hunc
„ enim verum Angelum pacis noctu dor-
„ mientem aggressus elisis faucibus præfo-
„ casset, nisi oborta divinitus luce suis se
„ tenebris teterrimus hostis reddidisset.

„ Neque verò ferventissimus Avellinus
„ ita se aliis impertiit, ut quid sibi, ani-
„ mæque suæ deberet oblitus, beneficia,
„ quæ in se plena manu congesserat Deus,
„ per socordiam, ignaviamque corrumpe-
„ ret. Itaque suæ perfectionis incremen-
„ tum illi semper antiquissima cura fuit, ad
„ quam per omnium virtutum gradus eni-
„ tebatur: Hinc profunda illa animi sub-
„ missio, qua humillimè de suis rebus sen-
„ tiebat: Hinc horridus victus, cultusque,
„ quo perpetuum, ac asperrimum sibi bel-
„ lum pœnitentiæ studio incensus indixit:
„ comitasque illa, & nunquam satis pro rei
„ dignitate commendata tolerantia, qua
„ injurias omnes, & contumelias excepit.
„ Corporis dolores, & ægritudines, qui-
„ bus cùm in omni vita, tum verò devexa
„ jam ætate conflictabatur, adeò curavit ni-
„ hil, ut ad se potiùs cruciandum, dila-
„ niandumque invitaret; Si quando autem
„ post breves inducias acriùs recrudesce-
„ rent, dulcissimis compellabat verbis car-
„ nifices suos, novamque hanc dolorum
„ accessionem felicem, faustamque sibi fu-
„ turam augurabatur. Nam ad orandi usum
„ quod attinet, sæpissimè in sacrarum re-
„ rum contemplatione, præsertim autem
„ cùm Christi Domini tormenta recoleret,
„ abalienatus à sensibus, totus in Deum ra-
„ piebatur, qui cœlo esset, quàm terris con-
„ junctior; Æterna verò meditantem tam
„ uberes cœlestium gaudiorum deliciæ op-
„ plebant, ut ab hac dulcissima commenta-
„ tione nec se ipse divellere, nec ab exte-
„ rioribus rebus aliò posset avocari. Qua-
„ propter ante matutinas preces tres horas
„ perpetes in orando collocabat: Psalmo-
„ diam autem ipsam tam fixa mentis con-
„ templatione, animique suavitate die, no-
„ cteque prosequebatur, ut continuum
„ orationis miraculum fuerit appellatus.
„ Solenne illi fuit cum maxima lacryma-
„ rum vi antelucanis horis ad Aram face-
„ re: nihil enim sibi longius videbatur,
„ quàm ut cibo reficeretur Eucharistico,
„ seseque cum Deo penitius conjungeret.
„ Quæ omnia, ut sibi facilius contingerent,
„ ad tria, quæ jam plenus Deo nuncupave-
„ rat vota, duobus etiam arduissimis aliis
„ in perpetuum obstrictum se voluit: alte-
„ ro scilicet, quo semper propriæ volun-
„ tati se refragaturum promiserat; altero
„ autem operaturum se aliquid quotidie,
„ quo ad ulterioris perfectionis gradum
„ progrederetur.

„ Ex hac tanta rerum præstantissima-
„ rum luce, tamque incredibili copia egre-
„ giè factorum, non Neapoli solùm, sed in
„ omnibus aliis Italiæ Regionibus maxi-
„ mam sibi nominis celebritatem, ac san-
„ ctitatis famam conciliavit Andreas: præ-
„ cipuè verò apud Divum Carolum Borro-
„ mæum, qui illum ad suam Mediolanen-
„ sem Metropolim appulsum, in iis, quæ
„ Pastoralem curam attinebant, sæpissimè
„ adhibebat, ipsique cordis sui intima fa-
„ miliarissimè aperiebat. Postquam autem
„ per integrum annum Mediolani Proxi-
„ morum saluti assiduâ curâ incubuit, Pla-
„ centiam profectus est, ut sicuti fecerat
„ Mediolani, sic in Urbe ista novum suæ
„ Religionis domicilium figeret, guberna-
„ retque, luculentissima hic etiam suarum
„ virtutum testimonia relinquendo; Ejus
„ enim operâ, & laboribus inveteratæ si-
„ multates compositæ: perditissimi homi-
„ nes ad meliorem frugem recepti; Sacra-
„ mentorum frequentia, ac piorum ope-
„ rum usus, qui Diaboli fraude jam prope
„ obsoleverant, in suum splendorem redacti;
„ in muliebrem autem luxum, cultumque
„ invectus, assiduitate dicendi, hortandi-
„ que, consequutus tandem est, ut non mo-
„ dò illustres Virgines, nobilesque Matro-
„ næ, verùm etiam projecti pudoris fœmi-
„ næ, quod longè difficillimum, ad omnem
„ se modestiam componerent. Ut verò illa
„ exterioris amictus modestia ad intimos
„ animi sensus pertingeret, duodecim vul-
„ gati corporis fœminæ in pœnitentium
„ mulierum Monasterium, Avellini consi-
„ lio, à Venerabili Cardinali Paulo Aretio
„ ejusdem Ordinis Theatinorum splenden-
„ tissimo Sydere, & Episcopo Placentino
„ excitatum, velut in quoddam Castitatis
„ Asylum confugerunt.

„ Hæc aliqua innumera egregia facino-
„ ra, non sinè magna Sancti Caroli, Vene-
„ rabilis Cardinalis Aretii, & Placentiæ,
„ Parmæque Ducum consolatione illis in
„ Urbibus Spiritu Sancto plenus Andreas
„ gessit, qui & Visitatoris in Gallia Cisal-
„ pina pro sua Congregatione munus per-

„ fecti-

,, fectiſſimè implevit, donec Neapolim ab
,, obedientia evocatus iterum Divi Pauli
,, Domum regere coactus eſt, eo ipſo tem-
,, pore, quo Petro Girone Offunenſium
,, Duce, Neapolitano Prorege, plebe tu-
,, multuanti, ipſius Civitatis quietem peri-
,, clitantem oratione, atque prudentia mi-
,, rificè fulſit, procellamque ſedavit Vir
,, Sanctus: hocque ſumma cum laude per-
,, functus munere, Romanam, ac Neapolita-
,, nam Provinciam, non abſque magnis iti-
,, nerum incommodis Viſitator luſtravit,
,, nunquam in animarum lucro novos, gra-
,, vioreſque ſubire labores reformidans,
,, æſtuantibus ob Dei amorem præcordiis
,, ipſius, qui corpus ſuum aſperè ſemper
,, tractabat in labore, & ærumna, in vigi-
,, liis multis, in fame, & ſiti, in frigore, &
,, nuditate, in laboribus plurimis, in pla-
,, gis ſupra modum; & tamen in tam aſpera,
,, auſteraque Vitæ diſciplina fractæ nun-
,, quam vires, immò fortiſſimus ſemper An-
,, dreas etiam ſenio confectus, qui tanto,
,, ut dixi, Divini amoris ardore æſtuabat,
,, ut majora pro Domino ſuo pati, & omnes
,, Chriſto ſuo lucrifacere exoptaret ſemper.
,, Tam longis tamen, ac diuturnis labori-
,, bus feſſus, iiſque non paucis morbis, ac
,, incommodis circumſeptus, quæ ſenem in
,, ſeptuageſimo quarto ſuæ ætatis anno cru-
,, deliter circumvallabant, & affligebant,
,, lethali preſſus ægritudine, in qua inſi-
,, gnis ejus eluxit patientia, cæteræque
,, virtutes in gradu ſublimi, miro modo ſa-
,, nitati reſtitutus eſt, ſtatimque nullâ in-
,, terpoſitâ morâ ad conſuetos labores ſpi-
,, ritu vegeto rediit indefeſſus.

,, Harum autem Virtutum, & laborum,
,, quos in alienam utilitatem tanta charita-
,, te impendebat, ampliſſima etiam in ter-
,, ris præmia, fructuſque percepit. Eò ni-
,, mirum pertinebant liquidiſſimæ illæ ge-
,, ſtientis animi voluptates, beatæque deli-
,, ciæ, quæ cùm diutiùs inter anguſtos pe-
,, ctoris cancellos detineri non poſſent, in
,, vultum identidem divino ſplendore lon-
,, gè, lateque radiantem erumpebant. Quæ
,, quidem munera ſingularia, præſtantiſſi-
,, maque licèt ipſe per ſummam modeſtiam
,, ſilentio premeret, accidit tamen, ſic Deo
,, nimirum res ordinante, ut permanarent
,, aliquando, evulgaretque ipſe familiari-
,, bus ſuis profuſos in ſe Divinæ Bonitatis
,, theſauros. Joanni Mariæ Tagliaferro, quo
,, amiciſſimè utebatur Andreas, illectus ſci-
,, licet ſingulari hominis pietate, narravit
,, oſtenſum ſibi Chriſtum Dominum, cui in-
,, ter nitidiſſimos cicumfuſæ lucis radios ta-
,, lis inerat Majeſtatis decor, qualem præ-
,, dixerat Regius Vates: *Specioſus formâ præ filiis hominum*. Quo aſpectu mirificè re-
,, creatus, & contempſit in poſterum ea om-
,, nia, quæ apud cæcos mortales prima pu-
,, tantur, & rei atrocitate permotus, impla-
,, cabili odio accenſus eſt contra perfidos
,, illos, nequiſſimoſque lictores, qui Di-
,, vinam, & pulcherrimam Majeſtatem de-
,, honeſtare, & morti tradere non dubita-
,, runt. Quanto autem ſenſu rerum cœle-
,, ſtium afficeretur, quoties inter orandum
,, Sanctiſſimam Dei Matrem, interque pſal-
,, lendum adſtantes Angelos aſpexerit,
,, quantâque animæ ſuæ ſuavitate dulces
,, ſermones cum Divis Auguſtino, Domi-
,, nico, & Thoma Aquinate pluries habue-
,, rit, animique illuſtrationes immiſſas cen-
,, ties receperit, Vitamque, in cujus pericu-
,, la adductus erat, ab iis obtinuerit, aliis
,, piis, prudentibuſque Viris indicavit. Nil
,, mirum ergo, ſi à Deo per ipſum Andream
,, talia, ac tanta patrabantur miracula, dum
,, ab eo tam bene Virtutes omnes exerce-
,, bantur. Graviſſimos quoſque morbos
,, ſimplici tactu, vel ſolo depellere impe-
,, rio: morti proximos, aut ereptos revo-
,, care ad Vitam: tempeſtates ſedare: mari,
,, ac ventis imperare: baculi nutu beſtia-
,, rum feritatem perdomare: omnia deni-
,, que elementa ad ſuum arbitrium mode-
,, rari, & flectere, tanquam naturæ Domi-
,, no, amico Dei Andreæ familiariſſimum
,, erat. In ſpiritibus diſcernendis, in hypo-
,, criſis occultiſſimis monſtris detegendis, in
,, cordium ſecretis penetrandis mirabilis
,, verè fuit.

,, Illud autem præcipuum, quod futu-
,, rarum rerum eventus longè in poſterum
,, proſpiceret. Quamquam non eſt cur mi-
,, remur, quòd in præſentiſſimo ſempiter-
,, næ Sapientiæ complexu, obſcuros, incer-
,, toſque rerum exitus præviderit, qui Di-
,, vinâ magìs, quàm communi luce frue-
,, retur. In hac verò parte difficilius eſt
,, orationis exitum, quàm initium inveni-
,, re: cùm tot ſuccurrant ægroti, quibus,
,, contra ac Medici ſentirent, vel mor-
,, tem, vel valetudinem prædixit Andreas.
,, Locupletiſſimi hujus rei teſtes ſint Fran-
,, ciſcus Buc de Aragonia, Joannes Baptiſta
,, Ravaſcherius, Porcia Adorna, Fabritius
,, Spinellus Dux Aquacii, aliique non ſanè
,, pauci, quos, cùm ab ipſis abeſſe pericu-
,, lum Medici confirmaſſent, inexpectata
,, mors, non ſecus ac Avellinus præcogno-
,, verat, intercepit. E contrario Victoria
,, Lagni, Julia Carafa, Hippolyta Capycia

„ Piſcicella, Hieronymus Pignattellus,alii-
„ que innumeri adeò periculosè ægrota-
„ bant, ut omnes malè de ipſis ominaren-
„ tur, Medicique actum eſſe affirmarent:
„ ſed conſequuta mox incolumitas com-
„ probavit vera prædixiſſe Andream, quem
„ Numen afflaverat. Abellinenſium Prin-
„ cipiſſam Chryſoſtomam Carafam morbo
„ laborantem curaverant celebrioris famæ
„ Medici, jamque remiſiſſe vim morbi, me-
„ liuſque in dies habere pronuntiaverant:
„ dum autem eorum arti à Domeſticis plau-
„ ditur, ac quamplurimæ ex Neapolitanis
„ Matronis, quæ officii cauſa convenerant,
„ incolumitatem Principiſſæ gratulantur,
„ adeſt Andreas, factoque ad ipſam gradu:
„ *Scis*, inquit, *Principiſſa*, *quo te ſtudio*,
„ *animæque tuæ ſalutem proſequutus hac-*
„ *tenus fuerim*: *Poſtulat officii mei ratio*,
„ *ut ſupremo in hoc vitæ periculo*, *tibi*,
„ *quas poſſim*, *ſuppetias feram*; *age*, *nè Me-*
„ *dicis*, *nè conſanguineis crede*: *poſitura*
„ *brevè mortalitatem pone ſpem omnem*
„ *vitæ*, *ac tibi conſule*. Noverat illa di-
„ centis Sanctimoniam, habuitque dictis
„ fidem, ſacris illico, quæ ad expiandam
„ animam pertinent, rite procuratis, ac
„ compoſita re domeſtica, veluti inſtantis
„ jam fati certior. Secundùm hæc monere
„ ejus rei & filias Andreas voluit Portiam,
„ & Joannam. Puellæ feſtivè, ac jocoſè ex-
„ cepêre dictum, utpote quæ convaluiſſe
„ jam Matrem ſibi perſuaſerant: tum illum
„ rogant, ut pro Patre, qui graviſſimè de-
„ cumbebat, preces ad Deum funderet;
„ Matrem verò extra ejuſmodi metum, &
„ aleam eſſe; Ad hæc, *Haud delirat*, in-
„ quit, *Senex*: *Vos ipſæ me feſtinare mox*
„ *reditum jubebitis in optimæ Matris opem*,
„ *de qua conclamatum jam eſſe pro certo*
„ *habetote*: *Patri verò proxima ſanitas*, *ac*
„ *diuturnior adhuc ſuppetit vita*. Nihil in
„ caſſum præmonitum: hìc enim brevè con-
„ valuit: illa verò à cœna repentino morbo
„ correpta, accerſito repentè Andrea, pro-
„ pitiatoque ſupremis Sacramentis Numi-
„ ne, poſtera die animam exhalavit.

„ Illæ verò eò admirabiliores habitæ
„ ſunt futurarum rerum inſpectiones, quo
„ abeſſe longiùs videbantur, quæ prænun-
„ tiabat. Geminis ex eadem gente Carafa
„ principibus Fœminis, quà formâ, quà
„ opibus florentiſſimis connubio deſtinatis
„ prædixit fore quamprimùm, ut, nuncio
„ inanibus, fluxiſque rebus remiſſo, nomen
„ Religioni darent. Vaticinium compro-
„ bavit eventus; Elatis ſiquidem paulo poſt,
„ quibus deſponſæ fuerant, Viris, Sapien-
„ tiæ Cœnobio emancipatæ in tutiſſima Vir-
„ ginitatis ſepta ſe receperunt. Juſtinæ
„ Lampugnanæ piiſſimæ in Placentino Pœ-
„ nitentium Cœnobio Moniali ante decen-
„ nium inſaniam, & conſequuturam mox
„ ſanitatem, ac tranquilliſſimum Vitæ fi-
„ nem vaticinatus eſt. Pluries ſuæ Religio-
„ nis Tyrones, cæteroſque non paucos
„ Adoleſcentes contemplatus, aliis ex præ-
„ ſenti illorum indole, ingenioque alia
„ opinantibus, ipſe, qui non ex uno ocu-
„ lorum ſenſu movebatur, diſparem exi-
„ tum certò pronuntiavit. Hæc, aliaque ſa-
„ tìs multa, quæ ſi omnia perſequi velim,
„ nimius ſim, ideoque libenter prætermit-
„ to, vates certiſſimus præcognovit, cui
„ & mortalium pectora, cogitationeſque
„ eorum intimas patuiſſe innumera exem-
„ pla commonſtrarunt. Literis præſertim,
„ quas ad excitandam virtutem, pietatem-
„ que paſſim dabat, ut occultos, prominen-
„ teſque animorum motus plerumque
„ componeret: teſtati ſæpiſſimè ii ſunt, ad
„ quos ejuſmodi epiſtolæ mittebantur, id
„ ſibi ab Andrea perſcriptum, quod tum
„ mente agitabant, atque ea potiſſimùm
„ remedia, ac adjumenta adhibita præſen-
„ tiſſima, quæ malum deſideraret; veluti
„ ſi aperta illi candidè animi ægritudo fuiſ-
„ ſet. Arcana verò in penitioribus animi
„ latebris deliteſcentia, quæ paſſim in lu-
„ cem produxit, haud ita facile quis omnia
„ percurrat. Bononiæ cùm ad Auguſtinum
„ Lucatellum divertiſſet, Camillæ hoſpitis
„ filiæ maturæ jam viro virgini, de qua
„ collocanda tum agebatur, rem evulga-
„ vit, quam ipſa cùm maximè cuperet, Pa-
„ tri aperire minimè tamen audebat: nem-
„ pe adjeciſſe ſe animum ad quemdam ex-
„ tra Patriam ſponſum; quod illa, quæ
„ rem diù preſſerat, ac nulli mortalium
„ aperuerat, Virum ſanctum venerata, diſ-
„ ſimulare non potuit. Alteri Neapoli Puel-
„ læ ſtimulos divinitùs injectos, quos ipſa
„ ad Regularem diſciplinam amplectendam
„ jampridem ſentiebat, detexit: objurga-
„ vitque præterea non ita promptam divi-
„ nis juſſibus obedientiam, & ſegnem mo-
„ ram; Obſtupuit illa nimirum in apertum
„ trahi arcanos animi ſenſus, maturavitque
„ illico conſilium, atque in D. Andreæ
„ Parthenóne vota nuncupavit. Furiis agi-
„ tatus Juvenis quidam innocentem ſoro-
„ rem ad mortem deſignaverat, tacitus ta-
„ men, nè quà ſuboleret, quod nefariè mo-
„ liebatur, conſilium, qua valebat luce,
„ inſpexit Andreas, monitamque, ut à ger-
„ mano fratre caveret, fœminam ſervavit.

„ Sæpiſ-

,, Sæpiſſimè, aut prætermiſſas per imprudentiam noxas, aut conſilio omiſſas in memoriam revocavit, objecitque ultrò, ut per integram ſcelerum expoſitionem delerentur: planè, ut omnes animi ſinus, intimaque cordis cubilia excutere, aut eorum, qui ſibi confitebantur crimina, veluti de ſcripto, recitare videretur.

,, Nec alienos modò caſus, eventuſque præcognovit Andreas, verùm etiam quid ſibi in poſterum immineret longè prævidit: Vergente enim jam in ultimum ſenium octoginta octo annorum ætate, multoties inſtantis ſibi mortis diem præſignavit, & infligenda ſibi vita functo trina vulnera, & flammeum vividæ frontis colorem, etiam tertio à deceſſu die, aliis indigitavit. Ad præcognitum ergo periculoſum, extremumque conflictum, vitæ jam pertæſus, diſſolvique cupiens, & eſſe cum Chriſto, diligentiſſima virtutum omnium exercitatione, iteratâ pluries eodem die peccatorum (ſi quæ tamen in ipſo erant) expiatione, & quotidiana ſacra ſynaxi ſe muniens, inter lacrymas, & ſuſpiria, æternæ ſalutis ſolicitus, & anxius interrogare ſubinde ſocios ſolebat: ſperarent nè ſe viliſſimum homunculum æternæ ſalutis portum obtenturum? Cumque ipſi reſponderetur: omnino ſperandum, conſolatione mirifica recreabatur; quod & quadriennio ante obitum ipſi ægrotanti, ſanctèque timenti evenit, dum conſolatores è cœlo miſſi fuerunt duo fulgentiſſima Eccleſiæ lumina Auguſtinus, & Thomas Aquinas, qui ipſius animo, & corpori opportunam attulere medelam.

,, Illuxit ergo tandem ultimus, ſibique non minus exploratus, quàm vehementer expectatus dies, quo ſummo mane, & plus ſolito alacrior, licèt ægro corpore, incertoque veſtigio ſacro Altari operaturus adſtitit Sanctiſſimus Senex: ibique inchoato vix Sacro, ad illa verba bis dulciſſimè repetita *Introibo ad Altare Dei* apoplectico ictus morbo in adſtantis Miniſtri brachia ſemianimis corruit, & inter ſociorum manus in propriam delatus cellulam, ac in ſuo ſtramentitio lectulo collocatus, Sacro Viatico ardenter expetito recreatus, ſanctoque Oleo ritè munitus duriſſimam cum hoſte tartareo pugnam jam ab ipſo præviſam, & pluries prædictam glorioſè pugnavit, debellavitque glorioſiùs, referens nobis multis poſt ſeculis Divi Martini Turonen. exempla, quem vivens præcipuo quodam cultu fuerat veneratus, & cujus feſtivitatis pervigilium tunc agebatur. Hac pugna perfuncti detumuit Andreæ vultus, qui è nigro in roſeum ſuum colorem fuit reſtitutus, deindeque in candidiorem; quique fixis ſemper in Deiparæ Virginis Imaginem oculis, inſigni victoria potitus, tranquilliſſima facie, & triumphali aſpectu Dei amantiſſimus Senex ad cœleſtem Patriam placidiſſimè evolavit ſexcenteſimo octavo ſupra milleſimum anno, cùm illi octavus ſupra octogeſimum flueret.

,, Sacris indutum veſtibus Andreæ virgineum corpus fuit in Eccleſiam delatum, quò ingens populi multitudo, audito ipſius obitu, confluxerat Sanctum Virum veneratura; Ipſo viſo certatim omnes manus, pedeſque illius exoſculari, fruſtula veſtis decerpere, barbæ, & capitis pilos præcidere, aliquid ipſius ſubripere conabantur, Clericis Regularibus ejus fratribus incaſſum, & fruſtrà obnitentibus. Sanctum, Prophetam, Patrem Patriæ, Dei Amicum deceſſiſſe ſuſpiriis, & lacrymis omnes conquerebantur, invocabantque, multis gratias, ac miracula evidentia obtinentibus.

,, Cùm peractis ſacrificiis fuiſſet illi parentatum, in ſubterraneum cœmeterium deductum, ibi terræ ſacrum ejus cadaver mandandum, nulla arte fieri potuit, ut Capſa caperet, Deo ſic diſponente; ut Servi ſui ſanctitas magìs magìſque in hoc novo mirabilium theatro illuceſceret: tertio enim poſt ipſius obitum die, rigido flante Aquilone, magna omnium admiratione ipſius cadaver flexile, morbidum, & calens, & ex cygneo factum rubicundum, ſanguinem reddidit ex trina frontis, cranii, & auris inciſione per Medicos facta, quæ omnia vivens non obſcurè prædixerat; Plurima mirabilia alia mittamus, quibus famulum ſuum Dominus illuſtravit, nè mea nimis excreſcat oratio.

,, Quæ igitur apud plurimos ſanctitatis fama in Andreæ vita invaluerat, glorioſiùs longè, latèque poſt obitum diffuſa, mirum in modum apud omnes percrebruit nedum memoriâ, & traditione ſingularium ejus Virtutum, ſed excellentiâ quoque miraculorum, quibus in vita, & poſt mortem clementiſſimus Deus Sanctum ſuum mirificavit. Ubique ergo percrebreſcentibus & ſanctitatis fama, & miraculorum gloria, & populorum devotione, ſuper his tam authoritate ordinaria, quàm facultate Apoſtolica confectis ritè

 ,, Pro-

„ Processibus, hisque diligentissimè recognitis, examinatis, & à Sacra Rituum Congregatione approbatis, jam inde ab anno 1624. sanctæ mem. Urbanus VIII. SANCTITATIS VESTRÆ Prædecessor benignè indulsit, ut inter Beatorum numerum, & cultum referretur. At novis postea accedentibus miraculis, novisque confectis Processibus super iis, quæ post Beatificationem acciderant, & majori in dies adauctâ famâ sanctitatis hujus Servi Dei in plurium Regnorum, ac Urbium Patronum adoptati, discussa, & probata per Sacram Rituum Congregationem validitate Processuum, ex innumeris octo proposita fuere à Postulatoribus eidem discutienda, & examinanda miracula, quorum tria, tertium nempe, quartum, & sextum plenis votis approbata fuere coram SANCTITATE VESTRA ab ipsa S. Congregatione.

„ Tertium, inquam, repentinæ curationis Jacobi Jovii ex Oppido Jannisii, qui tres non amplius natus annos, in morbum incidit adeò pertinacem, ut sensim pervadens lues, & proxima quæque appetens membra, monstruosam herniam effecerit, & mediam corporis partem inferiùs ocupaverit: quo proinde omnia ea membra exsiccata, contracta, succoque vitali, ac motu prorsus destituta, & miserandum in modum distorta fœdum potius monstrum, quàm hominem exhibebant. Quæsita ab ejus Matre, ac fratribus multis sumptibus salus, adeò ut non modicam bonorum partem Medici, ac pharmaca exhauserint, nec dum spes ulla salutis affulgebat. Exierat tum quidem in vulgus, & latius manabat in dies fama, quanta ederet Andreas miracula in Castri Novi Sacello, excitaruntque in piam spem animum. Nec mora: arreptum decumbentem Puerum eò contulerunt. Ubi ad Beati Altare deventum est, Sacrificio Missæ peracto, Archipresbyter, omnibus qui aderant (aderat autem permulti morbi novitate, & miraculi spe commoti) in preces effusis, lampadis ibidem ardentis oleo singulatim oblinit affecta Pueri membra. Mirabile dictu! Ut quæque prior perungebatur pars, illico, remittente lue, convalescebat, & ipsa quoque hernia inuncta statim evanuit: donec unctione expleta tam integer, vegetusque reversus est Puer, ac si nunquam ægrotasset.

„ Quintum in Oppido Lucaniæ, in quo cùm Joseph Corizzus sacris initiatus Sacerdotii primitias Divinæ Majestati libasset, ea die factus est magnus apud ipsum consanguineorum, amicorumque concursus. Accidit autem, ut, primis se se intendentibus tenebris, aula repentè corrueret, ad sexaginta, qui in eam Domum confluxerant, gravissimè læsis. Inter hos Joannes Baptista Corizzus Sacerdotis Germanus Frater sub ingenti lapidum strue, diffisso enormiter capite, & cerebro ex alto vulnere diffluente, inventus est: fœdè intumuerat oculus, lævi brachii os multis partibus contritum, reliquum corpus penè exanime. Non is tamen fuit in peracerbo casu Matris dolor, ut sensum pietatis adimeret, aut ex ea spe, quam ex Beati Andreæ patrocinio ad eam usque diem constantissimè retinuerat, deturbaret. Mirabilis Avellini Imago cubiculi parieti præfixa Matri perfugium est, filio ara salutis. Orat, obsecrat, obtestatur. Inter hæc visus est Joannes Baptista repentè surgere incolumis; itaque omne malum horæ momento dispulsum est, ut obductis perfectè cicatricibus, nullum crudi adhuc, & recentis vulneris vestigium existeret.

„ Sextum propè Castrum Novum, ubi cùm Scipio Arlæus puer triennis altissimæ rupis crepidini unà cum aliis pueris ludibundus insideret, repentè delapsus, & per prominentes saxorum murices provolutus ad ultimum usque rupis sinum præcipitanter descendit, contusâ miserandum in modum fronte, collique luxata compage. Nullus ori anhelitus, non cordi dissultus, non motus, aut sensus membris, ex quibus latentem in eo vitam possis deprehendere. Quapropter severè pronunciat Medicus, puerum omnino extinctum esse, monetque Matrem, ut justa solveret filio, & sepulturæ mandaret. Utrùm id peracerbum acciderit Matri, dubitaverit nemo, cui parentum in filios charitas perspecta sit. Ergo ad sepulturam compositum puerum dum effert mœstissima Mater ad majorem Ædem Castri Novi, incidit in Sacellum Beato Andreæ dicatum, & ubi Vir Sanctus in lucem editus erat, ibique à pio quodam homine in spem erigitur fore, ut ab Avellino maximorum patratore miraculorum filio vitam exoret. Confestim Ædiculam ingressa, cadavere super Altare deposito, & semel, iterum, ac tertiò ductâ per pavimentum linguâ, Andream & precibus, & fletu compellat, redderet liberaliter sibi filium, quem avara mors eripuerat.

„ Hæc

,, Hęc ſępius ingeminantem, & ſupplicatio-
,, nibus,votiſque fatigantem Cœlum audiit
,, tandem ſemper miſericors Avellinus,nam
,, Puer, qui ſuper Ara jacebat exanimis, re-
,, vocatus in vitam de improviſo ſurgit, ar-
,, reptâque una ex ibidem accenſis cande-
,, lis, in Beatiſſimi Andreæ imaginem vul-
,, tum defigit, nec uſquam ab illo dejiciens
,, oculos,primam vitæ uſuram in vindicem,
,, & liberatorem ſuum peramanter, ac læ-
,, tiſſimè impendere viſus eſt.

,, Ex quibus cùm eadem Sacra Rituum
,, Congregatio coram VESTRA SANCTITATE
,, ſub die 18. Novembris anni 1704. cen-
,, ſuerit unanimi voto poſſe, ſi VESTRÆ BEA-
,, TITUDINI placuiſſet, ad ejuſdem Beati An-
,, dreæ Avellini Clerici Regularis Theatini
,, ſolennem Canonizationem, juxta Sanctæ
,, Romanæ Eccleſiæ Ritum, & Sacrorum
,, Canonum diſpoſitionem procedi; cum-
,, que SANCTITATI VESTRÆ placuerit,poſt plu-
,, rimas fuſas ad Deum preces, poſtque fer-
,, ventiſſimam Sancti Spiritus invocatio-
,, nem, decernere ſub 12. Maji 1707. ut
,, Beatus Andreas ſolenni ritu Sanctorum
,, Albo adſcribatur, nunc pro Sanctiſſimi
,, hujus Decreti executione, & comple-
,, mento, præter Reges, & Principes Ca-
,, tholicos, qui in Cauſæ introductione
,, humiliter exorarunt, tota Clericorum
,, Regularium Theatinorum Religio enixè,
,, ac humillimè ſupplicat.

Ad finem perductâ Oratione, adhuc cum ipſo Oratore genuflexis Advocatis Conſiſtorialibus, Jo: Chriſtophorus Battellus Literarum Apoſtolicarum ad Principes Secretarius, ex Cubiculariis Secretis participantibus unus, Liberianæ Baſilicæ Canonicus, Vir in Eccleſiaſtica non minùs, quàm in prophana eruditione apprimè verſatus,& in dicendi facultate pręſtantiſſimus, SUÆ SANCTITATIS nomine utrique Advocato Oratori uno reſponſo ſatisfecit, futura etiam prænuncians Conſiſtoria ſemipublica ad exquirendas DD. Card., Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium ſententias.

MAximè gratum accidit Sanctiſſimo Domino Noſtro, Beatis Pio V., & Andreæ Avellino ſupremos Sanctitatis honores, publicumque in Catholica Eccleſia cultum hodie poſtulari. Humiles itaque Religioſorum Ordinum, quibus ipſi in hac mortali vita nomen dedere, ſupplicationes, & pia magnorum Principum in hoc idem conſpirantium vota, Sua Sanctitas Pontificiâ benignitate complectitur. Et ſanè, ſi umquam aliàs, hoc præcipuè tempore, quo Europa propemodum univerſa exitioſis, mutuiſque cladibus ſe ipſam miſerè conficit, Procerum cœleſtis Jeruſalem, & Domeſticorum Dei ſalutari præſidio, atque tutelâ, opus eſſe arbitratur: Qui de ſua jam felicitate ſecuri, & adhuc de noſtra incolumitate ſoliciti, precibus, meritiſque ſuis iratum Numen ad miſericordiam flectant; quatenus terris aliquando placatum arcus conterat, & confringat arma, & ſcuta comburat igni; beatæque pacis tranquillitatem tantoperè neceſſariam Chriſtiano tandem populo largiatur. Ii autem Beati Viri, quorum laudes modò tam ſplendidè commemoratæ ſunt, in diebus ſuis adeò Altiſſimo placuerunt, eâque lectiſſimarum virtutum, cœleſtium chariſmatum, ac rerum mirabiliter geſtarum gloriâ præcellunt, ut meritò confidere debeamus, eorum accedente patrocinio, Dominum Deum Noſtrum, etſi propter increpationem, & correptionem indignatus modicùm nobis ſit, reconciliandum tamen fore iterum ſervis ſuis. Quoniam verò pro veteri, ac laudatiſſimo Apoſtolicæ Sedis more, in hoc maximi momenti negotio, etiam poſt acta omnia rite, & ordine confecta, illius exploranda voluntas eſt, qui cum Sanctis, & Electis ſuis in æternum regnat in Cœlis: idcirco Sua Sanctitas omnes, & ſingulos hortatur ex animo, ut precibus, jejuniis, eleemoſynis, cæteriſque Chriſtianæ pietatis operibus, ad difficillimam hanc inveſtigationem auxilium de Sancto illi comparare contendant, ſinè quo humanis mentibus impervia prorſus ſunt oracula Divinitatis: Quin etiam Venerabilium Fratrum ſuorum S.R.E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum omnium in Urbe commorantium ſententias in Conſiſtorio Semipublico mox expoſcet, ad rem in terris cœleſtem quàm conſultiſſimè decernendam. Ejuſmodi reſponſum ornatis, luculentiſque orationibus nuper habitis idem Sanctiſſimus Dominus Noſter à me reddi mandavit.

Cùm dicendi finem feciſſet D. Secretarius, qui & ipſe SANCTITATEM SUAM nominans genua ſubmiſit, dimiſſum eſt Conſiſtorium. Diaconi Cardinales Aſſiſtentes redierunt ad Pontificem, qui ordine, quo venerat, Aulam paramentorum repetiit, ibique apud Lectum, ampliſſimo circumſtante Senatu, Sacra depoſuit indumenta; Deinde in proximo Cubiculo faldâ exutus, ad ſuperiores Ædium partes reverſus eſt.

Superioribus diebus Excellentiſſimus Urbis Senator Marius Marchio Frangipani, Conſervatores ejuſdem Gaſpar Orighi, Inn.

Inn. Ghislerius, Marchio Tanara, & Patritius Marchio Patritius Capitum Regionum Prior, summæ ergà Populum Romanum B. Pii V. beneficentiæ memores, magno Civium nobilium, & Curruum comitatu in Vaticanum Apostolicum Palatium contenderunt Summum Pontificem adituri, eumque pro solenni ejusdem B. Pii Canonizatione humiliter deprecaturi; neque voto frustrati sunt. Senatoriâ præfulgente Dignitate, more Regii Oratoris, obvium habuerunt Cubiculi Pontificii Præfectum, statoque temporis spatio deducti sunt ad Pontificem, qui eos ad osculum Pedis peramanter suscipiens, stare jussit, auditâque eorum dimississimâ instantiâ, diuturnum suum enixum rei conficiendæ studium ostendit, ac perhumaniter dimisit.

Non absimiles enixas pro Canonizatione B. Catharinæ de Bononia preces Sanctitati Suæ pluries obtulerat Comes Philippus Aldrovandus ejusdem Civitatis Orator, qui publico nomine summopere rem urgebat, sumptus etiam ad id necessarios erogare paratus, propterea quod in ipsa Bononiensi Civitate Sacrum prædictæ Beatæ Corpus intrà Ven. Monasterium Sanctimonialium *Corporis Domini* nuncupatum, incorruptum adhuc, & integrum asservetur, præcipuaque illius Populi veneratione colatur.

Id ipsum insuper Ferrariensis Civitatis nomine flagitaverat illius Orator Co: Eustachius Crispius publicas ejusdem Civitatis literas humillimis precibus refertas exhibens Pontifici, à quo ad Sac. Rit. Congregationem remissæ de more fuerant. Nec immeritò Bononiensium, aliorumque postulatis Ferrarienses accesserunt; Beatam enim Catharinam Ferrariensis Patris filiam Ferraria educaverat, ibique prima injecerat semina sanctitatis.

Instabant Litaniæ majores, minoresque ab universo Urbis Clero die S. Marci, & triduo ante Dominicæ Ascensionis festum, ex veteri instituto celebrandæ; Quare nè quidquam vel minimum pro Animarum profectu, & Catholicæ Religionis incremento negligere videretur Sanctissimus Pater: ut etiam in proximè capiendâ Canonizationis deliberatione uberiùs eo Spiritu illustraretur, qui renovat faciem terræ, promulgatâ triginta annorum Indulgentiâ, easdem Supplicationes majori cum Populi frequentia, ac pietate peragi curavit.

GASPARO per la misericordia di Dio Vescovo di Sabina della S. R. C. Card. di Carpegna della Santità di Nostro Signore Vicario Generale &c.

LA Santità di Nostro Signore considerando con suo estremo dolore le gravissime sciagure, fra le quali da sì lungo tempo si trova involta l'afflitta Cristianità, e risentendo specialmente quelle, che vanno direttamente a ferire l'autorità Sagrosanta della Chiesa, e la purità della Religione Cattolica, che tanto hanno sofferto, e soffrono, massime per cagione di sì aspra, e sanguinosa guerra fra Principi Cristiani: Siccome sempre più brama in contingenze di tanto bisogno di essere incessantemente assistita dalle Orazioni de' Fedeli nella Chiesa Militante, così si studia di cercare, e di meritare l'ajuto di validi, ed efficaci Intercessori nella Trionfante. Quindi è, che approfittandosi la Santità Sua dell' opportunità delle Processioni, e pubbliche preghiere solite a farsi in questi tempi secondo l'antichissimo costume della Chiesa, e desiderando in oltre di aumentarle, e rinvigorirle con più divoto, e numeroso concorso de' Fedeli, dà, e concede Indulgenza di trent' anni, e di altretante quarantene a tutti li Fedeli dell' uno, e dell' altro sesso, che nel giorno della Festa di S. Marco Euangelista 25. del corrente interverranno divotamente alla Processione, che per invocare, secondo il solito, con le Litanie maggiori l'ajuto Divino, e l'intercessione della Beatissima Vergine, e de i Santi si farà la mattina di detta Festa dalla Chiesa di S. Marco alla Basilica di S. Pietro in Vaticano; ovvero visiteranno in detto giorno l'una, o l'altra delle sopradette due Chiese, ed ivi pregheranno Sua Divina Maestà, perche si degni di assistere con l'abbondanza de' suoi lumi alla Santità Sua nella grave deliberazione, che è per fare della prossima Canonizazione de' Santi: perche voglia per sua infinita Misericordia disporre li cuori de' Principi Cristiani ad una stabile, e vera pace, dalla quale in conseguenza non solo non sia per risentire alcun danno la nostra Santa Religione, ma per il contrario sia per riceverne ristoro, e vantaggio: ed in fine perche si compiaccia di riguardare con occhio di clemenza tutte le altre presenti, e pur troppo note necessità della Chiesa, e di dare a Sua Beatitudine quell' Apostolico spirito, che gli è necessario per ben governarla in tempi sì difficili, e calamitosi.

Similmente concede Sua Santità la medesima Indulgenza a quelli, che pure interverranno divotamente a qualsivoglia delle tre Processioni, dette delle Rogazioni, da farsi conforme

il solito ne i tre giorni immediatamente antecedenti alla Solennità dell'Ascensione del Signore, cioè la prima nel Lunedì 2. del prossimo mese di Maggio da S. Adriano a Santa Maria Maggiore; La seconda nel Martedì seguente da Santa Maria Nuova a S. Giovanni Laterano; E la terza nel Mercordì 4. detto da S. Lorenzo in Damaso a S. Pietro in Vaticano: ovvero visiteranno in uno de' suddetti giorni la Chiesa, da dove s'incammina, e quella, dove termina la Processione di quel giorno, ed ivi pregheranno S. D. M. come sopra, unendo le loro particolari alle communi orazioni secondo la pia intenzione della Santità Sua.

Vuole in oltre la Santità Sua, che le Monache, Oblate, Zitelle, ed altre Donne secolari, che con licenza della Sede Apostolica dimorano nelli Monasterj, o Conservatorj approvati possano conseguire la medesima Indulgenza, se reciteranno le Litanie solite ne' suddetti giorni, facendo divotamente la Processione per la loro Chiesa interiore, Oratorio, Clausura, o Casa rispettivamente, e pregheranno il Signor Iddio per li bisogni di sopra espressi.

Esortiamo però tutti i Fedeli a non trascurare l'acquisto di questo spirituale Tesoro, e ad accompagnare queste sagre funzioni non solo con la dovuta modestia, e divozione, ma con fare in detti giorni altre opere di Cristiana Pietà per maggiormente meritare di ottenere dal Signore le grazie desiderate. Dato in Roma dalla Nostra solita Residenza questo dì 23. Aprile 1712.

G. Card. Vicario.

N. A. Canonico Cuggiò Segret.

Non defuit statutis diebus Populi post utrumque Clerum multitudo, non ejusdem devotio, nec Ecclesiæ vacarunt usque ad noctem fidelium concursu; Excitaverat enim populi pietatem, & vehementiùs inflammaverat composita Cleri modestia, quem Beatissimus Pontifex subjecto Edicto admonendum jussit, ut silentio, incessuque parem sacris supplicationibus gravitatem, religionemque præseferret.

GASPARO per la misericordia di Dio Vescovo di Sabina della S. R. C. Cardinal di Carpegna della Santità di Nostro Signore Vicario Generale &c.

PRemendo sommamente alla Santità di Nostro Signore, che da tutti quelli del Clero sì Secolare, come Regolare di quest' Alma Città di Roma, quali secondo il solito interverranno alle Processioni delle prossime Rogazioni, si pratichi in tale occasione tutta quella modestia, e divozione, con cui tanto interiormente, quanto esteriormente devono accompagnarsi azioni sì sagre; Ha perciò commandato la Santità Sua, che se ne dia loro questo speciale ricordo, col quale strettamente s'incarica a ciascheduno di essi d'intervenire a dette Processioni con quella pietà, che conviene, non occupandosi in altro, che in cantare, o recitare insieme divotamente le Litanie per implorare l'ajuto, ed intercessione de' Santi, senza dire altra parola fra loro, e molto meno con altri, che incontraranno per le strade, e senza dar luogo ad alcun' altra estranea distrazione; Onde da tutti possa conoscersi, che tali pubbliche supplicazioni, secondo il loro Istituto, veramente si fanno per placare, e non per irritare lo sdegno del Signore, e perciò non solo abbia ad essere rimossa ogni occasione di scandalo, che si darebbe, da chi facesse diversamente, ma per il contrario abbia a darsi motivo a chiunque vedrà tali funzioni di edificarsene, e quindi ritrarre eccitamento di unire le proprie preghiere a quelle, che vi si porgeranno dal Clero per li presenti urgentissimi bisogni della Chiesa, secondo la pia intenzione di Sua Beatitudine già notificata con altro nostro Editto. Avverta perciò ognuno di conformarsi con la dovuta obbedienza alla giustissima mente di Nostro Signore, per non incontrare l'indignazione della Santità Sua, e molto più per non incorrere quella di Dio, che con severi castighi suol punire le irreverenze, che si commettono nelle azioni ordinate al suo culto. Dato in Roma dalla nostra solita Residenza questo dì 30. Aprile 1712.

G. Card. Vicario.

N. A. Canonico Cuggiò Segret.

Alterum interea indictum est publicum Consistorium pro fer. 5. iv. Kal. Maji, in quo de B. Felice à Cantalicio, & B. Catharina de Bononia agendum erat. Formula indictionis eadem est, ac supra de primo Consistorio publico à nobis exposita, variatis tamen Canonizandorum nominibus, & Advocatorum Consistorialium instantium; Verùm nè nos futuris temporibus negligentiâ notemur, eam ex industria hìc adjungimus.

INTIMATIO

Per Cursores facienda, Domi quoque dimissâ copiâ.

FEriâ quintâ die 28. currentis mensis Aprilis horâ decimâ tertiâ erit Consistorium publicum in Aula Regia Palatii Vaticani pro rela-

relatione habenda de Vita, Virtutibus, Miraculis, & Actis omnibus in Causa Canonizationis Beati Felicis à Cantalicio Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, ac Beatæ Catharinæ de Bononia Ordinis S. Claræ: necnon pro indicendis jejuniis, ac precibus ad explorandam Divinam voluntatem super solenni Canonizatione, tam eorumdem, quàm aliorum Beatorum, de quibus fuit actum in præterito Consistorio publico.

Sanctissimus Dominus Noster ex Aula paramentorum in dictam Aulam Regiam deferetur: Eminentissimi verò DD. Cardinales cum Cappis violaceis ex Camelotto ad eamdem Aulam paramentorum se conferent, & statim ac Sanctitas Sua ascenderit Solium, consuetam obedientiam ei præstabunt. Postea R.P.D. Vincentius Amadorius olim de Manieris Advocatus Consistorialis referet acta in Causa prædicti Beati Felicis à Cantalicio, & pro illius Canonizatione instabit: Deinde D. Advocatus Consistorialis Jacobus Sardinius similia referet in Causa memoratæ Beatæ Catharinæ de Bononia, ac pariter instabit pro ejus Canonizatione: Quibus subindè genuflexis, D. Secretarius Pontificiarum literarum, quæ ad Principes scribuntur, è sinistro latere Solii Suæ Sanctitatis nomine respondebit.

Ideo intimentur omnes, & singuli Eminentissimi, & Reverendissimi DD. Cardinales: Intimentur etiam Decani, seu antiquiores Episcoporum Assistentium, & non Assistentium, Protonotariorum, Auditorum Rotæ, Clericorum Cameræ Apostolicæ, Votantium Signaturæ Justitiæ, Abbreviatorum, & Advocatorum Consistorialium, ut Collegas suos admoneant, & Cappis induti intersint; sicut etiam Secretarius Congregationis Sacrorum Rituum, & Promotor Fidei.

Similiter intimentur Gubernator Urbis Vicecamerarius, Principes Solii, Conservatores Urbis, Oratores Civitatum Subditarum, Magister Sacri Hospitii, cæterique intimari soliti.

De mandato Sanctissimi Domini Nostri Papæ.

Candidus Cassina Magister Ceremoniarum.

Statâ horâ DD. Cardinales, Prælati, Curiæ Officiales ad Aulam paramentorum convenêre. Pontifex ad eandem descendit faldâ de more indutus. Sacris ornatur: hinc ad Aulam Ducalem pergit: inde ad Aulam Regiam sellâ gestatoriâ defertur, Sacro post Crucem præcedente Senatu. Fit Consistorium initio sumpto ab obedientiæ Cardinalium erga Pontificem testimonio, quod est osculum manus Pontificiæ sub ora Pluvialis anteriori, quam vulgus, barbarè tamen, Auriphrygium vocat, quasi diceret sub ora phrygio opere elaborata, auroque intertexta. Actum deinde primò de Beato Felice à Cantalicio, cujus merita R.P.D. Vincentius Amadorius olim de Manieris, utriusque Signaturæ Referendarius, Justitiæ Votans, & Consistorialis Aulæ Advocatus, Cappâ more Advocatorum indutus, sequenti ornatissimâ Oratione luculenter explicavit.

„ DEcet, BEATISSIME PATER, laudari viros gloriosos, (1) & Cives Sanctorum, ac Domesticos Dei (2) nunciari Ecclesiæ; (3) Sic enim debitus virtuti honor, cultusque rependitur; Sic involutæ tenebris hominum mentes irradiantur in splendoribus Sanctorum; (4) Sic opera virtutis Dei, quæ præcipuè fulgent in Sanctis suis, (5) sempiternæ gloriæ commendantur. Sed quod maximè semper decuit, hoc planè tempore, quo nos undique mala circumstant, atrocissimis bellis Europa ferè tota concutitur, tot inter turbines Ecclesiasticis quoque rebus incommoda non deficiunt, videtur quædam veluti necessitas postulare, ut multiplicatis è cœlo terris intercessoribus, auctisque suffragiis, leniatur ira Dei (6) super filios hominum, (7) & in diebus nostris oriatur justitia, & abundantia pacis, (8) & impensissimas curas, ac studia SANCTITATIS VESTRÆ pro bono Ecclesiæ, ac Fidei Catholicæ, felices, faustique longa serie, cursus rerum, & exitus consequantur.

„ Nec diu cogitandum, quem potissimum nostris opitulari posse calamitatibus arbitremur. Offert sese præ cæteris Beatus Felix è Cantalicio, qui ambulavit in via immaculata, (9) qui inter homines quasi Lilium inter spinas (10) emicuit, qui omnes undequaque gentes, ac mundi plagas implevit odore suavitatis; (11) Et dedit ei Dominus vocem, vocem virtutis: (12) dedit ei omnes petitiones cordis sui. (13)

„ Ex humili Oppido, quod Cantalicium vocant, humilibusque parentibus natalitia Felix sortitus fuit. Et usque à teneris annis in ejus ore, vultuque splendescere visa sunt quædam veluti spiracu-

„ la

[1] *Ecclesiastic.44. A.1.* [2] *Epist. Paul. ad Ephes.2.D.19.* [3] *Ex Ecclesiastic.44.C.15.* [4] *Psalm.109.A.3.* [5] *Ex Psalm. 150. A.1.* [6] *Ex Ecclesiastic. 48. B. 10.* [7] *Ex Ecclesiastic. 36. D. 25.* [8] *Psalm.71. B. 7.* [9] *Psalm.100. B.6.* [10] *Cantic.2. A.2.* [11] *Genes.8. D. 21.* [12] *Psalm.67. D. 34.* [13] *Psalm.36. A.4.*

„ la vitæ, (1) quædam ingenui pudoris, „ atque amicæ Deo ſimplicitatis crepuſcu- „ la, lenitatis, manſuetudinis, amoris, ac „ reverentiæ rerum ſacrarum, quæ futu- „ rum jubar, ac ſurgentis imaginem ampliſ- „ ſimæ lucis præferebant.

„ Puerilem ætatem emenſus, paſcendo „ primùm gregi, mox verò colendis agris „ vacavit, quibus tamen Corpus dumtaxat „ ſubegit curis; Animum quippe in cœlum „ ſemper intendit, ſemperque amore ęternę „ Beatitudinis conflagravit. Continuò piis „ operam precationibus dabat, colebat „ Templa, impigrè Sacrificiis aderat fre- „ quenter, culpis rite expiatis, Angelico „ pane reficiebatur (2), & veſpertinis præ- „ ſertim horis, in receſſu, ad Sacram Ima- „ ginem Chriſti in Crucė ſuffixi, Aſcenſio- „ nes in corde ſuo diſponebat (3). Tan- „ toque pietatis, ac Religionis ſtudio Feli- „ cis pectus incaluit, ut quandoque uno, „ eodemque temporis momento, & Boves „ in agro regere, & in templo ſacris ad- „ ſtare mirabiliter viſus fuerit.

„ Sed tantum lumen Supremus Pater- „ familias accenderat, non ut in agreſti „ ſolo, & in collibus, vel campis ſub mo- „ dio lateret (4), ſed ut in hac Alma Ur- „ be, atque in hac excelſa, ac ſuprema Se- „ de Religionis, ac Santuarii Dei (5) ſuper „ candelabrum poneretur (6). Id nondum „ noverat Sanctus Dei, novit autem dein- „ ceps, & affluenter novit, portentoſo quo- „ dam, & forſan hactenus inaudito ſucceſ- „ ſu. Cùm de more terras aratro proſcin- „ deret, illaquearunt fortuitò ſe funibus „ Boves; ad illos extricandos accurrit, & „ impetu per eos facto, humi dejicitur. „ Dederunt ſe Boves fugæ præcipites, ra- „ ptaruntque ſecum, ſuper ejus pectus, ara- „ trum. Diſcerptæ interim obtuſi vomeris „ dente, dilaceratæque veſtes; ipſe autem „ undequaque ſoſpes, incolumiſque ſer- „ vatur.

„ Quo proinde tactus intrinſecus, (7) „ illuſtratuſque Felix, de religioſa capeſ- „ ſenda vita conſilium iniit, & morâ non „ interjecta, Romam venit, Sacro Ordini „ Fratrum Minorum S. Franciſci, quos Ca- „ puccinos appellant, alacri, ferventique „ animo nomen dedit. Plantatus autem in „ Domo Domini, in atriis Domus Dei no- „ ſtri floruit (8), profundiſſima in primis „ humilitate, quæ eſt omnium magiſtra „ virtutum (9), & firmiſſimum cœleſtis „ ædificii fundamentum (10). Omnia aliis „ tribuebat, nihil ſibi, quò præclariùs alii, „ eò viliùs ipſe de ſe ſentiebat.

„ Quæritandæ per Urbem ſtipi pro ali- „ monia Fratrum à Præpoſitis ſuis addictus, „ æmulari ſtuduit illum, de quo Propheta „ cecinit, (11) ut Jumentum factus ſum „ apud te, & ego ſemper tecum; Amor „ enim ſuggerit, quod negat ingenium; „ Vires, quas denegat imperitia, Charitas „ ſubminiſtrat (12). Nomen itaque indi- „ xit ſibi Aſelli Fratrum, eoque lætabatur „ plus longè, quàm Scipiones Africani co- „ gnomento gloriarentur, &, ut etiam fa- „ cta nomini reſponderent, omni cura, di- „ ligentiaque contendit: Unde cùm ali- „ quando gravi ſub pondere, defectus viri- „ bus, procidiſſet, non auxiliatrices ma- „ nus à Socio, ſed verbera, quibus erige- „ retur, tanquam Jumentum, humiliter fla- „ gitavit. Subſannationes vulgi hilariter „ excipiebat. Contra verò reſpuebat lau- „ des, & ita reſpuebat, ut diceret, mallè „ ſe tanquam flagitioſum circumferri per „ Univerſam Urbem, quàm importunis lau- „ dibus aures offendi. Et hoc ejus humili- „ tatis ſublime donum S. Philippus Nerius, „ ille germanæ virtutis Cenſor egregius, „ multis, ac præclaris experimentis co- „ gnovit, & cognitum immortalibus præ- „ coniis celebravit.

„ Manum ſuam etiam Felix miſit ad „ fortia (13), & abſtinentiis, & jejuniis, „ ciliciis, vigiliis, & flagellis mirum in „ modum corpus afflixit, ac velut in holo- „ cauſtum obtulit Chriſto Domino (14), „ nam ſub religioſæ vitæ primordiis, her- „ barum radices, & poma ad victum adhi- „ buit dumtaxat, & aquam. Addidit poſtea „ Præpoſitorum juſſu, fruſtulum Panis, hau- „ ſtumque Vini; Et ſi quid ultra capere „ coactus fuerit, cinere, vel aqua conſperſit, „ ut quod lenimentum guſtui afferre poſſet, „ in acerbitatem converteret. Sextas ferias „ ſolo pane, & aquâ tranſigebat. Quatuor „ autem majoris hebdomadæ poſtremos „ dies ita Jejunio ſuo conſecrabat, ut nihil „ penitùs deguſtaret.

„ Poſuit veſtimentum ſuum cilicium (15); „ nempe rudem, & arctam, & fragminibus „ undique reparatam tunicam. Lectulum „ nudis tabulis, & ſarmentis inſtruxit, qui „ proinde lectus doloris ejus (16), non

„ quie-

(1) *Geneſ.* 2. *B.* 7. (2) *Pſalm.* 77. *C.* 25. (3) *Pſalm.* 83. *B.* 6 (4) *Ex Luca* 11. *E.* 33. (5) *Pſalm.* 72. *C.* 17. (6) *Marc.* 4. *C.* 21. (7) *Ex Geneſ.* 6. *B.* 6. (8) *Pſalm.* 91. *B.* 14. (9) *Caſſian. collat.* 15. *cap.* 7. *pag.* 487. (10) *D. Bernard. lib.* 5. *de conſ.* [11] *Pſalm.* 72. *C.* 23. [12] *D. Gregor. apud Hug. Car. in Pſalm.* 72. *V.* 21. [13] *Prov.* 31. *C.* 19. [14] *Levitic.* 22. *C.* 18. [15] *Pſalm.* 68. *B.* 12. [16] *Pſalm.* 40. *A.* 4.

,, quietis erat. Somno uſus fuit parciſſimo, & ab eo in ſomnis, quaſi in die reſpectus [1]. Nudis per Urbem pedibus inceſſit, apertoque capite, ad excipiendas quaſcumque, ſive hybernæ, ſive æſtivæ tempeſtatis injurias.

,, Feriis Dominicis, Athleta Chriſti, [2] accingens fortitudine lumbos ſuos [3], ſeptem Urbis Templa, loricâ ferreâ præcinctus, obibat. Singulis autem diebus, mediâ nocte ſurgens ad confitendum ei [4], ante aram maximam Templi, flexis genibus, per horas, acerbiſſimis flagris, ad ſanguinem uſque, corpus innocens excruciabat.

,, Atque ita mortificatus carne, vivificatus autem ſpiritu [5], exultavit, ut Gigas, ad currendam viam [6], & ſive Domi, ſive foris ageret, nunquam ab oratione, quæ eſt eſca divini amoris, animum relaxavit; & præſertim ſingulari quadam pietate, ac ſtudio Deiparam Virginem proſequebatur: ſemper illam in ore, ſemper circumferebat in animo: illius augeri cultum, merita prædicari, totis viribus nitebatur. Plerumque autem habitaculum ejus ſurſum, [7] & in altiſſimis divinarum rerum meditationibus, quas inter, ex imo pectoris ſuſpiria trahebat, & in lacrymis, quaſi nubes, conſumebatur [8], & perſæpe, irruente in ſe ſpiritu Dei [9], abalienatus à ſenſibus, & in altum ſublatus, hauriebat aquas in gaudio de Fontibus Salvatoris [10].

,, Et probè cognoſcens, mandatum Dei eſſe, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum [11], tot, ac tantis proximum ſuum Charitatis officiis complexus fuit, ut flumina aquæ vivæ profluere de ventre ejus [12] in aliorum commoda viderentur. Nervum religioſæ diſciplinæ viriliter ſuſtentavit. Salutaribus monitis, omni gladio ancipiti penetrabilioribus [13], confodit delicias carnis, emollivitque lapideas mentes impiorum, quos inter, celebris eſt caſus cujuſdam adoleſcentis, qui, cùm omnia decoxiſſet, ſe etiam ipſum, donatione ſcripto firmatâ, Dæmoni mancipaverat, quem vir Dei, juxta Apoſtolum, arguendo, obſecrando, increpando in omni patientia, & doctrina [14], perculſit, ac de tenebris, & umbra mortis [15] tranſtulit in Regnum Filii Dei. [16] Frequens etiam in publicis Noſocomiis viſebatur mulcere angores, tractare vulnera, triſtes erigere, patientiam commendare, vaſa eluere, lectulos componere, afferre munuſcula, tam piè, tam dulciter, tam benignè, ut omnium animos ad ſe raperet, atque omnibus bonus Chriſti odor eſſet ad vitam [17].

,, Vota ſua Domino cumulatiſſimè reddidit [18], nam quoad Caſtitatem, Agnum ſe præbuit ſinè macula [19], & vivum exemplar illius virginis, quæ, ut Apoſtolus ait, [20] cogitat, quæ Dei ſunt, ut ſit Sancta Corpore, & Spiritu. Adeóque mentis, & corporis puritate prænituit, ac pudore floruit illibato, ut juvenem carnis illecebris irretitum, nemine præmonente, velut ad fœtorem cognoverit Vir caſtiſſimus, & in media Urbe abreptum humeris, fortiterque concuſſum, ad pœnitudinem revocaverit.

,, Paupertatem diligentiſſimè cuſtodivit, implevitque perfectè formam Servi Chriſti, quia nihil habuit præter Chriſtum [21], &, ut de ſuo Seraphico Patre ſcripſit Bonaventura [22], nemo tam auri, quàm iſte cupidus paupertatis. Novum hac in re, & forſan ſupra captum hominis videri poterit, id, quod dicam, ſed tamen omnino verum. Injecto per viam, joci causâ, in ſaccum à tergo pendentem, pauperi Chriſti, argenteo nummo, quem *Julium* dicunt, ſubſtitit ille repentè, ſentiens, inſuetum quoddam, & immodicum, moleſtumque onus humeris inſiluiſſe; Quid hoc eſſet, ignarus, depoſito, inſpectoque Sacco, obverſantem oculis nummum fuiſſe deprehendit, qui, ſicut onus grave, gravatus fuerat ſuper eum [23]: excuſſit velox, rejecit, peſſundedit, execravit, & ſic divertit ab oneribus dorſum ſuum [24], lætuſque perrexit, cum theſauris, quos poſuerat in præceptis Altiſſimi [25].

,, Obedientiam verò quantùm coluerit, plurimis, & graviſſimis rerum momentis teſtatum fecit. Sed illud planè magnificum, atque omnium linguis, ac literis prædicandum, quod cùm graviter ægrotaret, & Præpoſiti juſſu, commodiori ſe

,, lectulo

---

[1] *Eccleſiaſtic.* 40. *A.* 6. [2] *S. Hieron. lib.* 3. *Comm. in Matth. c.* 20. [3] *Proverb.* 31. *B.* 17. [4] *Pſal.* 118. *H.* 62. [5] *Epiſt. Petr.* 1. 3. *D.* 18. [6] *Pſalm.* 18. *B.* 6. [7] *Deuteron.* 33. *D.* 27. [8] *Ex Job* 7. *B.* 9. [9] *Numer.* 24. *A.* 2. [10] *Iſaia* 12. *A.* 3. [11] *Epiſtola Joannis* 1. 4. *D.* 21. [12] *Joann.* 7. *F.* 38. [13] *Epiſt. Pauli ad Hebr.* 4. *C.* 12. [14] *Epiſt. Pauli ad Timoth.* 2. 4. *A.* 2. [15] *Pſalm.* 87. *B.* 7. [16] *Epiſtola Pauli ad Coloſſ.* 1. *B.* 13. [17] *Epiſtola Pauli ad* 2. *Corinth.* 2. *D.* 15. 16. [18] *Proverb.* 7. *c.* 14. [19] *Exod.* 22. *A.* 5. [20] *Ex Epiſtola Pauli ad Corinth.* 1. 7. *F.* 34. [21] *D. Hieron. ad Nepotian.* [22] *In Vita S. Franciſci.* [23] *Pſalm.* 37. *A.* 5. [24] *Pſalm.* 80. *B.* 7. [25] *Eccleſiaſtic.* 29. *B.* 14.

,, lectulo commisisset, exibilante semel, ite-
,, rumque, ac tertiò, Dæmone, quod cor-
,, pori nimiùm blandiretur, repulit clypeo
,, sanctæ obedientiæ nequitiam hostis, in-
,, quiens, *Hic jaceo*, *Sceleste*, *hìc quiescam*,
,, *hìc moriar*, *ut obediam*.

,, Ad hæc illuxerunt fulgura ejus Orbi
,, terræ [1], innumeris propemodum, ac
,, præcellentissimis cœlestibus charismati-
,, bus, ac miraculis; Prophetiæ spiritu cla-
,, ruit. Cogitationes hominum, & arcana
,, cordium, soli Deo pervia, ita pro re na-
,, tâ, singulis exponebat, ut oculis attigisse
,, cordium penetralia videretur. Vidit non
,, semel in forma pueri, vidit, ac etiam bra-
,, chiis excepit, in quem desiderant Angeli
,, prospicere [2]. Credita est ei gratia sa-
,, nitatum; [3] Nullus quippe tam contu-
,, max, tam desperatus, tamque immedi-
,, cabilis morbus, quem ipse in fide, quæ
,, per Dei dilectionem mirabilia opera-
,, tur [4], in Domino roboratus, vel oris
,, imperio [5], vel manus impositione [6],
,, vel Crucis signaculo non depulerit. Mul-
,, tiplicandæ etiam Annonæ virtute con-
,, spicuus fuit. Dum enim victum per Ur-
,, bem emendicaret pro Fratribus, exhau-
,, sta erant piè largientium dolia vino, va-
,, sa oleo, brevi labiorum motu rem Domi-
,, ne commendante Felice, omnia reple-
,, bantur ubertate [7]. Quid plura? Mors
,, tua etiam, ò mors, Felix fuit [8]; nam in-
,, fantem in somnis temerè suffocatum à
,, matre, exanimatâ casu, & ejulatu omnia
,, complente, pietate motus Felix, vitæ re-
,, stituit.

,, Denique cùm nihil magìs cuperet,
,, quàm dissolvi, & esse cum Christo [9],
,, nunciatâ sibi cœlitus resolutionis suæ
,, die, eaque in statu firmæ adhuc valetu-
,, dinis, Fratribus, ac Benevolis, singulari
,, quadam cum jucunditate, & gaudio pa-
,, tefactâ, in febrim incidit, & sacrâ Exo-
,, mologesi piè, ac sedulò expletâ, adven-
,, tante sacro Viatico, fractus licèt viribus,
,, exurgens in occursum Domini [10], la-
,, crimysque suffusus, hausit Sacratissimam
,, hostiam, & pro Divini Amoris æstu, ex-
,, cessit paululum è sensibus: Quibus dein-
,, dè redditus, extremæ Unctionis præsidio
,, munitus, & veniâ à circumstantibus Fra-
,, tribus humillimè flagitatâ, dulcissimo
,, dignatus aspectu Deiparæ circumcinctæ
,, Coronâ gloriæ [11], ac legionibus An-
,, gelorum [12], cœpit, exanguis, ejus in
,, honorem, Angelicam Salutationem re-
,, colere, & ad ea verba *Ecce Ancilla Domi-*
,, *ni fiat mihi secundùm Verbum tuum*, placi-
,, dissimè conquievit, anno à Partu Virgi-
,, nis octogesimo septimo supra millesimum
,, quingentesimum, & quarto supra septua-
,, gesimum ab ejus ortu.

,, Evulgato Felicis obitu, viduari quo-
,, dammodo Populo visa est illico tota Ci-
,, vitas, nam omnes undequaque famâ San-
,, ctitatis ejus, ac Religione succensi, ad
,, Beatum intuendum, venerandumque
,, Corpus confluxerunt. Plenum stuporis
,, erat, atque lætitiæ, videre omnes certa-
,, tim manus, pedesque deosculari, con-
,, tingere, precarias Corpori admovere
,, Coronas, præscindere Tunicam, Capillos
,, evellere, extorquere ungues. Videre
,, exsuccum, & laboribus, & austeritati-
,, bus attritum senem refloruisse obitu, nec
,, squallorem illi, sed venustatem accessisse:
,, faciem vividam, flexiles artus, pedes non
,, rigidos, & rimosos, ut antea, sed lenes,
,, sed inoffensos, ac veluti lævigatos: Vi-
,, dere corpus, quod vivens Spiritûs San-
,, cti Templum fuerat [13], suavissimum
,, odorem efflare, quo omnes mirificè re-
,, creabantur.

,, Ad indulgendum tantæ, ac velut in-
,, saturabili erga Felicem charitati totius
,, Urbis, atque venerationi, triduo ne-
,, cesse fuit inhumatum corpus, ac publicè
,, omnium oculis subjectum relinquere.
,, Quo quidem temporis spatio ad ejus ma-
,, nuum, pedumve contactum, fuit extem-
,, plo restituta loquela muto, auditus sur-
,, do, fuerunt ab obsessi corpore fugati Dæ-
,, mones, aliæque permultæ gravissimæ
,, ægritudines profligatæ. Post triduum au-
,, tem, plumbeo in loculo repositum cor-
,, pus communi Fratrum tumulo mandatum
,, fuit.

,, At his in latebris brevì delituit cor-
,, pus tanti Viri; Evolutis enim novem cir-
,, citer mensibus, efferente se altiùs, ac ve-
,, hementer nimis undique perstrepente fa-
,, mâ ejus virtutum, rerumque piè, ac mi-
,, raculosè gestarum, fuit illud, auctoritate
,, sanctæ memoriæ Sixti V., è communi
,, Fratrum tumulo translatum in Templum,
,, & eo ipso in loco, in quo hodie requie-
,, scit, honorificè collocatum: Quod cùm
,, fieret, magnâ cum celebritate, atque
K 2 ,, homi-

(1) *Psalm.* 96. *A.* 4. (2) *Epist.* 1. *Petri* 1. *c.* 12. (3) *Epist. Paul. ad Corinth.* 12. *B.* 9. (4) *Epist. Paul. ad Galat.* 5. (5) *Ex Genes.* 41. *E.* 40. (6) *Ex Marc.* 16. *D.* 18. (7) *Psalm.* 64. *C.* 12. (8) *Ex Prophetia Oseæ* 13. *D.* 41. (9) *Epistola Paul. ad Philippens.* 1. *D.* 23. (10) *Psalm.* 58. *B.* 6. (11) *Isaia* 28. *B.* 3. (12) *Matth.* 26. *E.* 53. [13] *Ex Epist. Pauli ad Corinth.* 1. 6. *D.* 19.

„ hominum frequentiâ, plausuque, dedit „ ei Deus de rore cœli [1]; nam pretiosissimus liquor, & pellendis quibusque „ morbis, ac languoribus saluberrimus, ex „ eo promanavit. Ex oleo autem lampadis „ ad ejus tumulum collucentis, unctiones „ conficiebantur sanitatis [2]. Hoc enim „ oleo inunctus triennis puer ereptos sibi „ morbosis pustulis oculos, sinè mora recuperavit. Hoc etiam oleo inuncti Frater „ Paulus è Tibure de inveterato articulari morbo; Clarix Guarneria de acerbissimo pedum cruciatu; Dominicus Floranus de pluribus lethalibus, desperatissimisque morbis, omnes prodigiosè convaluerunt. Ex quibus clarificatus à Patre „ luminum [3] san. mem. Urbanus VIII. „ Servum Dei Beati titulo insignivit.

„ Neque tamen deinceps declinarunt „ unquam, imò effulserunt in dies magìs, magisque semper divitiæ bonitatis „ Dei [4] mirabilis in Sancto suo [5]; nam, „ ut de cæteris sileam, quos longum nimis „ esset recensere, Frater Carolus è Tuderto, sinistro genu, acerrimis doloribus „ conflictatus, imploratâ ope Beati Viri, „ protinus ab omni morbo liber evasit; Et „ Leopoldus Franciscus Tozius quadriennis puer, acutissima febri laborans, & in „ extremis agens, fuit statim fusis ad ejusdem Beati Viri sepulchrum precibus à „ Matre, in pristinam valetudinem vindicatus.

„ Quæ cùm ita sint, BEATISSIME PATER, „ tantum, ac tam excelsum humilitatis donum; tanta, ac tam inusitata austeritas „ vitæ, & corporis excruciatio; tantus, ac „ tam fervidus charitatis ignis, in Deum, „ & proximum; tanta, ac tam mirabilis observantia, cultusque Religiosorum votorum; tot, ac tam præclara cœlestia charismata; miracula sinè numero, ac præstantissima, clamant ad SANCTITATEM VESTRAM, & exultant, tanquam tubæ, vocem suam [6], efflagitantque, ut ex isto „ Cœlos penetrante Solio [7], Beatum „ Felicem è Cantalicio Sanctum pronunciet, Sanctorum Confessorum fastis, ac „ monumentis adscribat. Non habet fortè, „ nec Dignitas Vestra majus, quàm ut possit, nec Providentia Vestra melius, quàm „ ut velit, homines, qui bonum certamen „ certarunt, & cursum feliciter consummarunt [8], ad incrementum divinæ gloriæ, & communem omnium utilitatem, „ & gaudium, coronare coronâ justitiæ(9), „ atque Aris, Templisque donare. Orant „ ad SANCTITATIS VESTRÆ pedes provoluti „ magni Catholici Principes. Orat etiam „ inclytus, ac de Vinea Vestra præclarè „ meritus Operarius (10), Ordo Seraphicus. Universus autem propemodum Terrarum Orbis, & præsertim hæc Alma „ Urbs, Beati Viri gratiis, ac miraculis supra cæteras illustrata, sententiæ ejusmodi Vestræ nuncium avidissimè præstolantur. Extollat ergo manus suas in Sancta(11), det Terris cœleste munus, atque præsidium, lumen ad revelationem „ gentium, & gloriam plebis suæ (12); & „ ad innumerabilia SANCTITATIS VESTRÆ erga „ Christianam Rempublicam merita, quod „ fieri jam posse non videbatur, maximus, „ hoc vestro facto, cumulus accedat.

Oratione cum instantia ab Amadorio absoluta, assurgens Jacobus Sardinus, & ipse Consistorialis Aulæ Advocatus, hanc, quæ sequitur, de meritis B. Catharinæ de Bononia luculentam habuit Orationem.

„ DE Pio, BEATISSIME PATER, Dominici „ gloria Religionis, in hac Petri Sede hujus nominis Quinto, S. V. Prædecessore Beatissimo: De Andrea Avellino, „ peractâ Vitâ, Cajetani Ordinis Viro clarissimo: De Felice, in arctissima Francisci paupertate, Virtutum copia ditissimo, „ facundissimi Oratores hìc dudum dixere, „ Militantis Ecclesiæ, solenniori pompa „ exornatum, triumphum ut postularent, „ quò amplissimi hujus Confessûs intercedente suffragio, auctoritateque S. V. interposita, Athletæ felicissimi in ea, quam „ incolunt, Patria jucundissima, in Terris „ adauctæ gloriæ pro meritis habeant incrementum. Inter tantos, fortissimosque „ Viros, seculi debellatores, sanctos, sapientes, severos, nè quis sexûs cesset à „ laude, Virginis ecce Virtus. Stat enim „ ante Thronum S. V. celebratissima Virgo, Claræ sectatrix, sexu, quò infirmior, „ sibi partâ victoriâ, eò commendatior. „ Stat cum ea Bononiensium singulare decus; Stat Ferrariensium illustre ornamentum; eximia sui humilitate exaltata, Bononiensis nè dicam, an Ferrariensis? Stat „ Beata Catharina. Vereor profectò de ea

„ dictu-

[1] *Genes.27. D.28.* [2] *Ecclesiastic.28. A.7.* [3] *Epist. Jacob.1. C.17.* [4] *Epist. Pauli ad Rom.1. C.16* [5] *Psalm. 67. D. 36.* [6] *Isaia 58. A. 1.* [7] *Epistola Pauli ad Hebr. 4. D. 14.* [8] *Epistola Pauli ad Timoth. 2. 4. B. 8.* [9] *Epistola Pauli ad Timoth. 2. 4. B. 8.* [10] *Matth. 20. A. 1.* [11] *Psalm. 133. A. 2.* [12] *Lucæ 2. E. 32.*

„ dicturus, ut parem animi magnitudinem „ afferre possim, qualem Bellatrix hæc simul, atque Triumphatrix præstitit pro „ sua, pro aliena salute, numquam prætermissâ pugnâ, solicita; recreat verumtamen, & me reficit causa ipsa dicendi. „ Ipsa enim animum amplissimam in spem „ erigit; Quoniam quartum dum postulo, „ hoc extremo dicendi loco, pro nostra „ Beata, Triumphum, agenda mihi non est, „ jam acta res: non locus, non tempus est, „ operosissimæ Virginis mirabilia quæque „ recogitandi, dicendi, laudandi.

„ Avitam, Paternamque haud obscuram, N. B. dedisse originem, educationemque, Nicolai Marchionis Estensis in „ Aula cultissima, Ferraria gloriatur. Maternum dedisse genus, ac utriusque natalis diem, geminatis lætitiæ causis, suamque Civem appellandi titulis, Bononia „ feliciter, ac verè commemorat. Eja igitur, quo decoratæ estis mutuo beneficio, „ gaudete Urbes splendidissimæ; tuque in „ primis Bononia, cujus privato gaudes „ patrocinio, tibi natam, tibi cœlitùs attributam, æquo jure quamprimùm Ecclesiæ universali Patronam datura Catharinam.

„ Infans adhuc, quam Bononiæ sibi paraverat, Fortium armaturam, Ferrariam „ adducta induit, ut voluptatum, deliciarumque illecebras, blandientium Aulicorum conatus, expetitas magna æmulatione nuptias, & reliqua fallacis fortunæ „ lenocinia retunderet, vinceret, profligaret. Joanni Vigri Patri, J. C. sui temporis, in Bononiensi, ac Patavina Academiis desideratissimo collati honores; à „ Patre non tam auctæ, quàm penè iterum „ fundatæ, atque optimè constitutæ honestissimis artibus avitæ opes; exquisitissimi „ Parentum, ac Estensis Marchionissæ curâ, „ & solicitudine comparati mores; Forma „ æquè ad venustatem, atque ad virgineum „ pudorem composita, quò gloria invenitur, & gratia, bellum inferat jam adultæ Catharinæ. Virgo fortis in fide, in „ Deum flagrantissimæ dilectionis superinduta thorace, & eâ, quæ præliantibus „ est optati eventus argumentum, firmissima spe confortata, assiduis quanquam „ oppugnata machinationibus, ad hæc suorum consiliis, & precibus, in eo, quod „ ab ineunte juventute conceperat, servandæ virginitatis proposito, robusta semper, ac immota manens, inde cœpisse „ videbatur, ubi aliis desiisse, perfectæ, „ consummatæque virtutis est. Ultra verò „ quàm mea poscit oratio, nè sermo progrediatur, de orationibus, de vigiliis, „ de jejuniis, de cruciatibus, in servitutem pro redigendo corpore, adhibitis, „ nihil dico. Innocentiam, pietatem, religionem, quantùm coluerit, prætereo. „ Et hæc in Aula. Cœtus modò ille virgineus, à Mascaronia fœmina religiosissima, utque fama fert, signis ab Altissimo „ commendata, Ferrariæ institutus ante „ oculos obversetur. In eo intuenda est, „ veluti vigili sub præsidio, tutissima sub „ statione, ac arce firmissima, recepta „ Catharina, ubi pacem sperare potuisset, acerbiori prælio de hoste teterrimo „ triumphatura. Sive enim secum animo reputaret, sive præsagiret, christianæ illud „ perfectionis asylum, ex piarum Virginum Cœtu, eo in loco institutum, nunquam non fore quasi templum pudoris, „ & sanctitatis; quod tamen à communi „ humani generis Hoste, occulta modò „ calliditate, modò aperta, nec intermissa „ obsidione in suis adhuc primordiis, ad „ eversionem usque oppugnandum esset: „ ita se ab ineunte Tyrocinio gessit, ut „ semper in armis, aut in specula esse videretur, in se primùm pugnans acerrimè; „ tum insidiatoris vaferrimi artes, impetumque prospiciens, ac retundens; primisque illis positis rudimentis Euangelicæ Militiæ, sic postea Mascaroniæ adfuit, „ ut vel apud diffidentes sodales, atque invicem contendentes, utrum Augustino „ an Claræ nomen darent, seque sub alterius vexillo conscriberent, vel apud exteros novum sapientiæ Sanctorum, & veræ pietatis domicilium nè illa moliretur infestissimè obnitentes; omnibus omnia facta, & difficillima quæque suscipiens, qua pollebat charitate, atque ad „ exitum perducens, justi, fortis, temperantis, prudentis, suoque in munere probatissimi Propugnatoris vicem repræsentaret. Ejusmodi quippe exemplum secuta N. B., postquam exteriora propugnacula erexit, munivit, roboravit; indicta „ demum Affeclis lege, quod tamdiu optaverat, ut exire nunquam liceret è Claustro: cùm semel, iterum, tertiò, instantissimè sibi oblatam Præfecturam recusasset, humillima Virgo, suæ specie, ac præsentia virtutis, cuncta componens, continuò paratam ad prælium aciem instruxit; atque præliaturis arma illa septena „ paravit, quorum faustum, ac felicem experta usum, in suis cum hoste conflictationibus, qua erat in Deum charitate flagrans,

„ grans, inque homines propter Deum, „ eadem ipsa posteritati feliciter utenda re- „ liquit, & commendavit. Jam nemini du- „ bia erat nostræ Beatæ præexcellentissima „ virtus. Jam Catharinam adibant quæren- „ tes in mœrore solatium, in paupertate „ levamen, in interitu vitam. Adibant Cœ- „ ci ut viderent, Claudi ut ambularent, „ Muti ut loquerentur; Adibant: sed scire „ quasi vellet adhuc Omnipotens, cœlestis „ gloriæ coronam num Catharina merere- „ tur, Christi Corporis amantissima quan- „ do erat, atque æstuanti similis Sacratissi- „ mum Angelorum panem eximio cultu „ prosequebatur, erga eumdem, passus est „ in fide tentari. Qui languor, qui dolor; „ victorias inter, casum mœstissima Virgo „ cùm formidaret; quas non effudit preces; „ quas non effudit lacrymas; quos non tu- „ lit in agone labores? Funestum tamen „ non adeò fuit Catharinæ; vi tantæ cala- „ mitatis divinitus illatæ, fuisse tentatam, „ quàm præclarum, in ipso adhibitarum „ virtutum experimento, verè perfectam, „ fuisse divinitus proclamatam. Cuncta „ modò virtutibus ejus congrua, si dice- „ rem, dies, & hora deficeret, atque adu- „ lari putarer: nè incredibilia videantur, „ damnum laudibus ejus faciam. Assisien- „ sis Francisci vulnera deosculari, Thomæ „ Cantuariensis, orandum inter, familia- „ ritate recreari, Puerum Jesum ulnis ex- „ cipere, de facie ad faciem Christum al- „ loqui, quomodo promeruerit, explica- „ re si vellem, Tulliani fluvius exsiccaretur „ ingenii. Desinam eo libentiùs plura di- „ cere, nè rerum harum recordatio sit in „ ipso gaudio Ferrariensibus optimis pro- „ pter abeuntem Catharinam, mœroris in- „ stauratio. Talis, & tantus erat Ferrarien- „ sium Sanctimonialium Corporis Christi, „ ubique locorum circumfusus odor; tanti „ apud gentes reputabatur hìc Angelorum „ chorus, qualis publicè dicebatur; Tan- „ tus in diem percrebrescebat Catharinæ „ rumor, ut ad eam undique circumfluen- „ tes Virgines non caperet unum Cœno- „ bium. Decreverunt ideo, laudatissimum „ institutum ad se vocare, Urbes quamplu- „ rimæ, quas inter Bononia. Fuerat hoc „ nostræ Beatæ cœlitus renunciatum raptu „ illo admirabili, quo sedes duas prope „ Dei Thronum inspexit, quarum alteram „ Bononiensi Catharinæ paratam audivit, „ quæ grandior erat, & magnificentissimè „ ornata. Decreto itaque Bononiæ Cœno- „ bio, lectisque incolis è Ferrariensi, nullo „ humano intercedente consilio, cùm no- „ væ Præfecturæ sors super eam cecidisset, „ & quod mirabile dictu est, Sanctimonia- „ les uno, eodemque temporis momento, „ dilectissimam sororem retinere secum „ statuerent, & simul occulta vi quadam „ ejus profectioni suffragarentur; tunc „ quod audierat, intellexit, & inter rubo- „ rem, & pallorem, inter metum, & læti- „ tiam nutando, assidentium genibus pro- „ voluta, obsecrans, ac obtestans nè supra „ vires oneraretur; cupiens ubi arctiùs vi- „ vere, ac vacare Deo cœperat, ibi pere- „ grinationem perficere, fletu tantùm, & „ suspiriis suam agere causam perrexit. „ Narrare nec aggredior, quod dicendo „ minus faciam. Transgrediar ad animi mo- „ derationem, quæ laudibus opulentissima „ est; multò enim semetipsum, quàm ho- „ stem superare operosius. Collatam Præ- „ fecturam, veluti novum certamen N. B. „ cùm reputaret, tristissimum ei erat, quod „ Bononiensibus lætissimum. Quamobrem „ indicto sibi arctissimo jejunio quadragin- „ ta dierum; per integras noctes quavis re- „ quie defatigato corpori pernegata, ut ju- „ ges, & multò quàm antea ferventiores „ effunderet preces, ab injuncto munere „ libertatem à Christo Domino fidentissimè „ impetratura; imperantem sponsum cùm „ audierit, ut Bononiam ad natale solum „ rediret, & suæ gentis abdicato cogno- „ mento Bononiensis in posterum nuncu- „ paretur, qua decuit demissione, atque „ alacritate paruit; suique victrix abne- „ gans semetipsam, quò suavior esset sub- „ ditarum conditio, imperium subivit, ser- „ vienti similis. Ad explicandam incredibi- „ lem hanc animi moderationem, quæ in „ Catharinæ transitu ad Præfecturam elu- „ xit, testes exoptarem hìc Ferrarienses il- „ los, ac Bononienses optimos, iter agen- „ tem Catharinam comitatos. Exoptarem „ Estensem Religiosissimam Margaritam, „ prævalido amicitiæ vinculo, & constanti „ benevolentia ab infantia Catharinæ con- „ junctam. Exoptarem non ignotæ recor- „ dationis viros Calcinam, Mezzavac- „ chium, Leonorum, Lambertinum, Pa- „ triæ apud Beatam Oratores lectissimos. „ Exoptarem nominis tam grandis Ecclesiæ „ Cardines Bessarionem, & Calandrinum, „ Catharinam excepturos ad Bononien- „ sium, & Ferrariensium fines usque pro- „ gressos. Viderunt illi Beatam pro suæ di- „ lectionis perenni monumento, perinde „ ac si tanto comitatu ad funus duceretur, „ Sorores, Cœnobium, Ferrariam, dese- „ rentem, quasi animam efflantem. Ac hi

„ novam

„ novam Claram in Catharina, viribus ex „ itinere restituta, spectare cupidi, votis „ ferè ceciderunt, animi tanta demissione „ perculsi, obvolutam pallio, coram Po- „ pulo Catharinæ faciem dum conspexere; „ qui mos Virginibus ejusdem Ordinis tra- „ ditus, in hodiernum diem Bononiæ pro „ lege servatur. Vera unde oriatur gloria, „ & qua debeat ratione comparari, negle- „ ctâ magis, in N. B., videant ii, quorum „ cura in expetendis seculi honoribus, lon- „ ga teritur cupiditate. At Orationem „ meam ad se revocat Bononiensis Populi „ gaudium; revocat Urbs felicissima Civem „ suam, quæ Catharinam excepit. Quid- „ quid potest cogitare animus, quidquid „ sermo explicare, illo tempore factum est. „ In obsequium Sanctæ Matris certatim ad „ Cœnobium ruere, ubertim flere præ gau- „ gio, gratulari vicissim, quod nobilem „ Urbem Catharina sanctitate sua nobilio- „ rem faceret; ovantis Civitatis per tri- „ duum plausus, & celebritas fuit. Longum „ foret omnia dicere, sed hoc paucis di- „ cam. Per omnes Domos Virginitatis pro- „ fessio cùm ferveret, quasi ex radice „ fœcunda laudatissimæ Virginis sequutæ „ exemplum, & tantam in regenda Repub. „ bonitatem, comitatem, mansuetudinem, „ & docilitatem, tantamque divinarum re- „ rum sapientiam demiratæ, & multæ simul „ Virgines pullularunt. O felix Bononia, „ ò Domus illa beata, cujus societate glo- „ riari nulla jam Virgo erat, quæ non „ optaret!

„ Inter Præfecturæ curas, ad Cœnobii „ regimen admirabili lata lege, ac penè „ divina; Martham, & Magdalenam per- „ fectè cùm ageret Catharina, subito mor- „ borum bello conflictari cœpit, quod San- „ ctimonialibus aliis ob inusitatum vitæ „ genus contigisse visum est, ut ejus in sin- „ gulas effusa bonitas, naturæ victrix, om- „ nem in partem suam probaret virtutem.

„ Post tot, tantasque victorias, ac to- „ ties irritos postquam fecerat conatus hu- „ mani generis Hostis, fortitudinis Catha- „ rinæ experimentum jam nullum superes- „ se videbatur; novæ tamen victoriæ sese „ obtulit occasio. Revocata etenim per „ Pium II. Sanctimonialibus authoritate, „ conferendi Præfecturas ad vitam duratu- „ ras, indictam legem animi tanta volupta- „ te recepit, ut cogitandum reliquerit, „ num admirabilior cùm obediens obla- „ tum munus susceperit, an cùm dimiserit, „ officiis humilioribus, vilioribusque va- „ catura, ut quæ major erat, fieret sicut „ minor, & quæ præcesserat, sicut mini- „ stratrix.

„ Sed me de fortissimæ Virginis digni- „ tate dicentem, & plura etiam dicere pa- „ rantem, in ipso orationis cursu, ejus in „ laboribus attriti corporis aspectus reti- „ net, atque reprimit; Video enim jacen- „ tem Catharinam; video ad ultimum bel- „ lum, seu Triumphum, humanitatis condi- „ tione deductam, promeritam, & jamdiu „ paratam, in Cœlesti Capitolio Sedem „ consecuturam. Ad hoc enim laboramus, „ & in seculi hujus periclitamur militia, ut „ in futuro seculo coronemur.

„ Septennio nondum expleto, post- „ quam Bononiam pervenerat, & Bono- „ niense Cœnobium verbis, & factis san- „ ctissimè instruxerat, serviendo potiùs, „ quàm imperando, lethali correpta mor- „ bo, dulcissimoque Dei eloquio ultimum „ sibi imminere diem edocta, in ipsa duris- „ simæ ægritudinis tribulatione lætissima, „ sciens quomodo tribulatio patientiam „ operatur, patientia probationem, pro- „ batio spem, spes autem non confundit, „ perseverantiæ suæ opus exequuta, Soro- „ ribus mœstissimis, & in lacrymas effusis, „ hilaris, & gaudens brevi se discessuram „ pronunciavit, & ad unionem cordium, „ mandatorum observantiam, Dei, & Pro- „ ximi ordinatam dilectionem, & perpetuò „ memorem beneficiorum, erga Bononien- „ ses, animum, ut exhiberent, admonitis; „ dolere quia prohibuit, sive in semetipsam „ severitatis, sive in Sodales suas pietatis „ admirabili constantia, victoriæ gloriam „ præcessit. Refecta postmodum viatorum „ cibo, cæterisque de more roborata præ- „ sidiis, die 9. Martii 1463. ætatis suæ 50., „ maxima cum jucunditate in Domino sive „ requievit, sive obdormivit.

„ Obdormivit utique mortuæ similis, „ dum vivit adhuc Bononiæ; vivit Trium- „ phatrix hæc incorrupta, & membrorum „ pertractabili Tabernaculi sui depositione, „ accurrentium oculis subjecta Fidelibus. „ Asserere nonnè decet, Catharinam, in „ manifestationem Omnipotentiæ Dei, mor- „ tuam repræsentari; sed vivere, & obdor- „ mire, si corpus ejus Eucharistiâ coram „ transvectum, sereno vultu, junctisque „ manibus, assuetum in morem, ter caput „ inclinasse, constantissimè asserimus? Non- „ nè obdormientem probavit, emenso à „ funere longo dierum intervallo, fluens ab „ exhumata cruor? Nonnè viva dicenda „ est, moveri, & in Templo locari quæ re- „ nuit, memor suæ humilitatis, supremum „ donec

„ donec suæ Præsidis vel post funera sentiret imperium? Nonnè vivit, qualis in sua extitit peregrinatione, miraculorum officiosissima operatrix? Horum seriem, & copiam referre dum prætermitto, nè plus quàm res postulat, longior evadam, silentio præterire non possum, quæ nuper S. V. recepit, restitutæ manus Sor. Justinæ de Calcinis, ex luxatione à novem mensibus inflexibilis, & à Medicis derelictæ; subitò fugatæ febris à Sorore Maria Geltrude de Gherardellis in lethargo, & delirio ad dies ferè sexaginta protracta, & à Physicis deplorata.

„ In Cœlis itaque meritis onustam, & gloria cum tanta commorantem, & in Terris nostrûm omnium solatio vivido suo corpore inhabitantem, tum seculi, cùm naturæ, tum mortis victricem coronemus Catharinam; Impleat litus omne christianæ gloriæ Triumphus. Expetunt, B.P., & enixè rogant, atque à S. V. instanter, instantiùs, instantissimè postulant hunc tantæ Civi, & Patronæ suæ decerni honorem Bononienses, qui nullis parcendo sumptibus, id unum à tanto jam tempore agunt apud Sanctam hanc Sedem, ut à qua tot in dies beneficia in se redundare sentiunt, illam, communicato cum Ferrariensibus gaudio, toti Orbi christiano, tamquam virtutis exemplum, & veræ auspicem felicitatis in hac temporum illuvie propositam intueantur. Dixi.

Quâ postremò ad finem perductâ, utrique Orationi, & instantiæ sequens responsum, nomine SANCTITATIS SUÆ, reddidit D.Battellus, futura etiam jejunia, deprecationesque ad Deum ex more indicens, ut in re omnium gravissima SANCTITATI SUÆ recondita æternæ Sapientiæ aperirentur consilia.

BEnigno, lætoque animo Sanctissimus Dominus Noster excipit religiosas preces humiliter ipsi oblatas, ut Beatis Felici à Cantalicio, & Catharinæ de Bononia Sanctorum cultum, ac honores decernere velit. Cùm enim præcellentia eorum merita, & magnalia, quæ Deus mirabilis in Sanctis suis per ipsos operari dignatus est, modò luculenter enunciata testentur, quanta eos gloria maneat in cœlis, quorum laudes taliter celebrantur in terris: nedum ad totius Ecclesiæ decus, & amplitudinem, sed etiam ad omnium Christifidelium utilitatem, ac ædificationem pertinere censet tam illustrium Cœlitum venerationem latiùs propagari. Indè siquidem sperandum est, ut fidelis populus tantarum commotus celebritate virtutum, quibus ipsi floruerunt, ad imitationem vehementiùs incitetur; deinde à præclaris eorum exemplis animetur ad certandum Christianis in Castris cum antiquo hoste robore pari, fervore consimili, & fide; ac demum ad obtinenda in humanis necessitatibus divina beneficia, & quod Christianis omnibus in primis propositum esse debet, ad immortalis gloriæ consortium promerendum, specialibus eorumdem Beatorum orationibus adjuvetur. Porrò cùm vetus Romanæ Ecclesiæ mos postulet, ut in Causa omnium longè gravissima non aliud constituatur, nisi quod sedulis priùs obsecrationibus imploratum cœlestis gratiæ lumen ostenderit; propterea SUA SANCTITAS *ab omnibus, & singulis enixarum precum, jejuniorum, aliorumque piorum operum hac ipsa die præscribendorum subsidia majorem in modum flagitat, quò discussis humanæ intelligentiæ tenebris, dilucidè illi, ac apertè Divini Numinis beneplacitum reveletur. Cæterum in semipublicis Consistoriis, quæ propediem indicentur, Venerabilium fratrum suorum S.R.E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum omnium, qui in Urbe sunt, consilium exquiret, ut cunctis accuratissimi judicii partibus pro rei magnitudine satisfiat. In hanc sententiam disertis modò habitis orationibus responsum me reddere jussit idem* SANCTISSIMUS PATER.

His ordine peractis, Consistorium dimissum est, atque eo ritu, quo venerat, SANCTISSIMUS PATER ad Aulam paramentorum, & hinc ad superiores Ædium partes reversus est.

Præceperat pristino die Ceremoniarum Magistris SANCTITAS SUA, ut, dimisso hoc puplico Consistorio, Eminentissimis Patribus Indulgentiarum exemplaria, quæ mox cum jejunio pro sequenti hebdomada erant evulganda, distribuerent: Pontificio paruerunt mandato, statimque eadem exemplaria ad Basilicarum Valvas, & in publicis, præcipuisque Urbis locis, etiam ultra consuetudinem, fuerunt affixa, ut tanta cœlestium ex Ecclesiæ thesauro divitiarum erogatio celeriùs omnibus innotesceret. Indulgentiarum autem forma erat hujusmodi:

GASPAR Miseratione Divina Episcopus Sabinen. S. R. E. Card. de Carpineo Sanctissimi D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejusque districtûs Judex Ordinarius &c.

LA Santità di Nostro Signore Papa CLEMENTE XI. *concede Indulgenza Plenaria, e remissione di tutti li peccati a tutti i fedeli Cri-*

Cristiani dell' uno, e l'altro sesso, i quali digiuneranno Mercordì, Venerdì, e Sabbato 4. 6. e 7. del venturo mese di Maggio, e dentro la medesima settimana confessati, e communicati visiteranno almeno una volta una delle infrascritte Basiliche, mentre vi sarà esposto il Santissimo, e divotamente pregheranno la Divina Maestà, che ispiri Sua Beatitudine, e le assista nella grave deliberazione della Canonizazione delli Beati Pio V., Andrea Avellino, Felice da Cantalice, e Catarina da Bologna.

Ed a' Regolari dell' uno, e dell' altro sesso anche chiusi in perpetua clausura, ed a tutti gli altri tanto Laici, quanto Ecclesiastici, Secolari, e Regolari, parimente dell' uno, e dell' altro sesso esistenti in carcere, o da qualche infermità corporale oppressi, che non potranno adempire le cose di sopra espresse, possa il Confessore commutarle in altre opere di pietà, & imporgli quelle cose, che i penitenti potranno fare.

Il Santissimo sarà esposto

Nella Basilica di S. Giovanni Laterano Domenica primo del futuro mese di Maggio fino al Martedì ad ora della Messa Conventuale.

Nella Basilica di S. Pietro dal Martedì 3. detto dopo la Messa Conventuale sino al Giovedì ad ora della stessa Messa.

Nella Basilica di S. Maria Maggiore dal Giovedì 5. detto dopo la Messa Conventuale sino al Sabbato ad ora della medesima Messa.

In quorum fidem &c. Dat. Romæ ex Ædibus nostris hac die 28. Aprilis 1712.

G. Card. Vicarius.

N. A. Canonicus Cuggiò Secret.

Interim Urbs ad Divinum hoc Indulgentiæ beneficium consequendum se paraverat tota. Parochiarum Rectores Ovibus sibi creditis amplissimum Indulgentiæ præmium proponebant. Piissimus ipse Pontifex Sacra, quæ ad expiandum animum pertinent, nunciari mandaverat, Familiaribus ad sacram Synaxim Dominico die omnino accessuris; ita de suis solicitus, aliis se præbuit exemplar. Manè ergo Dominicæ diei in suo secretiori sacello Sanctissimam Deo Hostiam immolavit, suisque ipse manibus Domesticos, & Familiares cœlesti dape recreavit.

Ut autem Fideles pietatis, & devotionis publico inflammaret exemplo, pridie per suos Parafrænarios cuique Cardinali schedulam sequentis tenoris transmitti mandavit.

Eminentissimo, e Reverendissimo Sig.

Domenica prossima primo giorno di Maggio la Santità di Nostro Signore ad ore 20. ½ partirà dal Palazzo Vaticano, per andare à visitare la Basilica di S. Giovanni in Laterano, ed ivi implorare la Divina assistenza nella grave deliberazione della prossima Canonizazione delli Beati Pio V., Andrea Avellino, Felice da Cantalice, e Catarina da Bologna. Li Signori Cardinali, che vorranno intervenirvi, anche ad oggetto di conseguire l'Indulgenza conceduta a tale effetto dalla Santità sua, vi si troveranno vestiti di Rochetto, Mantelletto, e Mozzetta di color rosso; e ne' tre giorni del digiuno prescritto, in Casa, e fuori vestiranno di paonazzo a riserva del Mercordì dopo pranzo per li primi Vesperi dell' Ascensione.

Subinde Kalendis Maji SS. Apost. Philippi, & Jacobi solenniis dicatis piissimus Pontifex post vesperas Curru ductus sejugo, consueto Comitatu, etsi frequentiori, pro consequenda suprascripta Indulgentia, è Vaticano ad Basilicam Lateranensem contendit. Intrà Januam sub Porticu magni Podii ad Pontificiam solennem Benedictionem à Sixto V. erecti exceptus est à Sac. Cardinalium Collegio, ex quibus ejusdem Basilicæ Archipresbyter Cardinalis Pamphilius, etiamsi Diaconus, eidem aspergillum aquæ benedictæ, manum osculando, porrexit. Pontifex deposito galero, ut aspergillum accepit, primò seipsum signavit in fronte; deinde ipsum Cardinalem Archipresbyterum, cæteros Cardinales, Clerum Basilicæ, ac Populum circumstantem aspersit: Mox sumpto Camelaucio, præcedente Cruce à R. P. D. Crispo Sac. Rotæ Auditore Subdiacono Apostolico latâ, & sequentibus Collegiali more DD. Cardinalibus ad Altare Augustissimi Sacramenti, publicæ venerationi à mane hujus diei non parvo cereorum ardentium numero expositi, processit. Debitâ ab Altari distantiâ Pontifex sibi detrahi jussit Camelaucium, paulò post & parvum pileolum, coram scilicet Sacramento Eucharistiæ, quam veneratus est submissis genibus extra scabellum, vulgò (1) *genuflexorium*

(1) *Olim dictum est etiam* Oratorium. *Ita in Ord. Rom. c. 3. fol.* 12. *col.* 1. *apud Hittorp.*: *ibi*: Quartus verò Scholæ præcedit ad Pontificem, ut ponat Oratorium ante Altare. *Magr. in Hierol. verb.* Oratorium, & *Mabill. Muse. Italic. in notis ad dictum Ord. Rom. fol.* 8. *litera F.*

xorium, ad genua submittenda paratum. Super illud holoserico rubro lineis, fimbriisque aureis ornato coopertum, appositis ad genua, & cubitos ejusdem formæ Pulvinaribus, genua flexit SANCTITAS SUA, ibique pias, ac religiosas effudit preces, exemplum imitantibus Cardinalibus apud Sedilia in longum disposita, aulæis Atrebaticis obducta, in genua provolutis. Diù Orationi vacavit PATER BEATISSIMUS, tandem assurgens, præcedenti erga SS. Eucharistiam servato ritu, descendit ad gloriosissima Petri, & Pauli Apostolorum Capita, quæ, demisso velo, ab alto, in quo collocata sunt, thalamo, super Pontificio Altari omnium oculis, ac venerationi patuere. Pontifex super alterum Scabellum primo simile; Cardinales apud Sedilia haud aliis dissimilia in genua procubuerunt, & debito temporis intervallo orarunt. Post hæc consurgente Pontifice, velum tanti Sanctuarii, variis custoditi clavibus à variis personis, à Præfecto scilicet Palatii Apostolici loco Pontificis, & à Conservatoribus Pop. Rom. pro Civitate servatis, reductum est. Hinc Pontifex ad Portam usque majorem Basilicæ, per quam egrediebatur, Cardinalibus comitantibus ad Montem *Balnea Pauli* dictum proficiscens, Ecclesiam Monialium B. Catharinæ Senensis, cujus festum ibi eâ ipsâ die celebrabatur, invisit; Inde Vaticanum repetiit pio perfusus solatio, quòd propriis oculis inspexisset peculiarem Populi devotionem.

Sequenti Rogationum triduo actæ sunt ab utroque Clero consuetæ supplicationes ad Patriarchales intrà Urbem Ecclesias: mirum quantâ religiositate, quantâ modestiâ processum fit, paterna id operante Pontificiâ monitione: mirum quanto Populi concursu; cumulatè enim erant spiritualia Indulgentiarum munera consequenda; Et quidem non sinè divino factum est consilio, ut hoc peculiari tempore privatæ publicis conjungerentur precibus; Ita siquidem BEATISSIMUS PATER suis, & alienis precationibus cum fiducia adire potuit Thronum Gratiæ, gratiam inventurus in auxilio opportuno.

Manè diei v. Non. Maji fer. 3. Rogationum Capitulum, & Clerus Ecclesiæ Vaticanæ, ad evulgatæ Indulgentiæ normam, post Missam, quam *Communem* dicunt ab universo Cleri conventu, instructam intrà Basilicæ ambitum, non tam illustris, & religiosi Cleri frequentiâ, quàm ingenti cereorum ardentium numero, solenni processione, exposuit publicæ venerationi super Altari Beatæ Mariæ Gregorianæ, à Gregorio XIII., qui illud construxerat, & sub eo Sacrum D. Gregorii Nazianzeni Corpus recondi curaverat, nuncupatæ (Arâ maximâ theatro in dies finiendo impeditâ) Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum. Nec diù cunctatus Pontifex stolâ quotidianâ ex serico rubro phrygio opere, auroque contextâ ornatus, per gradus Constantinianos ad majorem Basilicæ Portam palàm descendit. In ea à Sacro Senatu, qui præmonitus in ejusdem Basilicæ Sacrarium convenerat, exceptus est. Eminentissimus Albanus, etiamsi Diaconorum novissimus, tanquam hujus Ecclesiæ Archipresbyter, aquæ benedictæ aspergillum obtulit SANCTITATI SUÆ, quæ primò seipsum, dein Archipresbyterum, & cæteros aspersit. Subdiaconus Apostolicus intrà Ecclesiam Crucem prætulit Pontifici. Scabella, & scamna pro Pontifice, & Cardinalibus de more, ubi orandum, præparata. Copiosæ primò, ac piæ effusæ preces ante maximum Dei donum, omnis gratiæ, & sanctitatis fontem Eucharistiam; indè ante Apostolorum Confessionem, ubi scilicet Beatissimus Apostolorum Princeps tumulo, totius postmodum Orbis veneratione celebratissimo, conditus est, Oratio *Ante oculos* devotè recitata est ex tabella, quam primus Assistentium Episcoporum ad lumen etiam inserviens obtulit SANCTITATI SUÆ; Cardinalibus autem Acolythus Basilicæ. Hinc majori devotionis studio, adhibitus est cultus erga insigniores hujus Basilicæ sacras Reliquias, nobiliora, & sanctiora, non dicam Urbis, sed Orbis totius, nostræ Redemptionis instrumenta, (1) Lanceam scilicet, quâ Latus Domini apertum effudit Sanguinem in pretium nostræ Salutis, & aquam in novæ generationis lavacrum: Lignum S. Crucis clarissimum Divinæ in nos Misericordiæ monimentum: Sudarium Beatæ Veronicæ, in quo Salvator Mundi Sacratissimi Vultus sui proprio pretiosissimo Sanguine impressam nobis reliquit imaginem. Hæc statis in anno diebus, è sublimi Podio super B. Veronicæ loculamentum constructo, ad quod per excavatam magni hemisphærii, sive tholi, ingentem pilam celeberrimi Equitis Bernini industria cochlidem scalam instruxit, populo ostenduntur ab uno ex Canonicis in sacro Ordine Presbyteratus constituto, stolâ, ac chirothecis coloris rubri induto, sibi aliis duobus à latere assistentibus Canonicis superpelliceo supra

[1] *De his sac. Reliq. perabundè scripsit eruditiss. Jacob. Grimaldus SS. Bas. Vat. Benef. in suo Oper. M. S. apud ejusdem Basil. Archiv.*

supra rocchettum ornatis. Hic unus erat ex statis diebus, Sanctæ videlicet Crucis Inventioni Sacer; Quamobrem, sicuti hæc divini in nos Amoris pignora, & Passionis Christi trophæa, quæ perpetuo luminum cultu decenter in thecis servantur, venerabundo fuerant paulò ante ostensa Basilicæ Clero, quaternis super totidem inaurata Candelabra, extra ornatam Podii frontem affixa, accensis facibus; ita modò SANCTITATI SUÆ, diversâ tamen ceremoniâ; illi siquidem terna benedictione, in medio Podii, & in uno quoque ejusdem angulo. Summo autem Pontifici binâ, non coram, nec in medio, sed in utroque Podii latere in majestatis Pontificiæ reverentiam. Neque tandiù devotioni vacasse satis habuit SANCTISSIMUS PATER; Regrediens enim unà cum Sac. Card. Collegio, ante Aram Crucifixi primam ad dexteram ingredientis Ecclesiam, super qua exposita erat altera Crucis Christi portio, preces effudit; inde DD. Cardinalibus potestate abeundi concessa in (1) Patriarchium reversus est.

Actum fuerat coram Sanctissimo superioribus diebus, an ad suffragandum futuræ Canonizationi, in Consistoriis semipublicis admittendi essent, ac admonendi Præsules Orientalium Ecclesiarum in Urbe existentes: & cùm pluries interfuisse, & suo vernaculo idiomate calculum adjecisse compertum esset, SANCTITAS SUA illis indicendum decrevit, ut suffragia laturi ad Consistoria prædicta convenirent, præcipuè qui in Albo Domus Pontificiæ descripti cibarias erogationes è Pontificiâ penu perciperent, & qui emissa Fidei professione Romanæ Ecclesiæ communione fruerentur; ac ut omnia perficerent, accuratè eos de singulorum Beatorum vita, virtutibus, & miraculis per fidelem, sedulumque Interpretem, Compendio jam typis edito, instructos voluit.

Ita pridem cæteris Ecclesiarum Pastoribus in Urbe degentibus fuerant distributa ejusmodi Compendii exemplaria; In dies verò Romam adventantibus, illicò transmissa à D. Fidei Promotore Advocato Prospero de Lambertinis.

His ita dispositis BEATISSIMUS PATER fel. rec. Clementis IX. exemplo, in Aula Ducali Vaticana Consistoria semipublica, & quidem unum pro unoquoque Beato canonizando, juxta Decretum tertio nonas Januarii 1622. supra relatum, celebrare constituit, primumque de B. Pio V. sequenti formulâ indici mandavit.

Intimatio per Cursores facienda, Domi quoque dimissâ copiâ.

Feriâ sextâ, die IV. currentis mensis Maji, horâ duodecimâ cum dimidia, in Aula Ducali Palatii Vaticani erit Consistorium semipublicum, in quo Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales, necnon Reverendissimi Domini Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi Romæ degentes, Sententiam ferent super Canonizatione B. Pii V. Summi Pontificis, eamque singuli divisim scriptam, & subscriptam consignabunt Domino Secretario Congregationis Sacrorum Rituum.

Eminentissimi Domini Cardinales erunt cum Cappis violaceis ex Camelotto: Reverendissimi verò Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, duo Auditores Rotæ, necnon Procurator Fiscalis Cameræ Apostolicæ induti erunt Cappis, quibus uti solent in Pontificia Cappella.

Iidem Eminentissimi Domini Cardinales singillatim assurgent detecto capite, cùm suas incipient ferre Sententias, easque sedentes tecto capite prosequentur.

Reverendissimi Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, ferentibus Sententias Eminentissimis Dominis Cardinalibus, sedebunt tecto capite: Stabunt verò, cùm Sanctissimus Dominus Noster loquetur; Antequam eorum quisquam loqui incipiat, & similiter postquam proprium suffragium tulerit, genuflectet; Assurgent autem singuli statim, ac primus Patriarcha Sententiam laturus assurget, sicque stabunt, donec ultimus Episcoporum Sententiam ferre desierit.

Ideo intimentur omnes, & singuli Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales, necnon Reverendissimi Domini Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi in Urbe præsentes, ac Domini Protonotarii Apostolici, duo antiquiores Rotæ Auditores, Secretarius Congregationis Sacrorum Rituum, Promotor Fidei, & Procurator Fiscalis Cameræ Apostolicæ, relicto etiam cuique eorum exemplari præsentis Schedulæ.

De mandato SS. D. N. Papæ.

Candidus Cassina Magister Ceremoniarum.

Interea ex more celebratæ sunt primæ Vesperæ Dominicæ Ascensionis in Sacello Sixtino Palatii Vaticani, & tanta fuit Præsulum tum Solio Pontificio Assistentium, tum cæterorum frequentia, ut cuilibet ordini vix fuerit locus in distinctis sedilibus; Quamobrem aliquos extra septa interesse loci angustia coegit.

L 2 Recur-

[1] *Symmachus apud Basilicam B. Petri duo Episcopia dextra, lævaque fecit. Anastas. in ejus Vit.*

Recurrente autem sequenti Christi Ascendentis in Cœlum anniversariâ die, habita fuerunt Missarum solennia in Lateranensi Basilica, sacro frequenti Senatu. Rem divinam peregit Eminentissimus Acciajolus Cardinalis Episcopus Portuensis Pro-Decanus. Interfuit Summus Pontifex, sacris indutus vestibus, & Regno, quod aliqui à triplici Corona, qua circumdatum est, *Triregnum* vocant, veriùs *Thiara* nuncupandum ex sequentibus verbis, quibus utitur Cardinalis Diaconorum Prior in Coronatione novi Summi Pontificis: *Accipe Thiaram tribus Coronis ornatam, & scias te esse Patrem Principum, & Regum, Pastorem Orbis, in Terra Vicarium Salvatoris nostri Jesu Christi, cui est honor in secula seculorum. Amen.* Eo tamen non utitur Pontifex in Divinis, neque in Vesperis, neque in quolibet sacro Conventu, sed statis Solennitatibus ad Decretum (1) Greg. XIII. de reformatione Cappellæ Pontificiæ. Regno itaque coronatus Sanctissimus Pater ad Sacrum Basilicæ Tribunal sellâ gestatoriâ devectus fuit, propitiatorio Sacrificio interfuturus, & hinc, eo finito, superiorem ad Porticum ad grande Podium, quasi in eminentem speculam, ex qua habens ex utroque latere flabella ex pavonum pennis confecta, solenni, qui sequitur, ritu ingentem propemodum Populum benedictione communivit. Plenariâ illicò per Card. Diaconos Assistentes cùm Latino, tum Italico sermone publicatâ Indulgentiâ.

FORMULA BENEDICTIONIS.

Sancti Apostoli Petrus, & Paulus, de quorum auctoritate, & potestate confidimus, ipsi intercedant pro nobis ad Dominum. ℞. *Amen.*

Precibus, & meritis B. Mariæ semper Virginis, B. Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, misereatur vestri Omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis vestris perducat vos Jesus Christus in vitam æternam. ℞. *Amen.*

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium veræ, & fructuosæ pœnitentiæ, cor semper pœnitens, & emendationem vitæ, gratiam, & consolationem Sancti Spiritus, & finalem perseverantiam in bonis operibus tribuat vobis Omnipotens, & misericors Dominus. ℞. *Amen.*

Et benedictio Dei Omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat super vos, & maneat semper. ℞. *Amen.*

FORMULÆ INDULGENTIÆ.

Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster, Dominus CLEMENS *Divinâ Providentiâ Papa* XI. *dat, & concedit omnibus hìc præsentibus Indulgentiam Plenariam in forma Ecclesiæ consueta. Rogate igitur Deum pro felici statu Sanctitatis Suæ, & Sanctæ Matris Ecclesiæ.*

La Santità di Nostro Signore CLEMENTE *per la Divina Providenza Papa* XI. *dà, e concede a tutti li qui presenti Indulgenza Plenaria nella forma della Chiesa consueta. Pregate dunque Dio per il felice stato della Santità Sua, e della Santa Madre Chiesa.*

Pluries appellavimus supra, *Sellam Gestatoriam*, Sellam illam, quâ Summus Pontifex defertur in Solennitatibus; pluries *Flabella* ex pavonum pennis confecta, quibus idem Pontifex aliquando à lateribus obumbratur, sella devectus. De his, dum publicatâ Populo Indulgentiâ SANCTITAS SUA per declives gradus ad Aulam paramentorum reducitur, quid sentiant eruditissimi Fratres Dominicus, & Carolus Macri in eorum Hierolexico, hìc operæpretium duxi referre.

In verbo siquidem: *Sella Gestatoria*: hæc habentur: *Sedes portatilis Papalis, de cujus antiquitate, ac reverentia Ennodius Ticinen. Episc., qui floruit in quarto seculo, sic effatur: Ecce nunc ad Gestatoriam Sellam Apostolicæ Confessionis uda mittunt limina Candidatos. In Apolog.* & infrà v. SELLARE: *Ritus verò hic sustollendi super humeros Pontificem, non est quidem fastus, nec superbiæ nota, ut temerè Novatores inficere conantur; sed ad mysterium Pastoralis vigilantiæ agitur. Nam quid aliud nomen Episcopi, quàm super inspectorem, ac vigilantem curæ græcè sonat? Ergo dum Papa tanquam Episcoporum Episcopus ab universo Christiano grege colitur, consonum equidem est, ut eminentiori sessorio deferatur, ac collocetur, & à nobis ejus subditis, tanquam itineris gloriæ director, fideique pharus, ac Mundi lux videatur; Fidelis enim Populus non abscondit suam hanc Pontificiam lucernam, nec ponit eam sub modio, sed super Candelabrum erigit, ut luceat omnibus, qui in Domo Christi sunt &c.* Hæc ambo fratres.


De flabellis verò Dominicus, cùm in v. *Flabellum* differuerit Ecclesiasticum ex pavonum pennis effici, eoque Diaconos tempore Sacrificii ab altari muscas repellere, nè Sacerdotem molestent, tandem ita sensit: *Per has oculatas pennas admonetur Prælatus, quod*

(1) *Vid. Diar. Paul. Alaleon. tom.* 1.

quod in suis actionibus summopere circumspectus incedere debeat, in quem numerosissimi Populorum oculi assiduè collimant; ob eandem enim causam Romanus Pontifex, quando pontificaliter in Sella defertur, ex utroque latere similibus flabellis obumbratur.

Cùm è Sella Pontifex descendisset propè Ostium Aulæ paramentorum, & apud eorundem lectum sacra Indumenta deposuisset, deductus in propinquius Cubiculum, faldâ demissâ, familiarem induit rubeam stolam. Hinc ad eandem Aulam iteratò transivit, maturatâ ad Basilicam Liberianam profectione unà cum Sacro Cardinalium Cœtu, quæ sequenti ordine peracta est. Sanctissimus Pater Ecclesiam hanc Patriarchalem non minùs, ac elapsis diebus cæteras duas, invisere decreverat, & studens minori Cardinalium defatigationi, simulque magnificentiori accessui, tum ad pietatis, ac Religionis exemplum Populo comparandum, tum ad venerationis erga Sacrosanctam Eucharistiam incrementum, peracto solenni Sacro, Magistris Ceremoniarum præceperat, ut SUÆ SANCTITATIS nomine Eminentissimos Episcopos Cardinales Acciajolum, & Spadam ex præsentibus antiquiores, ad unà secum eundum in Curru invitarent; cæteros verò ex amplissimo Purpuratorum ordine admonerent, ut pluribus æquè partiti in Curribus intrà utramque Equitum levis armaturæ cohortem, quod solis olim Papæ Nepotibus permittebatur, ipsum sequerentur, Basilicam unà secum consueto ordine ingressuri. Ita se res habuit. Card. Otthobonus ejusdem Ecclesiæ S. Mariæ Majoris Archipresbyter, qui solenni ritu, ac splendidâ luminum copiâ, super Ara majori Augustissimi Sacramenti expositionem suâ curaverat præsentiâ, Summum Catholicæ Ecclesiæ Pastorem cum Sacro Senatu ingredientem Basilicam, toto comitante ejusdem Ecclesiæ Clero, ad portam usque occurrens excepit, atque aquæ benedictæ aspergillum eidem reverenter ministravit. Subdiacono Apostolico Crucem ferente rectà ad Aram majorem, conscensis Presbyterii gradibus, processit Summus Pontifex. Collegii ex more secuti sunt Purpurati Patres; sub Absíde ante Eucharistiam precationes effusæ. Hinc repetitæ in Sacello Sixtino, quò descendit Pontifex, non ut ibi tantùm ante Altare Præsepis oraret, sed ut hinc etiam ex eodem Subgenuali, reserato sepulchri ostiolo, sacras B. Pii V. exuvias, illâ ipsâ die recurrente ejusdem Anniversaria festi celebratione, publico cultui expositas veneraretur; memor proximâ sequenti fer. 6. de ejusdem Beati Canonizatione semipublicum Conventum esse celebrandum: demum oravit ante Aram Deiparæ, cui tam celebre, ac magnificentissimum Paulus V. Pontif. Max. excitaverat Sacellum. His in Basilica Liberiana peractis, quò magna Populi frequentia confluxerat, demum Pontifex, sacro ibidem dimisso Senatu, in Quirinale Apostolicum Palatium demigravit, ad Vaticanum vesperi rediturus.

Sequenti die fer. 6. post Ascensionem Dominicam, Adventus Spiritus Sancti prænunciam, semipublicum Consistorium celebratum est in Aula Ducali Vaticana, à Pontificiis Cosmetis *Florerii* vulgò dictis, eo, quod sequitur, ornamento decoratâ. Textilibus ex serico damasceno rubro, lineis aureis per suturas decurrentibus, fimbriisque similiter aureis debito intervallo superiora obliquantibus exornato, ad arcuatum usque Alexandri VII. intersceptum, omni ex parte concordibus cortinis etiam ad Ostia appositis tota convestiebatur. Ingredienti ex Aula Regia primo patebat obtutu Sedes eminens Pontificia, serico rubro auro contexto obducta: Hæc in planitie super tribus marmoreis gradibus panno rubro coopertis collocata parieti hærebat media inter binas Januas, quarum una à dextris ad Aulam paramentorum, altera à sinistris ad Ædes Datarii sub Horario transmittit. Supra Sedem ex atrebatico auro contexto peristromate pendebat umbella, in suprema ejus imminenti parte exhibens Sanctissimæ Triadis Imaginem; In ea, quæ parieti adhæret, postíca Sedis, Providentiam super Orbem, mediam inter Jústitiam à dextris, & Charitatem à sinistris; In ima Leones ab utroque extremo latere paria Ecclesiæ manutenentes vexilla; nec deerant hinc inde ad Sedem consueta assistentium Diaconorum scabella. Cardinalium Consistorialia subsellia, debito hinc, & inde à Solii gradibus intervallo, versùs Aulam Regiam protendebant in tetragonismum desinentia, æquo tamen aditu è regione Sedis Pontificiæ relicto: Porrò id spatii, quod intrà tetragonismum erat, panno viridi strato contegebatur: A tergo subselliorum Sacri Senatus oblonga, nudaque scamna, qualia visuntur tempore Concionum in Apostolico Palatio, sinè, ut vulgò dicitur, *Postergale*, pro Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Protonotariis Apostolicis, & duobus Auditoribus Rotæ, longo erant ordine disposita, & nè quidquam celebris hujus Aulæ, in qua reduces Apostolici de latere Legati, novi


IIII
Ichnographia Aulæ Ducalis in Vaticano prô Consistorio Semipublico Canonizationis
1 Sedes Pontificia.
2. Consueta Cardd. Diac. Assist. Scabella ad ornatum tantium.
3. Sedilia Cardd.
4 Scamna pro Patriarchis Archiepis, et Epis Assisten.
5. Similia pro Patriarchis, Archiepis, et Epis non Assistent.
6. Alia prô Protonotarijs.
7. Alia prô Auditoribus Rotæ.
8. Locus Secret. Cong. Sac. Rit.
9. Duo Intimi Cubicularij assist.
10. Primus Magister Cærem.
11. Cæteri Cæremon. Mag.ri
12. Promotor Fidei.
13. Procurator Fisci.
14. Secret. Sac. Collegij.
15. Clericus Nationalis.
16. Ianua ab Aulâ S.ti Spiritus.
17. Altera ab ædibus Datarij.
18. Alia minor ad Scalas interiores Palatij.
19. Fenestræ ad Atrium Datariæ.
20. Fornix Aulam dimidians
Scala Palmorum Rom.
10
20
30
40
50

novi Cardinales purpureo galero donandi, & majoris potentiæ Duces ad præstandam obedientiam recipiuntur, ornamento deesset, jussu SANCTITATIS SUÆ, è pariete fenestris Basilicæ Vaticanæ frontem respicientibus obvio, Aulæum atrebaticum, Spiritus Sancti Adventum designans, sub illustri Raphaelis Urbinatis graphide mirè confectum pendebat, ut scilicet in eo omnium actionum, & consiliorum Moderatorem contemplarentur. Hæc loci, hæc apparatus erat facies majestate plena, minimè in sequentibus Conventibus immutata.

Cùm statâ horâ Eminentissimi Patres, Reverendissimi Præsules ad Aulam prædictam convenissent, Summus Pontifex faldâ, amictu, albâ, cingulo, stolâ violaceâ, pluviali simplici rubri coloris cum formalio ex unionibus, & mitrâ ex levissimo argenteo textili indutus, à duobus antiquioribus Diaconis Cardinalibus ad id antea accersitis, Cruce à Subdiacono Apostolico lata praecedente, ex Aula paramentorum pedes in Conventum prodivit. Anteriores Pluvialis oræ à Cardinalibus Diaconis, faldæ à duobus Protonotariis, posteriores verò utriusque à duobus Cubiculariis assistentibus deferebantur; Viso Pontifice, DD. Cardinales consurrexerunt, Præsules submiserunt genua. Pontifex producto super eis Crucis signo, sedem conscendit. Crux ad dexteram sedis parieti adhærens locata; nemine, præter Ceremoniarum Magistrum, Pontifici assistente, in locum quisque suum concessit. Dexterum Solii latus Episcopi, & Presbyteri Cardinales, necnon Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi Assistentes: sinistrum Cardinales Diaconi, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi non Assistentes tenuere. Protonotarii Apostolici, & duo antiquiores Rotæ Auditores post Cardinalium sedilia Solio adversa steterunt, utrinque in area super Solii gradibus Bartholomæus Maffei, & Antonius Maria Rasponus, iste Basilicæ Lateranensis, ille Liberianæ Canonicus, ambo intimi Cubicularii Pontificis Assistentes, tunicâ manicatâ, & caputio coloris rubri de more inverso amicti. In area sub ejusdem Solii gradibus dextrorsum Carolus Collicola Pro-Secretarius Congregationis SS. Rit. Protonot. Apostolicus, cæteri Cerem. Magistri vestibus violaceis induti, Procurator Fisci Cameræ Apostolicæ amictu Cubiculariorum assistentium indutus, Sacri Collegii Secretarius Dominicus Rivera, & Clericus Gallicæ Nationis ad annum electus (etenim à Sacro Senatu, per orbem triennio complendum, primo anni Consistorio secreto eligitur Clericus nunc Germanicæ, nunc Gallicæ, nunc Hispanicæ Nationis) tunicâ manicatâ, & caputio super humeros expanso, ac ante pectus orbiculis sericis conjuncto amicti. Sinistrorsum verò Prosper Lambertinus Fidei Promotor Consistorialis Aulæ Advocatus more Advocatorum Cappâ convestitus, qui primus in hoc sacro Conventu singulari SUÆ SANCTITATIS favore locum obtinuit. Hic erat aspectus tanti Consessus rerum agendarum dignitati planè non imparis, cùm, reliquis exclusis, clausisque foribus ita Sanctissimus Pater pro exquirendis suffragiis DD. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, etiam Ecclesiarum Orientalium, super Canonizatione B. Pontificis Pii V. loquutus est.

VENERABILES FRATRES. *Quantâ eximiæ non minùs Sanctimoniæ, quàm Pontificiæ dignitatis luce in Ecclesiæ Cœlo mirabiliter coruscaverit Beatus Pius V. quanta itidem fecerit ipse, & docuerit: adeòque quàm meritò vocandus sit magnus in Regno Cœlorum; satìs, superque Vos agnovisse confidimus ex iis, quæ de heroicis illius virtutibus, ac præclaris miraculis relata tùm in publico Consistorio præteritis diebus habito audivistis, tum in aliàs ad Vos transmissâ fideli narratione legistis. Reliquum nunc est, ut in hoc Sacro Consessu, veterum Conciliorum Romanorum imaginem præseferente, de Sanctorum cultu solenniter ei decernendo, qui verè, dum esset Summus Pontifex, terrena non metuit, sed ad*

Cœle-

Cœlestia Regna gloriosus migravit, diuturniori quavis cunctatione posthabitâ, deliberemus. Nec sanè absque peculiari Divinæ providentiæ consilio contigisse arbitramur, ut eo planè tempore, quo Orthodoxæ Religioni tot ab ejus hostibus undequaque struuntur insidiæ: quo Sacrorum Canonum salutaris norma tam impudenter contemnitur: quo turbulenti homines continuâ novitatum prurigine laborantes damnatos dudum errores subdolis artibus instaurare conantur: quo, abundante nequitiâ, Christiani Populi charitas plurimùm refrigescit: quo seculi potestates nova in dies vulnera Ecclesiasticæ libertati inferre moliuntur: quo demum suprema hæc Beati Petri Sedes tot injuriis palàm afficitur, ipsæque traditæ Nobis à Domino Claves temerè impetuntur: is Pontifex, recurrente propemodum natali ejus die, in Sanctorum Album referendus, adeòque nostræ non minùs, ac vestræ, quàm Episcoporum omnium imitationi exhibendus proponatur, in quo fuit, ut Ecclesiæ jampridem de eo sic loquentis verbis utamur, Religionis propagandæ perpetuum studium, in Ecclesiastica disciplina restituenda indefessus labor, in extirpandis erroribus assidua vigilantia, in sublevandis egentium necessitatibus indeficiens beneficentia, in Sedis Apostolicæ Juribus vindicandis robur invictum. Hac itaque gravissimâ de re, dum divini luminis opem humiliter præstolamur, vestras quoque Sententias, servato a Prædecessoribus Nostris more, libenter exquirimus.

Dum hæc à Summo Pontifice proferebantur, tecti sedebant DD. Cardinales, stabant aperto capite Præsules, omnes animo summè intento: Fine verò dicendi facto, sederunt & Præsules, & tum DD. Cardinales, initio à primis in ordine sumpto; deindè Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi Assistentes; demum Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi non Assistentes, ritu in superiori indictione præscripto, suffragia tulerunt.

NICOLAUS Episcopus Portuensis Cardinalis Acciajolus.

ECce, BEATISSIME PATER, Sacerdos ille Magnus, ac Pontifex Maximus Beatus Pius V., qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus; nam in Ordine Prædicatorum cæteris Regularis vitæ perfectione præluxit: Se ipsum in Episcopatu omnium bonorum operum exemplum præbuit: In Sacro Cardinalium Cœtu quasi stella matutina fulgore virtutum effulsit: In throno sedens posito super thronos Regum, magnificatus est in timore Inimicorum Christiani nominis, & apud exteras nationes in verbis suis hæresum monstra compressit: Ecclesiæ denique disciplinam, libertatem, propagationem fortiter asseruit, sanctissimisque legibus roboravit. Tantus, inquam, Sacerdos, ac Beatissimus Pontifex, cujus virtutem (etiam post mortem) Dæmones morbi, elementa ipsa senserunt, hodie Apostolatus vestri judicium exposcit, ut Justitiæ coronam,

nam, quam in Cœlis reddidit illi Dominus juftus Judex, ab illa quoque, quam gloriosè tenuit, infallibili Cathedra, folenni Canonizatione recipiat & in Terris. Et jufta prorfus retributio, ut per quem Sacerdotalis, ac Regalis Dignitas mirè refplenduit, per eum inter Sanctos relatum, Regale Sacerdotium pariter honoretur.

GASPAR Epifcopus Sabinen. Cardinalis de Carpineo.

Congruum eft, BEATISSIME PATER, ac certè decet, ut B. Pius V., qui ex illuftri Prędicatorum Familia per omnes fermè gradus Ecclefiæ ad culmen Pontificiæ Dignitatis afcendit; atque ita omnes diverforum Statuum virtutes complexus eft, ut vix cæteri fingulas; cujufque fors jam inter Sanctos eft, etiam militantis Ecclefiæ, quæ illius potiffimùm zelo, dum vixit, enituit, venerationi proponatur, ut hinc vel difcant, vel confundantur ii, qui foris funt, & ex adverfo ftant, cùm viderint, eorum vitæ Statuum, quibus ipfi potiffimum adverfantur, quique verò conveniunt, Monaftici dico, & Pontificii, ita Beatum Pium fummas expreffiffe virtutes, ut Catholicorum æmulationem vicerit, & Hæreticorum invidiam: & propterea jure inter Sanctos relatum, qui Sanctus vixit, qui Sanctus mortuus eft, quemque Sanctum etiam Deus vivum Prophetico Spiritu, & conftanti expreffione virtutum, & mortuum patratis mirabilibus declaravit.

FABRITIUS Epifcopus Prænestinus Cardinalis Spada.

Beatus Pontifex Pius in primævo Religionis ftatu, BEATISSIME PATER, quafi in primo fuæ fanctiffimæ vitæ lumine vernaculos uberrimæ virtutis flores emifit, itaut bonus odor Chrifti circumquaque diffunderetur. Deinde Epifcopalis ardoris zelo fuccenfus æftivam veluti Animarum meffem in Horreo Cœleftis Patrisfamilias colligendam curavit, atque Apoftolico muneri jam maturus, dum Cardinalitia Dignitate fulgeret, tanquam Autumnali tempore, fructus dignos perfectæ charitatis, & Ecclefiafticæ difciplinæ omnibus comparavit. Demum ad fummi Pontificatus apicem evectus, in fortiter, & mirabiliter geftis ad fidei, & Ecclefiæ Catholicæ defenfionem, & incrementum, præclariffima orthodoxæ pofteritati documenta relinquens, collectos jamdudum tam eximiæ pietatis fructus, non fecus ac brumali ætate, univerfis luculenter diftribuit, ufque dum expleto tantæ fertilitatis Anno, extremum claufèrit diem. Quis igitur (BEATISSIME PATER) tot meritis infignem, atque in hac Apoftolica Sede, Vicaria olim Numinis Poteftate corufcantem, hunc verè Pium, ac fidelem Dei Difpenfatorem, Sanctorum faftis adfcribi à Sanctitate Veftra enixè non poftulet?

GALEATIUS Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyt. Card. Marefcottus.

Sancto teftante Spiritu, BEATISSIME PATER, habitant in Tabernaculo Domini, & requiefcunt in monte fancto ejus, qui immaculati fuerunt in via, & ambulaverunt in lege Domini. Utrumque in qualibet ex viis fuis impleviffe conftat Beatum Pium; fuit enim in feculo moribus innocens: in Regulari obfervantia exactus: in munere Inquifitoris invictus: in Epifcopatus folicitudine vigilans: in Cardinalatus muniis affiduus: in Summo Apoftolatus faftigio Dei eximius Zelator, de orthodoxa fide, ac de Orbe Chriftiano optimè meritus: Immunitatis, aliorumque Ecclefiæ Jurium acerrimus Defenfor: & talis tandem, qualem Apoftolus expreffit, ac defcripfit Pontificem; quare magnificavit eum Dominus in confpectu Regum, beatificavit eum, & dedit illi Coronam Gloriæ. Reliquum eft igitur, ut illius fanctitatem, quam pluribus fignis Deus probavit de Cœlis, Sanctitas Veftra Divinæ vocis interpres publicet in Terris.

JO: FRANCISCUS Tit. S. Mariæ in Aracœli Presbyt. Card. Nigronus.

Publicis, & fupremis honoribus æquum eft, BEATISSIME PATER, augeri, ac inter Cœleftis Aulæ Proceres ab Ecclefia coli, quos affumptos Dominus pofuit fuper Candelabrum, ut lucerent omnibus, qui in ipfa funt; Teftantur fanè fic conftitutum à Domino fuiffe Beatum Pium V., Sanctitatis Veftræ Prædecefforem, flagrans in Deum Charitas, eximium Religionis propugnandæ ftudium, honorum, & rerum humanarum contemptus, & reliquarum infignia virtutum, quibus ornatus, cùm in Religiofa Fratrum Dominicanorum Familia, cui ab ineunte ætate nomen dederat, tum in reliquis Ecclefiæ gradibus, præfertim verò in fupremo, ad quem à Domino tanquam Aaron fuerat vocatus, ita effulfit coram hominibus, ut non folùm opera ejus bona fufpexerint, fed fufpiciendo glorificaverint Patrem Cœleftem.

M Quem

Quem igitur jamdiu habuimus exemplum, quod imitaremur, habeamus Patronum, habeamus Intercessorem, quem deprecemur.

FULVIUS Tit. S. Petri ad Vincula Presbyt. Card. Astallius.

BEATISSIME PATER: Sanctos habere Pontifices Religionis plurimum interest; sunt illi, ut loquitur Petrus Apostolus, forma Gregis Christiani, Præsulum norma, gloria Sacerdotum: Talis omnium consensu Beatus Pius fuit; talem ostendit eximia morum probitas, vigilantia Pastoralis in tuenda Ecclesiastica disciplina, & Religionis integritate contra pestiferæ novitatis insidias, ardens zelus in extirpandis hæresum zizaniis, vigilans commissi sibi gregis cura, felix in profligando communi hoste victoria, ejus precibus potius, quàm fœderatis Principum classibus impetrata. Quare nihil aget Sanctitas Vestra Christianæ Reipublicæ magìs optatum, quàm si, ut imitatione Sanctum eum agnoscit, ita etiam auctoritate declaret.

BANDINUS Tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Panciaticus.

BEatus Pius in claustris Divi Dominici, BEATISSIME PATER, Regularis perfectionis norma, in Episcopali, & Cardinalitia Dignitate Sacrorum Principum regula, ita effulsit, ut promeruerit fieri in Pontificio Throno Pontificum Exemplar. Celsitudinem gradus amplitudine virtutum perinde implens, visus est reduxisse ad regnandum Gregorios Magnos, & Leones.

Zelum verò contra hæreticam pravitatem conceptum, & semper exercitum, Pontificia demum Potestate magnificentissimè effudit. Quin omnibus Divinitatis hostibus inimicus, sociatis Principum Christianorum armis, Othomanas Classes, & vires mari profligavit; inclytamque ad Naupactum victoriam ejus fervidissimis precibus, potius, quàm publicis Europæ armis, Deus Exercituum largitus est, eidemque ante eventum revelavit.

Quapropter Ecclesiasticum totum nomen, & Pontificium decus Sanctitas Vestra adornabit, si Beatum Pontificem provehat inter Sanctos, ut adsit jam Universæ Ecclesiæ Protector, qui eidem præfuit Pastor, & Pater.

FERDINANDUS Tit. S. Balbinæ Presbyt. Card. de Abdua.

MIchaelem Ghislerium, BEATISSIME PATER, in B. Dominici Familia veluti in Tyrocinio sanctitatis ad sublimia prius instructum, ac præparatum, Dei omnipotentis providentia Pium postea re, ac nomine perfectura, ad Summi Apostolatus apicem assumpsit, in Petri Cathedra collocatum. Siquidem Pius, in cujus corde abundavit constantia Fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis, cœlesti doctrina, pietate singulari, invicto animo, orthodoxæ Religionis cultum explicuit, asseruit, propugnavit. Quare ex merito faciet Sanctitas Vestra, si heroicas hujus Beati Pontificis virtutes, multis à Deo prodigiis illustratas, publico Apostolicæ Sedis Judicio, Divinaque auctoritate, Sanctorum laureolâ coronabit.

THADDÆUS ALOYSIUS Tit. S. Alexii Presbyt. Card. de Verme.

BEATISSIME PATER: Fortis, & nunquam intermissa B. Pii in extirpandis erroribus vigilantia, satìs, superque demonstrat, qua fuerit vir piissimus cum Deo charitate conjunctus. Tunc enim vis perfectæ charitatis elucet singulariter, quando venenatos Aspidum morsus elidere, & Draconum insidias validè comprimere novit, si fortè contra Deum impietatis virus evomere tentaverint. Quia verò charitas in Deum, teste Apostolo, est certissima Sanctitatis mensura; ideo nobis dubitare non licebit de Beati Pontificis Pii præclara Sanctitate.

Quare Sanctitas Vestra eundem Beatum, qui jamdiu Cœlestem Sedem inhabitat, meo judicio, debito cumulabit honore, si inter Sanctos quamprimum dignabitur recensere.

FR. THOMAS MARIA Tit. S. Clementis Presbyt. Card. Ferrarius.

BEATISSIME PATER: Eximia B. Pii V. Sanctitas præclarissimis omnigenæ virtutis gestis, divinisque charismatibus, ac plurimis miraculis cœlitùs comprobata, dubitare me non sinit, quin dignissimum censeam illi decerni Sanctorum gloriam in Terris, qui jam similis factus est in gloria Sanctorum in Cœlis. Id potissimùm postulat profunda humilitas, quam non modò in statu Religionis religiosissimè coluit, sed totius vitæ suæ in comitem, & ducem sibi adscitam, neque ad Solium ipsum Pontificiæ Dignitatis

gnitatis evectus deſeruit. Semper infimus, ſemper parvulus in oculis ſuis, etiam cùm Summus, & Maximus, quò celſior cæteris, eò humilitate apparens illuſtrior & ſe ipſo. Quod ſi, cùm Romani Cives, ob ejus vitæ integritatem, optimamque Reipublicæ moderandæ rationem, Statuam illi in Capitolio decreviſſent, Pii humilitas, nè id ullo modo fieret, imperavit; eadem ſanè promeretur humilitas, ut ad ſolennem Fidelium cultum Statuis, atque Altaribus honoretur. Id inſuper expetunt in univerſam Eccleſiam innumera illius meritorum inſignia; nimirum Fidei Catholicæ propagandæ zelus exardens: ad terendos Eccleſiæ hoſtes abſque intermiſſione diù, noctuque apud Deum effuſæ preces, & lacrymæ omnibus armis potentiores: in ſublevandis egentium ubique Terrarum neceſſitatibus inexauſta beneficentia: in revocanda veteri diſciplina indeficiens ſolicitudo: in extirpandis erroribus perpetua vigilantia: in evellendis ex agro Domini ſui ſubortis vitiorum zizaniis labor incredibilis: in hæreticis, ſeu corrigendis, nè perirent, ſeu nè perimerent, coercendis ſtudium incomparabile, quorum nonnullos non tam verbo, quàm ſingulari pietatis exemplo in ſinum Eccleſiæ reduxit. Magna demum Sedi Apoſtolicæ gloria acceſſit ex Pio Pontifice verè Maximo, qui in ſalutem Electorum Dei expugnare inſurgentes hoſtes nunquam deſtitit: qui illius Jura invicto animi robore tutatus eſt, habens in rationali judicii ſui doctrinam, & veritatem: qui eidem Sanctæ Sedi Gregorios, Leones, alioſque Sanctiſſimos Prædeceſſores in ſe redivivos reſtituit, toti Chriſtiano Orbi ſe exhibens formam juſtitiæ, ſanctimoniæ ſpeculum, pietatis exemplar, aſſertorem veritatis, Fidei Defenſorem, ultorem ſcelerum, malorum metum, bonorum præſidium, virgam Potentium, malleum Tyrannorum, Regum Patrem, Sal Terræ, Orbis lumen, Sacerdotem Altiſſimi. Qui itaque tantarum fulgore virtutum Apoſtolicam Sedem glorificavit, par eſt, ut ab eadem Pius glorificetur, impoſitâ in capite ejus Coronâ expreſsâ ſigno Sanctitatis, quo cuncti Chriſtifideles in tantis, quibus Chriſtiana Reſpublica premitur, calamitatibus, & ærumnis, Pium invocent Advocatum, & Patronum, quem venerati ſunt Patrem, converſi ad Paſtorem, & Epiſcopum Animarum ſuarum ſtantem in conſpectu Dei, ut avertat indignationem ejus à nobis.

JOSEPH Tit. S. Mariæ Tranſpontinæ Presbyt. Card. Sacripantes.

BEATISSIME PATER: Quamquam omnium Sanctorum virtutibus ornetur Eccleſia, & ædificetur ex lapide pretioſo omnis circuitus muri ejus; Beati tamen Pii Pontificis Maximi Sanctitate tantò ſplendidius illuſtratur, quantò ille in eminentiori ſpecula Pontificatus eluxit: qui regularis vitæ inſtitutis in Prædicatorum Familia egregiè perfunctus, ad hæreſes profligandas igne cœleſti inflammatus acceſſit, ac Paſtorali miniſterio laudabiliter exercitus, in Apoſtolica Sede exemplis verè Apoſtolicis coruſcavit. Etenim in Eccleſiaſtica libertate, & Dignitate vindicanda fortitudo ejus enituit, velut Turris David ædificata cum propugnaculis, quare magnificavit illum Dominus in conſpectu Regum; ſed & manus Domini erat cum illo, cùm immaniſſimum Chriſtiani nominis hoſtem fœderatis Chriſtianorum armis obtrivit, precibus fudit, fide profligavit: Hunc igitur, BEATISSIME PATER, quem habuit Eccleſia in terris Magiſtrum, invocet etiam tutelarem, atque præſentiſſimum de Cœlo Patronum.

JO: BAPTISTA Tit. S. Cæſarei Presbyt. Card. Spinula.

QUemadmodum, BEATISSIME PATER, ſapientiſſimo Conſilio inſtitutum eſt, ut de inſignium Virorum ſanctitate ab Apoſtolica Sede declaranda negocium, quod eſt maximum, ad rigidiſſimam priùs expendatur trutinam, ita non minùs commendabile eſt, quod hoc peracto, eximiæ virtuti debita honoris ornamenta diutiùs non differantur. Id autem vel maximè decet, cùm de B. Pontificis Pii V. gloria amplificanda ſtatuendum eſt; non tantùm enim ille integerrimam morum innocentiam coluit, dum, vel ſub Parentum educatione vixit, vel in ſacra Prædicatorum Familia verſatus fuit, ſed ſuper Candelabrum poſitus, eo majori ſemper rerum geſtarum laude claruit; Eccleſiis regendis præfectus, nihil reliquum fecit eorum, quæ ad vigilantiſſimi Paſtoris officium pertinere viderentur: In noſtrum cooptatus ordinem, præſtantiæ gradus præſtantiâ actionum reſpondit, inſigni rerum humanarum, ſuique ipſius contemptu, admirabili in Pauperes liberalitate, invictâ animi conſtantiâ in orthodoxæ Religionis puritate ſervanda: Ei tandem ad excelſam Petri Cathedram aſſumpto nova ho-

M 2 noris

noris acceſſio ſupremum Chriſtianæ perfectionis, virtutumque omnium cumulum præbuit. In eo igitur, quod Pii V. Sanctitas publico teſtimonio comprobetur, univerſæ res agitur Eccleſiæ, cujus omnes ordines, & gradus omnes exemplar ab hoc clariſſimo ejuſdem Eccleſiæ lumine petent; plurimùmque convenit, ut Apoſtolica Sedes, cujus ille decus, & jura tantâ cum gloriâ fortiſſimè ſuſtinuit, meritam, in eo decorando, vicem divinâ, qua pollet, auctoritate rependat.

FABRITIUS Tit SS. Joannis, & Pauli Presbyt. Card. Paulutius.

BEATISSIME PATER: Sanctiſſimi Pontificis Pii V. virtutes, ſignis etiam à Deo mirificè comprobatas, jure, & merito Sanctitas Veſtra judicio Catholicæ Eccleſiæ ad exemplum proponendas cenſeo, Sanctorum faſtis eundem Sanctiſſimum Virum adſcribendo. Indè etenim præter piorum omnium Chriſtifidelium ædificationem, & gaudium, opportunè eorum ora obturabuntur, qui detrahere conantur quotidie Pontificiæ Dignitatis auctoritati, cujus ipſe ſemper fuit acerrimus vindex; & iniquitatis filii confundentur, qui Eccleſiaſticæ diſciplinæ leges ſanctiſſimas evertere non verentur, quas conſtanti, fortique animo, dictis, ac factis aſſerere Vir iſte Sanctiſſimus diligentiſſimè ſemper ſtuduit, ut verè dicere de ſe ipſo potuerit: *Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundebar.*

FRANCISCUS Tit. S. Euſebii Presbyt. Card. Martellus.

BEATISSIME PATER: Zelus ille Divini honoris ardentiſſimus, quo primùm emicuit B. Pii V. Pontificis Maximi adoleſcentia, cùm decimo quarto ætatis anno Ordinem Prædicatorum ingreſſus, ſeſe virtutum omnium auxilio præmunivit, præludium fuit ad illarum incrementa in gradu heroico promerenda, & ad majora impoſterum pro ulteriori ætate cœlitùs aſſequenda ſubſidia; quibus profectò illi opportunè ſemper adfuit æternæ Sapientiæ Numen, atque conſilium, ejuſque mentem ſua luce replevit; zelumque ipſum deduxit per vias rectas: nunc in ſuſtinendo Inquiſitoris officio, mox in Epiſcopali Eccleſiarum ſibi peculiariter creditarum, ac deinde in ſupremo univerſalis Eccleſiæ regimine, graviſſimis, arduiſque tunc temporis ab totius Europæ Regnis, ac ditionibus emergentibus curis, alacriter ab ipſo ſuſceptis, unà cum perpetuo Religionis propagandæ ſtudio, & invicta fortitudine in hæreſi, erroribuſque extirpandis, ac Sedis Apoſtolicæ Juribus vindicandis. Tandem admirabilis gratiæ privilegio revelatâ eidem deſuper, unâ, eâdemque horâ Certaminis, inſigni victoriâ, ipſius itidem zelo, ac precibus impetratâ contra Turcarum Tyrannum, completiſque laboribus, quibus honeſtavit illum Deus in Orbe Terrarum, requiem dedit illi, & claritatem æternam in Cœleſtibus Regnis; Unde novis etiam miraculis exaltavit nomen ejus, dignè quidem, BEATISSIME PATER, ſolenni ritu Sanctorum faſtis adſcribendum: idque potiſſimùm in præſenti Chriſtianæ Reipublicæ diſcrimine ad implorandam è Cœlo ipſius auxilio orthodoxæ Eccleſiæ, cui præfuit in Terris, incolumitatem, & pacem.

LAURENTIUS Tit. S. Suſannæ Presbyt. Card. Corſinus.

PRæclarè jam Auguſtinus, BEATISSIME PATER, [1] *via*, inquit, *eſt virtus ad gloriam, honorem, imperium*; virtute, & heroica virtute Beatum Pium nituiſſe uberrima teſtimonia ſunt Seculum, Sacri Dominici lares, univerſa demum Eccleſia. In Seculo integritas penè collactea, immatura ejus in ætate, præcoce Senio maturavit. In Sacris Dominici Laribus [2] *lectione aſſidua, & meditatione diuturna pectus ſuum Bibliothecam Chriſti adornavit*. In univerſa denique Eccleſia, ut [3] *orthodoxæ Fidei columna*, ut [4] *Eccleſiæ ipſius luminare*, ut [5] *totius Orbis eximium decus* effloruit; [6] *Ita in ſingulis eminebat virtutibus, quaſi cæteras non haberet.*

Hæ fuere virtutes, PATER BEATISSIME, quæ ipſi in terris peperere gloriam, honorem, imperium: Gloriam, cum Bella Domini præliaturus in Tribubus Iſrael, odio pluſquam vatiniano frementes perduelles hæreticos triumphali zelo coercuit: Honorem, cùm immortali Collegii noſtri Dignitate Vaticanę purpuræ emerita luce reſplenduit: Imperium tandem, cùm [7] *Princeps Apoſtolici Ordinis ad Arcem Romani eſt deſtinatus Imperii*.

Repetebat olim Nazianzenus Theologus [8] *in Principe viro, ac Præfecto Principatum*

[1] *Lib. 5. de Civit. Dei cap. 12.* [2] *Ex D. Hieronymo epiſt. 35. ad Heliod. in edit. PP. S. Mauri.* [3] *Ex libr. Epiſt. ſacr. Syr. ad Juſtinian.* [4] *Ex libr. Epiſt. Orient. ad Agap.* [5] *Ex Nazian. orat. in laud. Cyp.* [6] *Ex D. Hieron. epiſt. 35. ad Heliod.* [7] *Ex Leone Magno ſerm. 1. in Natali Apoſtolor. cap. 3.* [8] *Orat. in laud. Baſil. Magn. ex verſ. Jacob. Bill.*

patum gerente in Ecclesia parem Dignitati suæ, ac Throno virtutem; Hanc attulit Pius sibi etiam vindicans illud præconium, quo Leonem Magnum celebravit Hincmarus, [9] *nec tantæ Sedi*, scilicet, *imparis*. Hic [10] *Cæcorum baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen lugentium fuit*. Alter [11] Moses, nuperus [12] Josaphat, gratiæ [13] Ezechias, non mucrone, at sanctis precibus debacchantes teterrimas Classes ad internecionem usque confecit. Tanta virtus erat ejus sanctimoniæ, ut vel ipsi Barbari absentes, & plurimùm segreges, fato suo eam persentirent.

At [14] *ille* quidem *abiit accipere sibimet Regnum, quod non deposuit, sed mutavit, in Tabernacula Christi jure pietatis adscitus, in illam supremam Hierusalem* Beatitatis coronâ exornatus. Accenseat itaque Sanctitas Vestra cœlestibus eum Pontificibus, interque superos Proceres Divorum choro connumeret. Novus hic erit triumphus Ecclesiæ Romanæ, novum vulnus hæreseos, quæ dum nostris penè temporibus in suprema Orbis Tiara nuperam sanctitatem mirabitur, mentiri se deprehendat impudenter obganniens, veterem Divorum pietatem è Vaticani Colle exulasse. Hæc mea sententia, PATER BEATISSIME; Hoc meritum Beatissimi Pii, ejusque virtutum, nimirum, ut ex [15] Augustino dicebam, *via est virtus ad gloriam, honorem, imperium*.

FRANCISCUS Tit. S. Cæciliæ Presbyt. Card. de Acquaviva.

BEATISSIME PATER: Beatus Pius V. SANCTITATIS VESTRÆ Sanctissimus Prædecessor intrà angustias religiosæ Cellulæ magnoperè literarum, sed magìs orationis studio fervens, multiplici scientia ornatus, meritò Magistri decus adeptus fuit in illa, quæ non ab hominibus discitur, aut accipitur, sed per revelationem Jesu Christi: Extra Cœnobium in Sacræ Inquisitionis munere eâ perfectâ flagrans charitate, quæ foràs mittit timorem, vitæ contempsit discrimina, plurimas hæreses profligavit, Martyrium in votis consummavit. Episcopus deindè renunciatus, postea verò Inclyti Ordinis nostri ornamentum, & decus, adeò mirabili nexu humilitatem zelo animarum conjunxit, ut quibus vias Domini zelo charitatis monstrabat, eosdem per illas exemplo humilitatis duceret. Demum ad universalis Ecclesiæ Regimen conclamatus, honorem suscepit invitus, labores libenter subivit. Ad orthodoxæ enim Fidei puritatem, & jura Ecclesiasticæ Immunitatis tuenda, invictissimam animi firmitatem jugiter ostendit, dum non minùs in Christianorum Principum Regnis quodcumque zizaniæ semen calcavit, & fortiter extirpavit, quàm Turcarum Tyranno acie profligato Infidelibus etiam metuendum se reddidit, adinstar Moysis, quem similem fecit Deus in gloria Sanctorum, & magnificavit eum in timore Inimicorum. Has, aliasque virtutes Deus miraculis pluribus comprobavit, inter quæ illud recensere libet, quod, devicta Turcarum classe, eodem penitùs temporis momento, divina revelatione manifestavit Altissimus Servo suo. Hunc igitur virum approbatum à Deo in nobis virtutibus, & prodigiis, & signis, poterit Sanctitas Vestra, ut supplex exoro, decorare coronâ aureâ expressa signo Sanctitatis, & gloria honoris.

PHILIPPUS ANTONIUS Tit. S. Chrysogoni Presbyt. Card. Gualterius.

INterest Ecclesiæ universæ, PATER BEATISSIME, ut quæ B. Pius V. præbuit exempla virtutum publico præconio celebrentur. Habent enim in hoc Sanctissimo Pontifice, quem imitentur Religiosi Viri regularis observantiæ Professorem diligentissimum; Habent Episcopi, & Summi Pontifices Ecclesiasticæ libertatis Vindicem fortissimum: Fidei orthodoxæ Propugnatorem, & Propagatorem acerrimum. Hunc ergo Beatum Virum, & heroicis virtutibus, & miraculorum gloriâ illustrem, solenni ritu inter Sanctos à Sanctitate Vestra Supremo Christi Vicario adscribi posse censeo, ad Apostolicæ Sedis, ac totius Ecclesiæ Catholicæ ornamentum.

JOSEPH Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyt. Card. Vallemanus.

QUas in Beato Petro requisierat virtutes Christus Dominus Pastorum Princeps, has profectò Pium V. in se mirabiliter expressisse constat, BEATISSIME PATER. Hic enim Sanctissimus Pontifex, qui heroicis dudum virtutibus, primò inter Fratres Prædicatores, & deinde inter Episcopos, & Cardinales sese ad Catholicæ Ecclesiæ regimen performaverat, exhibuit in altissimo hoc munere in pascendis Ovibus amorem flagrantissimum, in grege custodiendo vigilantiam

[9] *Lib. de Prædest. cap. 33.* [10] *Ex Hieron. epist. 35. citat. ad Heliod.* [11] *Ex Cap. 17. Exod.* [12] *Ex 2. Paralip.* [13] *Ex 4. Reg. cap. 19.* [14] *Ex Ambros. orat. de obitu Theodos.* [15] *Ubi supr.*

lantiam impigram, in defensione, & propagatione Fidei solicitudinem indefessam, in propugnandis Ecclesiæ juribus fortitudinem, atque constantiam invictam. Optimo igitur, sapientique Consilio publicæ prospiciet Ecclesiæ utilitati Sanctitas Vestra, si Beatissimum hunc Prædecessorem suum, quem sibi præcipuè imitandum sumpsit, omnibus Christifidelibus, Episcopis præsertim, tanquam boni Pastoris exemplum, venerandum proponet, ut sicut olim Ecclesia Pium V. experta est Canonicæ disciplinæ Instauratorem, Executoremque religiosissimum, modò eundem habeat pro ovibus simul, & Pastoribus apud Deum Intercessorem.

RAYNUTIUS Tit. S. Agnetis extra mœnia Presbyt. Card. Pallavicinus.

MIchäelem Synagogæ Præsidem, & Principem, ideoque supremæ Dignitatis in Pontifice Jesu Defensorem, nunc Ecclesiæ Romanæ Custodem habemus, BEATISSIME PATER. Habemus alterum in adjutorium nostrum suffectum, quem licèt separet dissimilitudo, illum conjungit imitatio. Michaelem, & Pium haberi voluit Deus in benedictionibus suis, ut Sanctum nuntiet Ecclesia, Summi Sacerdotii, & Religionis Vindicem publico testimonio virtutum, Apostolico Sanctitatis Vestræ Judicio consentientibus in unum votis omnium Fidelium. Michael in Bosco ad trudendas in fugam pessimas quidem feras, pugnaturus cum Dracone, quis ut Deus? exaltatus est, ut Pius in Solio, & Cathedrâ insurgentes hostes in brachio extento expugnaret, Catholicum fœdus contra Turcas jungeret, Gallicana Edicta Acatholicis favorabilia abrogari mandaret, Gheusios armis, & pecuniâ sacrâ apud Belgas sub Albano Duce strenuissimo profligaret, Cæsarianos Augustanæ confessionis Sectatores compesceret, Mariam Stuardam, privatâ Regno Elisabethâ, confoveret, Polonos de expellendis hæreticis Sacramento obstringeret.

Hæc sunt, & alia, quibus zelo domus suæ succensus toto vitæ decursu, totis viribus undequaque irrumpens, victor emeritus dignus est coronari Coronâ aureâ super Mitram ejus expressâ signo Sanctitatis, & gloriâ honoris, quem similem illum fecit, & magnificavit eum in timore Inimicorum, ut monstra placaret in Terris.

JO: DOMINICUS Tit. S. Anastasiæ Presbyt. Card. Parraccianus.

BEATISSIME PATER: Ea est temporum conditio, ut nihil Ecclesiæ rationibus magis consentaneum videatur, quàm auctis è Cœlo præsidiis statuere Christianam rem undique periclitantem Sanctorum auxilio, qui fusis ad Deum precibus hanc tanti ponderis causam agant. Videtur hoc opus à Deo reservatum Beato Pio hujus nominis Quinto, qui sicuti in Terris Vicariam æterni Pontificis Potestatem præclarè gessit, ita modò à Sanctitate Vestra Christi itidem Vicario, divinæ suæ vocis oraculo, inter Sanctos relatus laborantem Ecclesiam in tot præsentibus necessitatibus valida de Cœlis, atque continua protectione defendet. Hujus vita admiranda potiùs, quam imitanda heroicæ virtutis compendium fuit; durissima enim perpeti, & agere maxima non detrectavit, quamplurimis integritatis, fortitudinis, sanctimoniæ, fideique prodigiis universum Terrarum Orbem implevit, atque in admirationem rapuit, donec tandem Senio confectus voluntariis cruciatibus, suppliciis, dolorumque omnium varietate fagінatus, Divini Amoris victima fuit. Quapropter jureméritò dici debet, quod bonum certamen certavit, cursum consummavit; ideoque dignus sit Coronâ Justitiæ, quam reddit justus Judex legitimè certantibus: & erit gloria triumphantis Ecclesiæ; militantis verò præsidium.

JOSEPH Tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio Presbyt. Card. de la Tremoille.

BEATISSIME PATER: Causa Canonizationis B. Pii V. maturo Sanctitatis Vestræ Judicio jam decisa, & solenniori ritu mox absolvenda encomio potius digna est, quàm suffragio. Si enim Coronam meretur, qui fortiter, strenuèque pugnavit, consecrationis triumphus jure adscribi debet Beato isti Pontifici, cujus vita, etsi disparatis gradibus constituta, perpetua pugna fuit contra hostes visibiles, & invisibiles Fidei Catholicæ, ac Religionis orthodoxæ: hos vicit puritate morum, & præstantiâ virtutum; illos debellavit exemplo, & opere prævalido, à quo constantis animi vir non destitit, nec ob vitæ discrimen, nec ob majora, quæ objiciebantur pericula. Apostolico quippe zelo præmunitus, in hæreticorum conversionem, & hæresis exitium intentus, fortiter semper, & agens & patiens cursum feliciter con-

consummavit. Sanctorum igitur fastis te decernente adscribatur, Beatissime Pater, qui viam Sanctitatis inviam exemplo, & monitis perviam fecit: Imponatur Aris qui, hæresi debellata, Aras Deo restituit: Exponatur omnium venerationi, qui omnibus omnia factus, Apostolicæ constantiæ, & fortitudinis venerandum seculis reliquit exemplum.

CAROLUS AUGUSTINUS Tit. S. Augustini Presbyt. Card. Fabronus.

Cum publici Ecclesiæ honores viris sanctitate conspicuis, ultra Dei gloriam, quem profitemur mirabilem in Sanctis suis, in eum quoque finem præcipuè decernantur, ut ipsorum præclarè gesta universis Christifidelibus exemplo sint, & celebritates Sanctorum fiant incitamenta virtutum, atque imitari non pigeat, quos celebrare delectat, jure quidem optimo, Beatissime Pater, iisdem sacris honoribus decorandus videtur Beatus Pius virtute non minùs, quàm Dignitate Sanctissimus, cujus integer vitæ cursus plerisque variis Christianorum statibus, officio, & conditionibus, velut egregia vivendi norma, proponi potest. Ipse enim Monachis Regulari observantia, Sacerdotibus eximia Religione, Præceptoribus salutari doctrina, Concionatoribus divinâ eloquentiâ, Cœnobiarchis assiduâ vigilantiâ, sanctæ Fidei Quæsitoribus inconcussa fortitudine, persecutionem patientibus mira constantia, ægritudine laborantibus heroicâ patientiâ, Pauperibus inopiæ tolerantia, Divitibus effusa liberalitate, honore affectis humanæ gloriæ despicientia, publica munia gerentibus animi magnitudine, Judicibus incorrupta Justitia, Episcopis Pastorali solicitudine, Cardinalibus Ecclesiæ tuendæ, divinæque gloriæ per universum Terrarum Orbem amplificandæ studio, Principibus paternâ in subditos charitate, non pacis modò, sed belli quoque justi administrandi prudentiâ, ipsis denique Supremis totius Ecclesiæ Pastoribus omni planè virtutum genere ita præluxit, ut unius hujus Hominis vita dici meritò possit totius fermè Ecclesiæ disciplina.

Porrò peculiari cuidam divinæ Providentiæ consilio tribuendum existimo, quod hoc potissimùm tempore, quo Catholicæ Fidei veritas, & hujus Sanctæ Sedis, quæ ejusdem Fidei columen est, Dignitas undique ferè petitur, & oppugnatur, eximia tanti viri sanctitas magis eluceat, Deoque ipso in diebus nostris planè loquente, & servi sui præclara merita confirmante sequentibus signis, istius Sanctissimi, ac verè Maximi Pontificis gloriosum Nomen per universam Ecclesiam prædicetur, cujus inter cæteras egregias dotes, illæ in primis luculento ejusdem Ecclesiæ testimonio jamdudum celebrari consueverunt, videlicet: Religionis propagandæ perpetuum studium: in extirpandis erroribus assidua vigilantia: in Sedis Apostolicæ juribus vindicandis robur invictum.

BENEDICTUS S. Mariæ in Via lata Diac. Card. Pamphilius.

Beatissime Pater: (1) *Habemus Pontificem, qui penetravit Cœlos*, Beatum nempe Pium V. Pontificem Optimum Maximum, quem in heroicum sanctitatis simulacrum, virtutum omnium cura, & solicitudo perfecit, inde ad Sedis Apostolicæ Thronum in exemplum, ac venerationem evexit. Sive enim tuendæ Fidei munus obiret Inquisitor, sive Ecclesiis præsideret Episcopus, sive Cardinalis labore, ac consilio Summum Sacerdotem curis levaret, adeò imperterritum animi robur furenti hæresi objecit, adeò Ecclesiasticam disciplinam restituit, & Sacræ Tridentinæ Synodo, ut finis imponeretur, (2) *potens opere, & sermone* adeò plurimùm præstitit, & adlaboravit, ut tanquam (3) *prodigium factus sit multis*; proindeque (4) *vocatus à Deo tanquam Aaron*, ex quo non sibi honorem sumpsit, emeritâ Summi Pontificis (5) *gloria, & honore fuit coronatus*. Porrò Ecclesiæ jura vindicata, Christiano populo libertas restituta, Turcarum furor elisus, indubiè testantur, non deficientibus per plura miracula Divinæ voluntatis documentis, Beatum hunc Pontificem, quem jampridem Majores nostri in Sanctitatis Vestræ Solio coluére, nunc sacris admotum Aris à cunctis fidelibus esse colendum.

PETRUS S. Laurentii in Damaso Diac. Card. Otthobonus.

Cum in B. Pio ad generis nobilitatem accesserit honestæ vitæ Institutio, ad exactam regularis disciplinæ observantiam sana bonarum literarum doctrina, ad Sacræ Inquisitionis demandatum munus infracta animi pro tuenda Religione constantia, ad Episcopatus Regimen nunquam intermissa pascendi Gregis solicitudo, ad quæsitam meri-

[1] *Ad Hebr.* 4. 14. [2] *Luc.* 24. 20. [3] *Psal.* 70. 7. [4] *Ad Hebr.* 5. 4. *Psal.* 8. 6.

meritis Romanæ Purpuræ Dignitatem reluctantis humilitatis obtemperantia, ad supremum Apostolatus apicem virtutum omnium cumulus, & ad illum denique magnitudo miraculorum accesserit; Censeo eundem B. Pium esse inter Sanctos jure optimo connumerandum.

Sic, inquam, censeo, sed & rogo, atque obsecro, ut illi optatum jamdiù cultum nunc ritè decernat Sanctitas Vestra, cujus munificentia, ac benignitate, etsi tanto impar muneri, Archipresbyter existo Liberianæ Basilicæ, ubi Sacrum Pii Corpus quiescit.

Ab eo siquidem corusca luce fulgoris clariores prosilientes radii sublimius provehent Christiani nominis gloriam, & Barbarorum audaciam, ut olim ad Echinadas, terrebunt semper in posterum.

CAROLUS S. Agathæ Gothorum Diac. Card. Bichius.

BEATISSIME PATER: Beatus Pontifex, re, & nomine Pius, quem Christus Dominus, miro dispensationis suæ opere, veluti grande luminare, statuit super Apostolicæ Petræ Arcem, eligens eum sibi in Terris fidelem Vicarium, servum bonum, Formam Gregis, Formam Pastorum. Qui in omnibus vitæ suæ gradibus; videlicet, in Religione, in Episcopatu, in Cardinalatu, & in Suprema Pontificali Dignitate, oblitus penitùs sui, & suorum, totus Deo, totus Gregi, totus Catholicæ Religioni, omnibus omnia, & ut etiam à non quærentibus inveniretur, omnibus viam Domini præparavit, opere, consilio, & exemplo. Tot igitur meritis plenus Sacerdos Magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, & pervium fecit iter ad virtutem, non solùm iis, qui Claustris, & Eremo inclusi Mundum ignorant, sed etiam illis, qui versantur in Aulis; meritò inter Sanctos, & gloriosos Pontifices infallibili Sanctitatis Vestræ oraculo videtur reponendus.

FRANCISCUS S. Angeli in Foro Piscium Diac. Card. Barberinus.

BEATISSIME PATER: Beatum Pium V. intrà hæc Tecta, utì Principem in Terris, & Christi Vicarium majores nostri venerati sunt; nunc ex iisdem exedris, quas ipse conscenderat, Sanctum in Cœlis, virtutibus, & prodigiis coruscantem, æternus rerum omnium Pater, & Conditor per infallibile oraculum tuum jure meritò declarari decrevit, ut Cœli ipsi enarrent gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciet firmamentum.

LAURENTIUS S. Nicolai in Carcere Diac. Card. de Alteriis.

BEATISSIME PATER: Quæcumque sunt vera, quæcumque justa, quæcumque sancta, hæc B. Pius V. Pont. Max., juxta monitum Apostoli, semper cogitavit, hæc elegit, hæc implevit. Amavit proinde eum Dominus, & ornavit eum, ac fecit, ut ab illius vita, & clarissimis gestis sanctitatis odor assiduè manaret, fulgor erumperet, non minùs dum latuit in Religionis septis, quàm in Ecclesiæ, totiusque Orbis luce, dum Supremo, atque Regali Sacerdotio functus fuit. Omni igitur ex parte probatum, ac inventum sinè macula Sanctorum fastis adscribi eximiæ illius virtutes, præclara miracula, & spectatissima merita jure postulant.

CAROLUS S. Mariæ de Scala Diac. Card. Columna.

VEtus hominum opinio est, sanctitatem Eremi latebris intercludi, innocentiamque honorum fastigiis naufragari. At Pius hujus nominis Quintus, ad Supremum Pontificatus Apicem evectus, pristina religiosæ vitæ severitate, præter externam vestium formam, nullatenus imminuta, Sanctitatem squallore deterso ad Principum ædes revocans, dignitates, & divitias ab hac nota vindicavit. Angelica siquidem in ipso puritas, reliquis decorata virtutibus, utriusque vitæ activæ, ac contemplativæ perfectio tam assidua, ut semper in Cœlo fuerit, aut Cœlum cum illo. Illud præ cæteris in ejus vita admirandum, quod Selimo, non tam armis, quàm fusis ad Deum precibus, ad Echinadas Insulas profligato, victoriam ea ipsa hora, quâ obtenta fuit, cognitam habuit, hilarique animo adstantibus revelavit; Congruum ergo est, BEATISSIME PATER, ut te decernente imponatur Aris, qui, Turcarum tyrannide repressa, Aras Deo restituit, & qui, dum viveret, omni ex parte Sanctissimi munus impleverat, è vivis ereptus Sancti nomine, & honore insigniatur.

NICO-

NICOLAUS S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. Grimaldus.

BEATISSIME PATER, Beatus Pius V. vitam sanctè, pièque duxit, Religiosus Claustralis, Sanctæ Sedis Minister, Episcopus, Cardinalis, Summus Pontifex. Ordinis sui statuta exactissimè custodivit: in ministeriis sibi commissis strenuè, fideliter, ac prudenter se gessit; ac ut errores, & hæreses profligaret, invicto zelo laboravit: super egenos, & pauperes intellexit. Pastorali solicitudine totus in id incubuit, ut subditorum commodis consuleret, eosque clementia, beneficentia, justitia, æquitate, ac audiendi patientia gubernaret: Exemplo, optimisque legibus Ecclesiam ornavit, & rexit, Christianorumque mores ad omnem pietatem instruxit: tuendæ, ac propagandæ orthodoxæ Religionis flagrans fuit in eo desiderium; ac ineundi, & conservandi fœderis inter Catholicos Principes adversùs Christiani nominis hostes ferventissimus amor. Illius probatas in gradu heroico virtutes Deus miraculis illustravit. Censeo ex his publicæ, ac universalis Ecclesiæ venerationi exponendum, etiam ut Christifideles pacem, & fœdus Principum Christianorum expetentes, proclivem, & acceptum apud Deum habeant Intercessorem.

ANNIBAL S. Eustachii Diaconus Cardinalis Albanus.

NUllum sanè, BEATISSIME PATER, afflictis Christianæ Reipublicæ rebus præsidium certiùs comparare poterit Sanctitas Vestra, quàm eum cœlestem Virum in novum illi Patronum adoptans, cujus jamdudum Pastorali solicitudini totam se regendam libenter adeò commisit Ecclesia; Non uno siquidem illa nomine se Pio V. obstrictam esse ingenuè fatetur, tum ob undique munitam sanctissimis legibus, & admirabili vitæ integritate Catholicam Religionem, tum ob illatam Turcarum Tyranno ejus ope, & precibus apud Naupactum immanissimam cladem, cui recipiendæ propemodùm mare impar, trophæis nostris visum fuit redundare; tum denique ob indomitum illud, & planè æneum animi robur, quo Heterodoxis, & Crucis Christi Inimicis invictus Athleta fidei se ipsum validè opposuit in signum contradictionis, & murum pro Domo Israel. Quamobrem è publica, Catholicaque re apprimè facturam fore censeo, Sanctitatem Vestram, si nomen tanti Pontificis, miraculis æquè, ac virtutibus verè Optimi, Maximique, in Sanctorum Canonem adscribat.

LUDOVICUS Picus de Mirandula Patriarcha Constantinopolitanus Assistens.

INterest sanè, BEATISSIME PATER, Christianæ Reipublicæ, ut gloriam illius narrent populi, & laudem nunciet Ecclesia, qui super Sion montem sanctum Dei constitutus, ut prædicaret præceptum ejus, palam fecit disciplinamdoctrinæ suæ, & in lege testamenti Domini gloriatus est. Id verò, in quo Pastoralis officii cura, & tota lex pendet, quàm utiliter, quàm strenuè, quàm sanctè impleverit B. Pius V. Pontifex Maximus neminem latet, quinimò SANCTITATI VESTRÆ abundè testatum est, non solùm ejusdem virtutum, ac miraculorum famâ ubique nunciante, verùm etiam sacri hujusce Consessûs diuturno, exquisito, ac sedulo examine comprobante. Totus enim in eo fuit, ut in semitâ Justorum cresceret usque ad perfectam diem, atque adeò præclarâ S. Dominici Familiâ Euangelicis humilitatis, pœnitentiæ, charitatis, & invictæ in sanctæ Inquisitionis munere obeundo fortitudinis, & constantiæ fulgoribus illustratâ; deinde ad apicem Regni Sacerdotalis vocatus à Deo, tamquam Aaron, illius gessit vices verbo & exemplo, quem dedit Pater in lucem gentium, ut salus esset usque ad extremum Terræ. Et profectò quàm fervens in ipso zelus, quò disperderet de Civitate Domini omnes operantes iniquitatem, quanta Ecclesiarum solicitudo, quàm indefessum electæ sobolis propagandæ, ac vigilans studium, quàm operosa, & efficax fides, quâ Romæ Turcarum naves in spiritu vehementi contrivit, dum ad Echinadas pugnaretur! Id igitur illi modò retribuendum videtur, quod enixè olim satagebat, nempe ut in ipso prædicemus mirabilem Deum in Sanctis suis, & ita fore justa spes erit, ut invocato ipsius Patrocinio in solennitate auctæ venerationis à mari usque ad mare dominetur tandem Catholica Fides, disjectisque temporum calamitatibus, irritos potestatis tenebrarum conatus Apostolica Petra in visione pacis elidat.

JOANNES Patritius Archiepiscopus Seleuciæ Assistens.

BEatus Pius inter Romanos Pontifices hoc nomine Quintus, BEATISSIME PATER, in omnibus diebus suis placuit Deo; fuit enim Religiosorum exemplar, Episcoporum speculum, Purpuratorum decus & norma, & dum esset Summus Pontifex terrena non metuit, sed Catholicam Religionem multis locis labefactatam restituit. Virum igitur istum Apostolici zeli, admirabilem, eximiis virtutibus fulgentem, & miraculis clarum in Sanctorum Album referendum censeo, ut quem dudùm Clemens X. inter Beatos collocandum, & certo Fidelium cœtui colendum edixit, novis deindè Dei testimoniis adjunctis, alter CLEMENS pari dignitate, & auctoritate suffultus inter Sanctos constituat: Nec debet amplius sub modio delitescere tantus Pontifex, sed super Candelabrum exponi, ut universæ, cui olim præfuit, Ecclesiæ colluceat lucerna Pastorum; nec tantùm in Ecclesia Plebis exaltari, sed etiam in Cathedra seniorum Cœlestis Hierusalem per solennem Canonizationem collaudari.

PHILIPPUS Anastasius Archiepiscopus Surrentinus Assistens.

CUm maximè optandum sit, BEATISSIME PATER, (1) ut *Sapientiam Sanctorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia*, meritò Viri Principes, Dominicana Familia, atque universi Fideles efflagitare videntur, ut infallibili hujus Sanctæ Sedis judicio Sanctorum honores B. Pio V. decernantur, qui (2) *Sapientiam omnium antiquorum exquisivit, & in Prophetis vacavit*: eamque Sapientiam, ut summis laboribus hauserat, ita summâ charitate cæteris, Magistrum agens, (3) *communicavit*, & Quæsitor Fidei ab erroribus heroicâ constantiâ tutatus est; tum illam, sacrâ purpurâ ornatus, incorruptâ justitiâ semper adhibuit. Ut propterea collatum sibi Summi Sacerdotis Rationale (4) *Doctrinâ, & Veritate* insignitum demeruerit; quo quidem quantâ providentiâ, quantoque ampliandæ Religionis studio fuerit usus, prophetiæ, & miraculorum ei impertito dono Æterna Veritas comprobavit. Atque hæc cùm abundè explorata sint, reliquum est, ut Sapientissimum olim Summum Pontificem Sapientissimus modò Pontifex Maximus in Sanctorum Catalogum referat.

NICOLAUS Caracciolus Archiepiscopus Capuanus Assistens.

BEatus Pius V. adhuc puer, præveniente eum Divinâ gratiâ, Euangelicæ Perfectionis iter est aggressus, PATER BEATISSIME. Quatuor hic veluti gradibus ad apicem supremæ Dignitatis, & Sanctitatis pariter pervenit. Nam Religiosi hominis partes in Sacram Fratrum Prædicatorum Familiam cooptatus diligentissimè peregit: Episcopale munus, quod invitus suscepit, pari Prudentiæ, & Vigilantiæ laude administravit: Amplissimo Cardinalium Senatui adscriptus, sacram Purpuram novo suarum Virtutum splendore illustravit; Ac demum Summus Pontifex renunciatus, ex illa Sublimi Sede, tamquam Lucerna super Candelabrum posita, splendidiores Suæ Sanctitatis radios per universum Orbem diffudit. Hunc igitur, si Sanctitati Vestræ placuerit, censeo solenni ritu Sanctorum Catalogo meritò esse adscribendum, ut in uno hoc egregio Viro habeat Catholica Ecclesia, pluribus hominum generibus, quod addat ad virtutem incitamentum, & quam proponat, normam sanctitatis.

FERDINANDUS Nuptius Archiepiscopus Nicœnus Assistens.

MAgnalia Dei, BEATISSIME PATER, incredibili felicitate hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in B. Pio V. suspexit universus Christianus Orbis, cujus quidem nulla pars est, quæ ejus ingentia beneficia non senserit. Italia nostra in veræ Fidei integritate servata, Gallia contra Hæreticorum conatus adjuta, Hispania opportunis Sanctionibus in Officio retenta, Pannonia contra Turcarum irruptiones munita, res Catholica in Germania, Belgio, Scotia, Anglia, ac Polonia plurimùm restituta, & in Indiis etiam propagata, Pium V. perpetuò loquentur, & prædicabunt.

Quid memorem prodigium illud omnium maximum, Sacrum inquam fœdus à Christianis Principibus pro salute Reipublicæ brevi tempore, & summa felicitate uno ejus consilio percussum? Hoc fœdere dextera Dei salvavit Populum Israel de manu inimici, & B. Pio loquutus est Dominus de Tabernaculo Testimonii, dum prælio navali ad Echinadas gregem suum ab imminentibus periculis liberavit.

Jam verò cum perturbatissimus Christiani

[1] *Eccli.* 24. [2] *Eccli.* 39. [3] *Sap.* 7. [4] *Exod.* 28.

ſtiani Orbis ſtatus præſenti quoque ſubſidio magnoperè indigeat, utique præſentiſſimum illud erit, ſi Sanctitatis Veſtræ oraculum, falli neſcium, militantis Eccleſiæ cultui, & venerationi, quod omnes enixè rogant, tantum ejus Paſtorem, & Defenſorem, Magnis Leoni, & Gregorio meritò comparandum, decreverit eſſe proponendum.

PETRUS Corradinus Archiepiſcopus Athenarum Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER, Crederem tuto adſcribi poſſe inter Sanctos Beatum Pium V.; Huic quippe, quemadmodum ex Actis apparet, virtus in manu fuit, & magnitudo in operatione: Eum integritas ad libertatem vocis erexit, & conſideratio infirmitatis propriæ in Chriſtiana humilitate cuſtodivit: ferientibus is oppoſuit ſcutum patientiæ, & ſæpè in dolore poſitus tribulationis ſuæ, curam non deſeruit utilitatis alienæ. Sic externa bella ſuſcepit, ut ſolicitè ſemper cogitaverit, nè Proximorum interna pax laceraretur; fortis namque adſtitit in acie, & velocitate circumſpectionis invigilavit, ut & ante ſe audaces confoderet, & poſt ſe trepidos à vulnere defenderet, loquenteſque perverſa impugnaret, & ad lumen veritatis pertraheret. Quare de hujus Servi Dei virtutibus dici poteſt, quod Propheta de rotis Currûs cœleſtis gloriæ tradidit: (1) *Cum euntibus ibant, & cum ſtantibus ſtabant, & cum elevatis à terra pariter elevabantur & rotæ, ſequentes ea; quia ſpiritus vitæ erat in rotis.* Has copulavit magnitudo operationis, miracula nempe ritè & rectè probata; quamobrem, qualis apud Omnipotentem Dominum Beatus Pontifex intùs haberetur, ex ſignis, quæ in vita, & poſt obitum fecit, forìs etiam apparuit.

DOMINICUS De Zaulis Archiepiſcopus Theodoſiæ Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER, Supremum Eccleſiæ Regimen, quod B. Pius V. omnigenâ virtute merebatur, humilitate timuit, heroicâ prudentiâ, charitate, & fortitudine adminiſtravit; Tribuit quidem illi Dominus affluenter cœleſtium chariſmatum dona; Verumtamen maximè Fidei zelo enituit, & conflagravit; utque Religio Catholica ſarta tecta ab Hæreticorum inſidiis, Barbarorum incurſibus, cunctorumque hoſtium molimine ſervaretur, ſtudia, vigilias, curam maximam contulit, labores immenſos ſubiit, contempſit odia, voravit pericula, nec ſemel in vitæ diſcrimen ſe ſpontè conjecit. Vir verè ſingularis, nec labore victus, nec morte vincendus, quem ſignis, & miraculis, dum viveret, & poſtquam mortuus eſt, Pater luminum illuſtravit. Quæ omnia cum ſolenni ritu diſcuſſa ſint, ac de B. Pio comprobata, cenſeo illum Sanctorum Catalogo (ſi Sanctitati Veſtræ arrideat) adſcribendum; Ut qui in Eccleſia tanquam ſydus radians lumine Fidei, & ardens igne Charitatis emicuit, agnoſcatur in Cœlo effulgens, ut luminare conſpicuum ſplendore gloriæ, & claritate ſignorum.

ALEXANDER Bonaventura Archiepiſcopus Nazianzenus Aſſiſtens.

BEatus Pius V., cujus nec nomen quidem vacuum laudis eſt, non tam Imperii, quàm Pietatis majeſtate colendus, ſummam manſuetudinem cum ſumma auctoritate conjunxit. Divino afflatu Odryſiæ Lunæ teterrimam cladem ad Echinadas Inſulas uſque proſpiciens, probatum reliquit quàm malè pugnaret Turcicus Amalek, dum tam pius Moyſes è culmine Romanæ Sedis manus levabat ad Cœlum. Sanctorum igitur in Tabulis notandus eſt, BEATISSIME PATER, ſi Sanctitati Veſtræ placuerit, ut qui in Terris Gubernaculum Fidei viriliter tenuit, fluctuantis Eccleſiæ navem tranquillâ ſtatione componat, & Gentium greges ad caulam Domini feliciter congreget; non enim Terra oblivionis eſt, quam inhabitat, & in Patria non excidit Charitas, ſed augetur.

SINIBALDUS De Auria Archiepiſcopus Patracen. Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER, Summo Eccleſiæ conſenſu, & judicio Sedis Apoſtolicæ graviſſimo, atque infallibili, Sanctorum faſtis B. Pium V. adſcribi poſtulat eximia, quâ per omnes Eccleſiaſticos Ordines floruit, Chriſtianæ perfectionis, rerumque geſtarum gloria; Poſtulat Apoſtolicus ille zelus, quo Eccleſiaſticam diſciplinam inſtauravit, Catholicam Religionem, ſanctiſſimaque Fidei dogmata ab Hæreticorum impietate & errore vindicavit, ſeque ipſum poſuit quaſi murum pro Domo Iſraël; Poſtulant denique ampliſſima hujus Beati Pontificis erga hanc Sanctam Sedem merita, cujus amplificavit cultum, cujus jura invicto robore ſarta tecta ſervavit, in qua conſtitutus verum Chriſti in terris Vicarium, Verum Petri Succeſ-

N 2 ſorem

[1] *Ezech.* 1. 21.

ſorem non magnitudine tantùm poteſtatis, ſed & omnium excellentiâ virtutum expreſſit.

Fr. JOANNES FRANCISCUS De Nicolais Archiepiſcopus Myrenſis Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER: Jure, ac meritò in Albo Sanctorum à Sanctitate Veſtra deſcribendus videtur B. Pius V., cujus vitæ decurſus in quatuor gradus, ac veluti cardines diſtinctus, in eorum quolibet ſummam laudem promeruit: Etenim Beatus iſte ab incunabulis ad pietatem propenſus, ſtatim ac quartumdecimum ætatis ſuæ annum attigit, Fratrum Prædicatorum Sacrum Ordinem ingreſſus, Regulamque poſtea profeſſus, Viri religioſi partes undequaque adimplevit, verumque Divi Dominici filium, & Sectatorem eximium ſeſe probavit: In Eccleſia verò, tanquam lucerna ſuper Candelabrum poſita, & lucens, & ardens, Epiſcopi, Cardinalis, ac Summi Pontificis Dignitate præfulgens, doctrinâ, & exemplo fideles populos Chriſtianam perfectionem docuit; ac præſertim in ſupremo totius Eccleſiæ Catholicæ Regimine conſtitutus, Beatiſſimi Petri Apoſtolorum Principis, cui eo in munere dignè ſucceſſerat, amorem illum eximium erga Chriſtum Dominum, & oves ſibi concreditas pleniſſimè imitatus fuit; virtutes omnes ſupra communem modum, ac etiam in gradu heroico poſſedit, ſicque in ſanctitate & juſtitiâ ultimum diem obiit; plurimiſque tam in vita, quàm poſt obitum ſuum miraculis claruit, quibus jam ritè probatis, dignum cenſeo, ut Sanctitas Veſtra quantociùs ſuâ infallibili authoritate eundem verè Sanctum pronunciet, & utì talem colendum declaret ad majorem Dei gloriam, Dominicani Ordinis decorem, & Eccleſiæ Catholicæ ſplendorem, ac utilitatem.

PHILIPPUS MICHAEL Ellis Epiſcopus Signiæ Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER: Præclara B. Pii V. geſta nulla pars Orbis ignorat; ſicut enim in corpore anima; ita ille in univerſali Eccleſia totus videbatur in tota, & totus in ſingulis ejus partibus. Totus in Fide ſartatectâ conſervandâ: totus in ovibus, quæ errabundæ ovile Chriſti deſeruerant, ad Dominicam Caulam reducendis. Ita in vita ſua ſuffulxit Domum, & in diebus ſuis corroboravit Templum: iis quidem, qui forìs ſunt, robore pectoris planè Apoſtolico; Domeſticis verò Fidei, eximiâ ſanctitate. Quibus ritè probatis, tantum in Cœnobio Aſcetam; in Cathedra Doctorem; in munere Inquiſitoris Eccleſiæ antemurale; in Præſulatu autem, murum inconcuſſum; & ut omnia uno verbo complectar, tantum in Pontificatûs apice Apoſtolum, Sanctorum Albo à Sanctitate Veſtra adſcribendum cenſeo.

ANTONIUS Fonſeca Epiſcopus Tiburtinus Aſſiſtens.

HOſtes Fidei orthodoxæ, terrâ marique ingruentes, B. Pius V. Pontifex Maximus ita perfregit, ac domuit, ut Rhætiam, Galliam, Belgium, Echinadas in perpetua Religionis verterit monumenta. Triumphos exteros Domi partâ gloriâ æquavit. Pravæ opiniones convulſæ; diſciplina ſanctior reſtituta; ſtudia ubique pietatis incenſa. Vitæ aſperitatem, & ardorem rerum Divinarum à Religioſæ Familiæ ſeptis ad Pontificale faſtigium ſic attulit, ut exaggeratæ virtutes illæ latiùs omnibus ad vivendi normam proficerent. Par temporum calamitas præſidium non impar efflagitat. Abſolutiſſimum illud habuerimus, ſi tanti Pontificis patrocinium implorare nos poſſe, BEATISSIME PATER, dignaberis.

SEBASTIANUS POMPILIUS Bonaventura Epiſcopus Montisfaliſci, & Corneti, Aſſiſtens.

DE ubere Spiritus Sancti plenitudine ea multiformis gratiæ fluenta effuſa ſunt in Beatiſſimum Pium, ut in eo uno miremur abſolutiſſimum Pontificis exemplum. Rationem vitæ, quam inſtituit in Cœnobio, non mutavit in Solio, niſi quod auxit cum Dignitate virtutes, & ex altiore ſpecula aliena incommoda meliùs perſpexit, ut proſpiceret, & præcaveret. Sive Pontificatus jura tueretur, ſive Eccleſiæ diſciplinam, & fidem promoveret, ardens in eo enituit ſtudium Religionis. Prophanæ novitates non ita poſuerunt tenebras latibulum ſuum, ut illius fallerent vigilantiam: illicò ut nata, alliſa eſt ad hanc petram iniquitas. Retulit profectò in Eccleſia triumphante coronam juſtitiæ, & gloriæ, qui de impietate, & errore tot illuſtres victorias acquiſivit Militanti: Agnoſcat igitur, BEATISSIME PATER, univerſus Orbis, Pium eſſe Apoſtolicæ Sedis grande decus, & præſens præſidium.

Fr.

Fr. PETRUS LAMBERTUS le Drou Episcopus Porphyriensis Assistens.

PIo Quinto, priusquam Summus Pontifex renunciaretur, erat nomen MICHAEL, nomen certè magnum, & officii eximii; quod exponens S. Gregorius Magnus Homil. 34. in Euang. *Angelorum vocabulum*, inquit, *nomen est* OFFICII, *& illi privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula etiam quid in operatione valeant.* MICHAEL *namque* QUIS UT DEUS? *& quoties magnæ virtutis aliquid agitur*, MICHAEL *mitti perhibetur*. Dimisit PIUS hanc nomenclaturam Pontifex assumptus; sed re; & *magnæ virtutis* operatione illam semper retinuit, semperque Archangeli MICHAELIS officium, & nomen in se expressit. Factum est prælium in Cœlo, dum Angeli desertores affectârunt fieri Altissimo similes, & militiæ Angelorum Princeps MICHAEL, pro tuendo Altissimi honore, contra ipsos pugnavit, suscepto ad hoc certamine, ut hujus encomii proprietatem, QUIS UT DEUS, Domino vindicaret. Præliatus est PIUS prælia Domini in terris, ut eundem honorem Christo assereret; in Orbe infideli Turcico contra Selimum Turcarum Tyrannum; in Christiano adversùs Hæreticos, & pravæ doctrinæ Satores; Zelo prorsus heroico, & in mille vitæ periculis semper invicto in hoc intentus, ut non solùm ab omni corruptione vindicatâ, sed magis etiam magisque propagatâ Christi Religione, ejus sacrosanctum nomen ubique esset in pretio, & ipsius gloria in hoc verbo instauraretur, *Quis ut Christus*, *& Quis ut Christianorum Deus*? Quibus si addamus indefessum restaurandæ Ecclesiasticæ disciplinæ studium; miram, & sibi semper similem in supremis etiam honoribus animi demissionem; carnis macerationes; effusam in egenos beneficentiam; & alia cæterarum Virtutum eximia decora: nullum, BEATISSIME PATER, superest dubium, quin longè dignissimus sit inter Sanctos referri, & universæ Ecclesiæ velut Sanctitatis speculum proponi.

LAURENTIUS Gherardus Episcopus Lauretanus, & Recanatensis, Assistens.

TAnta est, & tam explorata, BEATISSIME PATER, heroica Virtutum excellentia, ac magnitudo miraculorum, quibus Deus Optimus Maximus Beatum Pium V. illustravit, ut mirandum non sit, tanta illum pietate à Fidelibus coli, atque adorari. Omnem ille laudem, sive quæ Virum Religiosum, sive quæ Episcopum, & Cardinalem, sive demùm quæ Summum Pontificem decet, cumulatissimè implevit; constantiâ præsertim in servanda Fidei puritate, ac zelo propagandæ Religionis, & comprimendæ Turcarum ferociæ, tum etiam humilitate, patientiâ, & intimâ cum Deo familiaritate maximè conspicuus. Quare cùm hæc tam maturè examinata, tam evidenter, ac ritè comprobata sint, Beatum Pium V. Sanctorum numero à Beatitudine Vestra adscribendum censeo.

VINCENTIUS de Aptis Episcopus Urbevetanus Assistens.

JUbe, qui solus id potes, BEATISSIME PATER, ut Beatus Pius V. referatur in Sanctorum numerum.

Jure quidem, quippè qui sanctæ vitæ canones, tum sub modio Regularis observantiæ ipse servare, tum super candelabrum, forma gregis factus, ab aliis servari indesinenter contendit.

Necessitate quidem, quippè quod novit Sanctitas Vestra, novimus universi, quantum hac tempestate Ecclesia Catholica indigeat, ut apud Deum intercessor pacis sit ille, qui temporibus suis Principum Christianorum reconciliator factus, Christiani nominis hostes divinâ potentiâ deprimi, meruit obtinere.

FABRITIUS Pignatelli Episcopus Lyciensis Assistens.

PIus Quintus, BEATISSIME PATER, sive in Sacris Prædicatorum Ordinis Claustris absconditus, sive in Episcopali Cathedra, deinde in Sacro Purpuratorum Collegio, tandem in Pontificia Majestate sublimis, semper, & ubique virtutum omnium radiis effulsit. Per singulos gradus ascendens ad montem Dei, Regularis observantiæ, Pastoralis solicitudinis, moderationis Ecclesiasticæ, & Apostolicæ Dignitatis, præclarissima terrarum Orbi reliquit exempla: quibus sancto muneri jam maturus induit loricam Fidei, & Charitatis, ac omnibus Ecclesiæ hostibus, perpetuum bellum indixit. Profectò missus à Domino, cujus vices gerebat in terris, ut Hæreticorum fraudes, Turcarum feritates, & Hebræorum perfidias destrueret, dissiparet, evelleret. Siquidem nè sacrum Ovile invaderent lupi, nè vineam Domini demolirentur vulpes, nec laboribus, nec orationibus ullo unquam tem-

tempore pepercit; paratus etiam pro ovibus suis animam ponere, Deo cooperante, qui contulit dignitatem, ac Servi sui Sanctitatem miraculis, & signis dignatus est palàm omnibus aperire. His longâ disceptatione ritè comprobatis, censeo, Beatum Pium, si Sanctitati Vestræ placuerit, inter Sanctos Pontifices recensendum, ut quem Mater Ecclesia Pastorem habuit in terris, Intercessorem habere mereatur in Cœlis.

CAROLUS Maigrot Episcopus Cononensis Assistens.

SIngulari, BEATISSIME PATER, Divinæ Providentiæ beneficio factum est, ut quo tempore in Romanam Ecclesiam Hæretici vehementiùs inveherentur, suscitaverit sibi Deus fidelem Pontificem, Beatum Pium, qui Petri Fidem & Cathedram, ab injuria, non modò Sedis authoritate, sed & vitæ splendidiori sanctimoniâ vindicaret: quo vitæ sanctioris splendore, cum Apostolica auctoritate conjuncto, vir potens opere & sermone, oppugnatam in omnibus penè Europæ partibus Christi Sponsæ castitatem invictè tuitus est; Orbique Christiano, & ejus præcipuè Pastoribus, sapientiâ, ,consilio, Episcopali fortitudine, omni virtutum gloriâ præluxit. Æquum est, BEATISSIME PATER, spectatque ad Apostolatûs vestri dignitatem, ut lucem hanc splendidam, quam nec umbra mortis obscurare potuit, denuò ponat Sanctitas vestra supra Candelabrum; ut quæ non ita pridem in speculæ Pastoralis fastigio collocata, quasi Columna ignis Castra filiorum Israël collustravit, nunc sublimiùs inter splendores Sanctorum evecta, fulgoris sui radios, latiùs, uberiùsque diffundat: Cæcos illuminet, errantesque reducat ad veritatis & justitiæ semitam; Ecclesiæ Pastorum, pro Domo Dei, zelum accendat, Clero universo speculum exhibeat disciplinæ, formamque Sanctitatis; Sacræ verò Familiæ, quæ tam eximium, tamque necessarium turbulentis hisce temporibus, lumen Ecclesiæ suppeditavit, novo sit incitamento, ad viros, uti jam inde à pluribus sæculis facere non cessat, eruditione & virtute fulgentes alendos in Religionis Christianæ præsidium & ornamentum.

BERNARDUS MARIA de Comitibus Episcopus Terracinensis Assistens.

DE Canonizatione Beati Pii V. Sanctitatis Vestræ gloriosissimi Prædecessoris verba facturus, BEATISSIME PATER, non meis, sed aliorum verbis utar; Insignis videlicet Theologi Dominici Gravinæ in suo Opere de Catholicis Præscriptionibus; hic enim ita loquitur: *Si ad finem deducatur Canonizatio Beati Pii V., quanta Romanorum Pontificum gloria erit habere Prædecessores tantæ Sanctitatis? Quantâ confusione, & pudore Hæretici perfundentur, cùm deprehendent hos potestate, & Majestate Pontificiâ decoratos sanctimoniæ vitam tantâ cùm claritate conjunctam, virtutibus Humilitatis, Charitatis ornatam? Confundentur, & Imperio Romani Pontificis subdi magìs urgebuntur, quandò ejus Nomini ritus annui, & festa celebrabuntur.* Hactenus Dominicus Gravina. Finis ergo huic negotio tantâ maturitate jam pertractato per Sanctitatem Vestram est imponendus.

PROSPER Marefuscus Episcopus Cyrenensis Assistens.

PLaceat, BEATISSIME PATER, Sanctorum numero adscribere Beatum Pium, quem placuisse Deo, & Virtutes, & Miracula testantur: Adolescens ad Fratrum Prædicatorum Ordinem divinitùs vocatus, ibique literis imbutus, futuræ Sanctitatis specimen dedit: Mox eum ad sublimiorem Virtutum gradum elatum, non authoritas in Episcopatu, non amplitudo in Cardinalatu, non in Pontificatu Majestas ab incœpta vitæ sanctimonia deflexit; sed, quò majori dignitate exteriùs præfulsit, eò interiùs sanctiorem illum ostendit, restituendæ disciplinæ Ecclesiasticæ studium, & in tuendis Ecclesiæ juribus labor, & Fidei amplificandæ Apostolica solicitudo. Quæ omnia Virtutum incrementa, Miraculis à Deo comprobata, ad apicem Canonizationis evecta, uniformitatem mentis Sanctitatis Vestræ beneplacito supernæ Electionis, & Terris testabuntur, & Cœlis.

Տէր Մատթէոս կաթուղիկոս որդի սանուկպայն Պետրոս կոստանդնուպօլսոյ.

Մեծապատուէ որպէս քո սրբութիւն չէ պակաս առ յիս այլ առմեզ եպիսկոպոսաց յարուեցելոյն հայրցանել դմա կարեէք. վա սրբացուցանելոյ դերանեալն փիո քուեն թն էն նշանաւոր իւր չորոնք եղեռացու իմեք մեծ չարհաց աշխարհի պահել անբողջ իւր խղճմտանք էր օրինակ իւր մեծունելն. վա այս ամեն յայտնեաց իւր սրբութիւն առհրաշիւք դատեմ պատշաճաւոր որ գինքն քո սրբութիւն սէ առնէ վա այն սրբի այամ եւ այամ էկեղեցոյ լինի պայծառն բէր գլուխ եկեղեցեաւս.

MAT-

MATTHÆUS Sanuchbalì Patriarcha Constantinoplitanus Nationis Armenæ.

BEATISSIME PATER, Magno profectò Sanctitas Vestra prosequitur honore me, cæterosque Consocios Episcopos Orientales, cùm nostram de Beati Pii V. Canonizatione postulat sententiam. Porrò fuerunt illius Virtutes heroicæ, mediasque inter Dignitates, & sæculi fastus potuit transgredi, & non est transgressus. Pretiosâ occubuit morte, & cum Deo placuerit manifestam facere illius Sanctitatem, congruum est, ut Sanctorum fastis adscriptum utraque veneretur Ecclesia, & quæ illum, dum viveret, Pastorem habuit in Terris, Intercessorem habere mereatur in Cœlis.

Ονούφριος Κωνσταντῖνος Μητροπολίτης Δεβρῶν, καὶ Ἔξαρχος Δευτέρας Μακεδονίας.

Περιττὸν νομίζω (μακαριώτατε Πάτερ) προστεθῆναι τι εἰς αἶνον τοῦ μακαρίου Πίου τοῦ ποτε ἄκρου ἀρχιερέως, καὶ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας προστάτου, ὁδηγοῦ καὶ ἀξιεπαίνου Ποιμένος· ἐπειδὴ καὶ παιδόθεν ἀπὸ πρώτης ἡλικίας ἕως ἐσχάτης ἀναπνοῆς ἐφάνη ἅγιος, εἰς ἀεὶ ἁγίων ἔργα ὢν ἐνεργῶν καὶ πράττων. Ὅσον πάλιν διὰ τὰ ἔθη, ὢν πρᾶος, ταπεινὸς, ἐλεήμων, δίκαιος· ἐξόχως δὲ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ζηλωτὴς καὶ ὑπέρμαχος κατὰ τῶν βλασφήμων αἱρετικῶν. Διὰ τοῦτο ἐγὼ ὁ ἐλάχιστος τῶν ἐπισκόπων ἀποφαίνω (εἰ τῇ σῇ μακαριότητι δοκεῖ) αὐτὸν τῷ χορῷ τῶν ἁγίων ἀσφαλῶς συγγραφθῆναι, ἵνα σχῶμεν αὐτὸν ἐν οὐρανοῖς ὡς ἄλλον βοηθὸν, καὶ ὑπερασπιστήν.

ONUPHRIUS CONSTANTINUS Dibrarum Metropolita, & Inferioris Macedoniæ Exarchus.

SUperfluum puto (BEATISSIME PATER) laudationis ergo aliquid adjungi posse circa Causam Sanctificationis Beati Pii quondam Summi Pontificis, & Catholicæ Ecclesiæ Defensoris, Moderatoris, & omni laude dignissimi Pastoris, quùm à pueritia, nempè primo ætatis flore, usque ad extremæ vitæ respirationem visus sit sanctus semper, sanctè operans, & miraculis illustris. Quod autem ad mores attinet, erat lenis, humilis, miserator, justus; & principaliter propugnator contra blasphemos Hæreticos, zelo ardens. Quapropter ego, ut infimus Episcoporum affirmo (Si Sanctitati Vestræ videbitur) ipsum inter Sanctorum numerum tutò posse referri, ut in Cœlis alium Patronum, & protectorem gratiosè habeamus.

ܒܣܝܠܝܘܣ ܐܝܣܚܩ ܡܝܛܪܦܘܠܝܛܐ
ܕܢܝܢܘܐ ܗ.

ܒܐܪܒܥܐ ܐܣܟܡܝܢ ܐܪܒܥ ܡܫܡܫܢ ܚܝܠܐ ܘܐܬܝܗܪ : ܐܝܟ ܠܗܘܢܐ ܕܢܗܝܪ ܦܛܪܝܪܟܐ ܕܪܘܡܐ ܢܨܚ. ܒܕܝܪܝܘܬܐ ܘܩܫܝܫܘܬܐ ܘܩܪܕܢܐܠܘܬܐ ܘܦܛܪܝܪܟܘܬܐ : ܐܪܒܥ ܡܘܗܒܢ ܡܢ ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ. ܒܬܨܒܝܬܐ ܐܝܟ ܐܠܝܐ ܬܫܒܝܐ ܗܘܐ ܡܒܪܟ : ܩܡܚܐ ܐܝܟ ܕܠܐ ܢܚܣܪ ܐܦ ܡܬܢܒܝܢܐ ܐܬܢܒܝ. ܘܐܝܟ ܡܕܒܪܢܐ ܘܪܒܘܬܐ ܡܠܦܢ ܐܢܗܪ. ܠܥܕܬܐ ܡܠܦܢܘܬܗ ܠܗ ܦܘܩܕܢܐ ܡܢ ܩܕܡ ܗܘܐ ܘܐܦ ܗܫܐ ܘܐܦ ܠܡܦܝܣܘܬܐ ܕܟܠܗ ܥܕܬܐ. ܢܒܥܐ ܠܟܠܢ ܫܠܡܐ ܕܡܠܟܘܬܗܘܢ ܘܢܦܩ ܠܢ ܘܢܒܥܐ ܘܢܗܘܐ ܡܢܗ ܫܝܢܐ ܐܦ ܠܥܡܡܐ ܡܢ ܫܥܒܕܘܬܐ ܘܚܐܪܘܬܐ ܕܡܕܢܚܐ.

BASILIUS ISAAC Archiepiscopus Ninives.

IN quadruplici statu, Religionis scilicet, Sacerdotii, Cardinalatûs, & Pontificatûs, Beatus Pius Summus Pontifex clarissimè enituit: Quatuor etiam donis à Spiritu Sanctitatis est decoratus; Tamquam alter Thesbites benedixit farinæ nè deesset, prophetico Spiritu Turcarum prædixit excidium, Ægrotos, & Paralyticos incolumes reddidit, utque Pastor Summus, & Doctor eximius illustravit Ecclesiam. His olim examinatis in Sacrorum Rituum Congregatione Clemens X. Summus Pontifex inter Beatos illum descripsit; nunc iterum exactè discussis ad solennem ejus Canonizationem deveniri posse Orientalium natio existimat, Vestramque Beatitudinem enixè rogat, BEATISSIME CLEMENS, spem sibi faciens totius Ecclesiæ pacem, Regum concordiam, Principum tranquillitatem, & Orientis libertatem ab Othomannica tyrannide consecuturam.

ܒܣܝܠܝܘܣ

ܓܪܝܓܘܪܝܘܣ ܝܫܘܥ ܡܝܛܪܦܘܠܝܛܐ ܕܐܘܪܫܠܡ .

ܩ̈ܕܝܫܐ ܡܫܪܪܝܢ ܗܝܡܢܘܬܢ . ܘܠܐ ܐܝܬ ܐܚܪܢܝܢ
ܕܡܫܪܪܝܢ ܫܪܝܪܘܬܐ ܗܝ ܕܬܘܕܝܬܐ . ܘܡܘܟܚܢܐ
ܕܡܠܟܝ ܡܫܝܚܐ . ܠܡܪܢ ܦܛܪܘܣ ܫܠܝܚܐ .
ܒܥܝܬ ܐܢܐ ܥܠܝܟ ܕܠܐ ܬܚܣܪ ܗܝܡܢܘܬܟ
ܟܕ ܐܝܬ ܫܪܝܪܐ : ܕܗܢܐ ܦܝܘܣ ܚܡܝܫܝܐ ܦܛܪܝܪܟܐ
ܕܡܛܠ ܢܟܦܘܬܐ ܕܝܠܗ ܘܕܒܪܬܐ ܕܥܒܕ̈ܐ
ܕܡܦܪܫܝܢ ܠܗ ܩܠܝܡܝܣ ܥܣܝܪܝܐ ܒܡܢܝܢܐ
ܕܛܘܒܢܐ ܘܠܐ ܡܬܚܫܒ ܩܕܡ ܐܠܗܐ
ܕܐܢܬ ܐܒܐ ܛܘܒܢܐ ܒܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ
ܦܩܕܬ ܠܡܟܬܒܗ ܒܡܢܝܢܐ ܕܩܕ̈ܝܫܐ
ܘܟܕ ܐܝܬ ܠܝ ܫܪܪܐ ܕܟܢܘܫܬܐ ܕܥܝܕ̈ܐ
ܕܚܫܚܬ ܥܠ ܥܒܕ̈ܘܗܝ ܘܐܬܘܬܗ ܐܝܟ ܕܘܠܐ .
ܐܦ ܗܫܐ ܒܥܐ ܐܢܐ ܡܢ ܩܕܝܫܘܬܟ ܕܬܦܩܘܕ
ܕܢܬܝܗܒ ܠܗ ܐܝܩܪܐ ܕܡܬܘܠ ܠܩ̈ܕܝܫܐ
ܘܫܡܝ̈ܢܐ . ܘܗܘܐ ܦܘܝܐܣܐ ܠܡܗܝܡܢ̈ܐ
ܘܫܘܒܚܐ ܠܟܘܪܣܝܐ ܫܠܝܚܝܐ . ܘܬܫܒܘܚܬܐ
ܠܥܕܬܐ ܩܬܘܠܝܩܝ . ܘܬܘܕܝܬܐ ܠܐܠܗܐ :.

GREGORIUS JOSUE Archiepiſcopus Hieroſolymitanus Nationis Syriacæ.

SAncti Fidem noſtram promoverunt, multiſque modis confirmarunt: nec ullum ad veritatem Religionis noſtræ probandam, aut aptius, aut validius afferri poteſt argumentum, quàm ejuſmodi Viros in Eccleſia Dei, per omném ſæculorum decurſum, ſemper extitiſſe. Quod quidem Chriſti ad Petrum effati, *Oravi pro te*, perpetua explicatio eſt. Cùm igitur certiſſimum ſit, Pium V. Papam, ob ſpectatam ipſius pietatem, & veram Chriſtianarum Virtutum praxim, à Clemente X. in numerum Beatorum jure & meritò relatum fuiſſe: non dubium etiam, quin Tu, PATER BEATISSIME, afflatu divino excitatus, eundem in Sanctorum Albo inſcribendum juſſeris: Cùmque perſuaſum habeam, Sacram Rituum Congregationem, tum in ejus dictis, factiſque, & miraculis perpendendis, examinandiſve, tum in aliis omnibus, ad tale opus requiſitis, omnimodam curam, atque diligentiam adhibuiſſe, non poſſum non rogare iterum atque iterum Sanctitatem Tuam, ut per Te, Summo huic Pontifici, ad Fidelium ſolatium, & exemplum, ad Sedis Apoſtolicæ decus, & præſidium, & ad totius Eccleſiæ gloriam, & ornamentum, cultum Cœlicolis debitum, exhiberi liceat.

JOANNES De Lerma Archiepiſcopus Sipontinus.

EXimiæ, & ſupra humanam conditionem Virtutes Beati Pontificis Pii, quibus reddidit juſtus Judex Dominus coronam gloriæ, ita ſimul in Eccleſiæ militantis beneficium collimarunt, ut æquo à nobis jure meruiſſe videantur venerationem, & cultum. Nam, quod poſthabito vitæ mortalis diſcrimine, alter Eleazarus, tum Bergomi, tum Noviocomi, (nè diſſimulato quidem Religioſæ militiæ, cui nomen dederat, ſago) jura Fidei egregiis facinoribus aſſeruerit, non modò impenſi erga triumphantem Eccleſiam ſtudii, quàm noſtræ propugnationis argumentum fuit. Non mirum proindè, quod eâdem animi conſtantiâ poſtquam à Clauſtris ſui Ordinis, velut è ſanctiore palæſtra, ad imperium univerſæ Eccleſiæ reluctans accitus eſt, Religionis ſigna propagaverit, & præcinctus virtute ad bellum, confregerit potentias, & ad nihilum deduxerit inimicos noſtros, & quod proſtratis viribus Thraciæ deſolantis hæreditatem Domini in vaſtitate hoſtili, Spectator mentis exceſſu fuerit relatæ victoriæ, quam ſuo ſimul, ac Divino conſilio, collatiſque cœleſtibus, & humanis viribus paraverat: quam à Deo effuſis precibus meruit: quam nos illi debemus. Hinc æquiſſimum cenſeo, ut iiſdem Aris colendus imponatur, quibus inſtitit lacrymis, & votis pro Religionis noſtræ ſoſpitate. Quod quidem hactenus uſque dilatum opus, tibi fortaſsè ſupernâ diſpoſitione reſervatum eſt, BEATISSIME PATER, qui emeriti Prædeceſſoris chariſmata meliora æmularis, communemque ſpem foves, fore ut ejuſdem Beati ſubſidio è cœlis Chriſtianæ Reipublicæ felicitas inſtauretur in terris.

Խնդրող երես հնազանդադոյնեղ ծառայ
ՍԲ եկեղեցւոյն հռոմայ ՄԻՆՉ
գրիգոր Արքեպիսկոպոս
եդեսիւոյ.

Խնդակցիմ խնդաւն մերքն յերկինս, յոր ժամ զնորամուտ հիւրն ընկալնուն յօթևանս իւրեանց։ Ուրախակիցք լինին ընդ մեզ, յորժամ խառնի ոք 'ի թիւն մերոց։ Սոյնպէս երանելին փիոս հինգերորդ, փախին հռոմայ, յաւելացոյց զբազմութիւն սրբոց յաղթող երուսաղէմին, եւ նոյն ինքն բազմացոյց զթիւն երանելեաց պատերազմող եկեղեցւոյն. Արդ հեաւ այնքան են առաքինութիւնք նր, եւ այնպիսիք շնորհք նր, ով իսկ, զինչ բազմոյոյզ քննութե յայտնի եղեւ, վասն որոյ այժմ խնդրեմ 'ի քէն երանելի հայր, զի դասեսցես զնա յերամակս սրբոց, զի յաւելցին փառք նց յերկինս, եւ յաւելցի եւս 'ի վր յերկրի յեկեղեցւոյ շուք պատիւ եւ պաշտպանութի.

GREGORIUS Archiepiscopus Edessæ.

Beatissime Pater, Gaudent in Cœlo Sancti, cùm novum recipiunt hospitem, nobisque gratulantur, cùm solennis fit alicujus Sancti Canonizatio. Beatus Pius V. Sanctorum numerum auxit in Ecclesia Triumphante, idemque ampliorem fecit numerum Beatorum in Ecclesia militante; Tot ergo, tantisque comprobatis illius Virtutibus, illum Beatitudo Vestra Sanctorum Fastis adscribat, ut his gloriam, Ecclesiæ verò decus augeat, & tutelam.

Ես յովակիմ արք եպիսկոպոս էջմիածնայ
այս վերոյ գրեալն կու հաստատեմ.
այս իմ ձեռացս գիրսէ.

Երանելի Հայր. ըստ բարեպաշտ եկեղեցւոյ սովորութիւն, եւ զկարգադրութիւն համաձայնելով վարկեմ զոլ արժան, եւ իրաւ զի սրբութի քո կարգեսցէ զերանելի փիո քուինթն 'ի կարգս սրբոց. զիւր շնորհալութիւն եւ զիւր հրաշքն են չափաւոր փոր ձած որ չափ որ հարկաւորէ. 'ի յայս դատաստանութիւն. եւ այս պարտէ որ երեւի 'ի համարս սրբոց. մեկ որ 'ի ժամանակի ոչ անծանօթ 'ի մեզանէ էր գլուխ երեւելի այս եւ այնմ եկեղեցւոյ.

JOACHIM Armeniæ Majoris Archiepiscopus.

Beatissime Pater: Sacrosanctæ Ecclesiæ moribus, & Institutis inhærens, æquum censeo, ut Beatitudo Vestra Sanctum declaret Beatum Pium V. De illius virtutibus, & miraculis sufficientissimæ præcesserunt probationes, ut necesse est in hoc judicio. Quocirca maximè decet, ut inter Sanctos Vir hic videatur adscriptus, qui nostrâ ferè vixit tempestate, & fuit utriusque Ecclesiæ visibile Caput.

Ես Յովհ. Մեծ Հայաստանեաց արքեպս կեսարիու
պղատինոյ ձեռամբ իմով գրեցի.

Արժանի է չափաւորապէս ով երջանկափունեղ հայր. զի 'ւցես վերապատուցիջ. 'ի յեկեղեցեցւոյ այնք որք իւրեանց առաքինութիւնքն զարդարեցին զնոյն եկեղեցին. Երանեցեալն փիուս Ե երրորդն զի ով էր գերազանցագունեղ 'ի վր համայնից հաւատացելոց հայրապետական արժանապատուութեամբ. Եւ զահիւ, այսպէս եւս յառաջեաց զնոսին բարի օրինակօք առաքինութե. Գերաբարձր արժանաւորութի սորա ոչ եղեւ փոքրագոյն քան զսրբութիւն իւր. Եւ ոչ ամենաբարձր սրբութիւն. սորա նագոյն քանզարժապատուութիւն. Հաճեսցի ուրեմն սրբութի քո համագրել ընդ սբս. զայն զոր ունիմք այժմ բաստաքան 'ի յերկինս. որ եղեւ 'ի յերկրի հայր հասարակաց.

ANASTASIUS Cæsareæ in Palæstina Archiepiscopus.

Congruum est, Beatissime Pater, ut in Ecclesia honorentur, qui suis Virtutibus eandem illustrarunt. Beatus Pius V. sicuti cæteris Fidelibus antecessit dignitate, ita præ cæteris excelluit exemplo Virtutum, nec Dignitas Sanctitate, nec Sanctitas Dignitate fuit inferior. Tuum est, Beatissime Pater, nobis dare, ut quem communem Patrem habuimus in terris, nunc strenuum in cœlis habeamus advocatum, cùm inter Sanctos adscripseris.

JOSEPH Crispinus Episcopus Amerinus.

Beatus Pius V., Beatissime Pater, exultavit ut gigas ad currendam viam. In mari hujus seculi, nè mergeretur, ad portum, ad Ordinem scilicet Religiosum exemplis, doctrinis,

ctrinis, & zelo Fidei in Ecclesia Dei coruscantem, properavit, in quo celeri cursu ad perfectionem tetendit: Ut ad majora cursum extenderet; ad statum perfectionis acquisitæ assumptus, ministerium suum implevit. Ad Eminentissimum, & altioris perfectionis Ordinem promotus, illum auxit Decore, & Lumine. Ad summum Apostolatus apicem exaltatus, tamquam Sol, radios Sanctitatis suæ emisit per omnia Regna mundi; & utì Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, cunctas illustravit Ecclesias. Tandem consummato cursu, repositam sibi Coronam justitiæ accepturus, evolavit ad Cœlum. Et quoniam sententia Innocentii III. est, ut in Canonizatione Sanctorum duo concurrant; Opera pietatis in vita; & Miracula post mortem: Utraque verò ritè examinata in Beato Pio Sanctitas Vestra probavit. Completa sunt omnia. Nil superest, nisi ut indicta oratio cum jejunio fiat sinè intermissione ab Ecclesia ad Deum, ut Sanctitas Vestra afflata Spiritu Sancto Beatum Pium numero Sanctorum adscribendum esse decernat: Et sic, junctâ pietate cum Clementia, Author Sanctificationis, qui fecit utraque unum, & Domus supernæ, & infimæ utrumque junxit angulum, per intercessionem S. Pii Papæ, & Confessoris in Cœlo, & per Apostolatum Sanctissimi Clementis in terra, Ecclesiam militantem in tempore, jungat Ecclesiæ triumphanti in æternitate.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

TIMOTHEUS Carnuch Episcopus Mardinensis.

CUm una sit, BEATISSIME PATER, sub una in Deum Fide, & sub uno Capite invisibili Christo, & visibili Romano Pontifice Ecclesia; non immeritò Orientales cum Occidentalibus concurrimus ad referendos in Sanctorum numerum religiosos Viros, quorum gesta utrosque exornant, quorum gloria in utrosque cedit, quorum patrocinio utrique fruimur. Id maximè in Romanis Pontificibus locum habet, qui speciali jure ad utramque Ecclesiam spectare dicendi sunt, cum utrique, Vicariam Dei hominis potestatem in terris gerentes, præsideant. Beatum Pium V. Summum Pontificem omnibus Sanctitatis dotibus insignitum fuisse, virtutes, & miracula satis comprobarunt. Quid ergo superest, BEATISSIME PATER, quàm ut inter Sanctos in utraque Ecclesia celebretur, qui in Romana Sede, veluti Lucerna super Candelabrum posita, ita refulsit, ut Orientem simul, ac Occidentem illustraverit?

[illegible]

[illegible]

GEORGIUS Benjamini Episcopus Edenensis.

DIscussis in Sacrorum Rituum Congregatione, & approbatis, BEATISSIME PATER, tam virtutibus, quàm miraculis Beati Pii V. Summi Pontificis, existimarem, si Sanctitati Vestræ placuerit, ad solennem Canonizationem deveniri posse. Id enim exigere videtur Divini Numinis gloria, quæ in Sanctis ampliatur: id poscunt hujus Beati merita, ut cunctis Fidelibus & innotescant, & imitanda proponantur: id postulat Sancta Mater Ecclesia, ut quem Principem sortita est in terris, hunc se Protectorem habere gaudeat in cœlis: id denique enixè rogat cuncta Orientalium Natio, ut Turcicam tyrannidem, sub qua gemit, ejus patrocinio tandem excutiat, qui, Selimo Turcarum tyranno devicto, eam miseris spem fecit, ut plenam aliquando libertatem se consequuturos lætati fuerint.

[illegible]

[illegible]

ܐܚ̈ܝ ܐܘܪܚܐ ܕܡܘܬ ܘܫܘܒܚܗܘܢ ܕܩܕܝ̈ܫܐ
ܘܪܘܚܐ ܡܠܟܘܬܗܘܢ ܕܫܠܝܚ ܦܛܪܘܣ ܘܦܘܠܘܣ
ܠܗ ܡܥܡܘܕܝܬܐ ܘܠܐ ܐܬܚܙܝ. ܐܦ ܐܢܐ ܡܣܟܢܐ ܕܠܐ ܐܢܐ
ܕܫܘܬܦܘܬܗ ܕܢܬܡܢܐ ܥܡ ܩܕܝ̈ܫܐ ܘܡܒܪ̈ܟܐ
ܕܡܫܝܚܐ.

ATHANASIUS Safar Episcopus Mardinensis Syrus.

BEATISSIME PATER: Expensis diligenter, quæ de Beato Pio V. ex Ordine Fratrum Prædicatorum Pontifice Maximo circumferuntur, mirabilibus, tam virtutibus in gradu heroico, quàm miraculis; Virtutibus quidem, quæ in omni statu, & gradu conditionis, ac muneris, per quem ille ad supremum in Orbe Christiano Dignitatis apicem ascendit, æquè constantes permanserunt, atque incorruptæ, ita ut nec in infimo fuerint infirmæ, nec in supremo inflatæ; Miraculis autem, quorum dimissis pluribus, id unum, si tamen unum, sufficiat commemorare, quo Selimi Turcarum Tyranni confracta superbia, & Christianorum vindicata securitas; censeo illum Sanctorum numero meritò adscribendum, pro quo, & Sanctitati Vestræ humillimè supplico.

Fr. OCTAVIUS Spader Episcopus Assisiensis.

BEATISSIME PATER: Deus Optimus Maximus Ecclesiæ suæ dedit Pontificem Pium; qui foret, ut de Probo Vopiscus ait, *sui Nominis Vir*. Constat hæc veritas è suæ vitæ historiâ; ut non immeritò pro Fratre Michaële vocaretur S. Bernardinus. Utriusque summum decus. Jam verò, Michaël, Bernardinus, Pius exhibuit se dignum elogio Bernardi ad Eugenium: *Primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus*. Et post hæc omnia gloriosus in Cœlis cum Christo, sicutì signa Divina plura testificantur. Magnum ergo est, fuisse dignum Pontificatu; at majus, dignè gessisse; maximum autem de Sanctissimo Viatore Sanctum evasisse Comprehensorem. Quod ut dignetur Sanctitas Vestra sancire, nedum humiliter suadeo, sed suppliciter obsecro.

MARCUS ANTONIUS Chenevix Episcopus Minervinensis.

NOn omnes justi, qui in perpetuum vivunt, BEATISSIME PATER, in hoc seculo, Sanctorum Fastis adscribendi sunt, sed ii tantùm, qui huic seculo adeò mortui fuere, ut soli Deo, & animarum saluti vixerint; & quorum vitam heroicæ virtutes, & signa certissima testata fuerint, & accurata discussio comprobaverit. Seculo decimosexto, quo portæ inferi adversùs Ecclesiam Dei undequaque prævalere contendebant, Beatum Pontificem Pium, nomine Quintum, hujusmodi vitam duxisse, & nè prævalerent, totum fuisse, & summoperè profuisse, repetitæ perquisitiones, & probata miracula, patefaciunt. Propterea mihi persuasum est, Beatum Pium, jam Christi Vicarium, à Christi Vicario in Sanctorum Catalogum esse referendum; nam sic ejus declarata Sanctitas ponetur ut lucerna super Candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, Secularibus, Regularibus, Episcopis, Cardinalibus, & Summis Pontificibus.

VICTOR FELIX Coucci Episcopus Fundanus.

BEatissimus & re, & nomine Pius numero Quintus pietate nulli Summo Pontifici secundus, noscens se esse hominem, Regulari Vitæ mancipatus se ferè Angelum ostendit; Vitam enim, BEATISSIME PATER, heroicis virtutibus, continentiâ, humilitate, obedientiâ, oratione, contemplatione, ferventissimâ charitate apprimè ornatam duxit: præ omnibus verò Pii fortitudo in Fide propugnanda, & in hæresi extirpanda cum vitæ manifesto discrimine non solùm in Religiosa Familia, sed in Episcopatu, in Cardinalatu, imò, & in Pontificatu maximè enituit, & tum præcipuè, cùm, Turcis Christianos infestantibus, accepit armaturam zelus illius, & armavit Creaturam ad ultionem inimicorum: & Potentibus seculi Ecclesiæ jura perturbantibus, induit pro thorace justitiam, & accepit pro galea judicium certum, sumpsitque scutum inexpugnabile æquitatem, quibus semper invictus triumphavit. Accedentibus igitur miraculis, & nunquam interruptâ famâ sanctitatis, Beatissimum Pium in Sanctorum Albo describendum censeo, ut in præsentibus Christianitatis anfractibus Universæ Ecclesiæ novus Patronus inter Cœlites superaddatur.

ALE-

ALEXANDER De Calvis olim De Organis S. Severini Episcopus.

BEATISSIME PATER: Maximi, ac Beatissimi Pii hoc nomine Quinti eximia Sanctitas, virtutibus undequaque clarissimis decorata refulsit; Regularis disciplinæ observantiâ, & rigidissimâ vivendi consuetudine, quas Dominici Familiæ addictus exercuit, nequaquam prætermissis, prius ad Episcopalem, postea ad Cardinalitiam, deindè verò ad Pontificiam Dignitatem ascendit; Apostolici Principatus pertractando negotia summam adhibuit solicitudinem, & Ecclesiastica Jura, ipsius quoque vitæ intercedente discrimine, acerrimè propugnavit. Inito cum Christianis Principibus fœdere, adversùs Selimum Turcarum Tyrannum, celeberrimam reportavit in Navali pugna victoriam, illamque vix obtentam, Divini Numinis afflatu, Sanctissimus Princeps accepit. Semper admirabilis Deus in Sanctis suis, tanti Pontificis sanctitatem miraculis præclarissimis à Sacr. Rituum Congregatione comprobatis illustravit; Idcirco, dum Pius stat hodie in Cœlis ante Thronum Dei, censeo illum inter Venerabilia Sanctorum nomina connumerandum in Terris.

ONUPHRIUS Elisei Episcopus Balneoregii.

BEATISSIME PATER: Summus Pontifex Pius in omnibus viis, & operibus suis Sanctus fuit. In seculo purus, & immaculatus per mundi voluptates impolluto calle transivit. In Claustro Religiosus, Ordinis sui Regulas, sanctionesque diligentissimè servavit; In Episcopatu prudens, & humilis, ad animarum salutem sedulò, ac eximiâ charitate incubuit. In Cardinalium cœtu doctus, & præclarissimus, ardua Religionis, & disciplinæ Ecclesiasticæ negotia sapienter pertractavit. In suprema tandem Petri Cathedra Zelotes, & vigil, Ecclesiæ, & Sanctæ Sedis jura constanti animo fortiter vindicavit: infensissimos Hæreticorum conatus repressit; Orthodoxæ Fidei lumine Hæreticos, Hebræosque quamplures illustravit: ac omnium indigentias summâ vigilantiâ sublevavit, Exemplar virtutum omnibus factus, & tanquam lucerna splendens super Candelabrum. Quare censeo, ut Pius ille, qui vivens omni studio, Sanctorum Virorum virtutes, in gradu heroico coluit, defunctus nunc in Sanctorum numero referatur.

SERGIUS Pola Episcopus Famagustanus.

CUm de Beati Pii V. Pontificis Maximi virtutibus, & rectè factis pronunciare debeam, consentaneum est, BEATISSIME PATER, ut verbis Ecclesiastici utar: *Ecce Sacerdos Magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est Justus*. Placuit siquidem, quia fecit semper, quod erat placitum coram Domino. Si enim illum Regularem observantiam profitentem inspiciamus, quis unquam adeò sancti propositi tenax fuit? Si universæ Ecclesiæ Clavum regentem, quis unquam illo in dignitate modestior, in pauperes effusior, in periculoso Magistratu administrando fidelior, atque robustior? Placeat ergo Christi Vicario, qui tantum placuit Deo, præsertim, cùm in hac temporum difficultate ab ipso sperandum sit, fore ut, sicut in diebus mortalitatis suæ placuit Deo, ita in tempore iracundiæ fiat reconciliatio.

FABIUS De Mancinfortibus Episcopus Eugubinus.

BEATISSIME PATER: Non sinè maximo mentis stupore legi, aut audiri possunt, quæ pro militantis Ecclesiæ agro colendo, expurgando, tuendo viriliter gessit Beatus Pius hoc nomine Quintus, cùm non minùs augendis virtutum, ac bonorum operum fructibus assiduus adlaboraverit, quàm evellendis falsorum dogmatum, ac vitiorum zizaniis totus incubuerit, persequens iniquos invicto semper animo, sive Cœnobita, sive Episcopus, sive in amplissimum S. R. E. Cardinalium Collegium cooptatus, sive ad Supremi Pontificatus apicem evectus. Quamobrem dignum planè est, ut Sanctitas Vestra talem, ac tantum Orthodoxæ Fidei Heroem, cæteris etiam virtutibus coruscantem, ac miraculis clarum in Sanctorum Albo reponat.

JOSEPH Guerra Episcopus Alatrinus.

BEATISSIME PATER: Tot, tantarumque virtutum in heroico gradu exercitarum à Beato Pio V. Summo Pontifice, itemque Miraculorum, quæ in brevi ejus Vitæ enarratione congesta sunt, ponderi equidem magno insistere prætermitto, dum, ut in sententiam eam pro ejusdem Beati Pii Canonizatione in Sanctorum Albo scribendi, satìs esse reor considerare, quæ pro tuenda Orthodoxa Fide ab Adversantium insidiis, ipsâque

que propagandâ toleravit. Non ſolers curas, non indefeſſus labores omiſit, non invictus vitam pluris fecit hoc maximo negotio, quod, cùm Dei majorem gloriam, Proximorum, & Ovium creditarum ſalutem reſpiciat: profectò perfecta Charitas in eo eluxit, quæ cunctis virtutibus major eſt, & illarum Regina. Quamobrem, ſi Sanctitati Veſtræ ita placuerit, me eſſe in voto profiteor pro ſolenni Beati Pii Canonizatione perficienda.

JOANNES BAPTISTA Baſſi Epiſcopus Anagninus.

BEATISSIME PATER: Exactiſſima Beati Pii V. diſciplinæ Regularis obſervantia, aſſidua Vitæ ſpiritualis exercitatio, imperterrita adversùs Hæreticos conſtantia, ac dilatationis Catholicæ Fidei ſtudium; In regendis deindè Eccleſiis Nepeſinâ, & Montis Regalis pietas cum juſtitia conjuncta, liberalitas in pauperes, humilitas invicti animi fortitudine adjuta in tuendis juribus Eccleſiæ; In arduiſſimo Pontificatûs miniſterio vigilantia, cæteræque virtutes in gradu heroico comprobatæ, tot, tantiſque miraculis nobilitatæ, jure ac meritò expoſcunt, ut inter Sanctos Confeſſores Pontifices ſolenni ille ritu adſcribatur, meumque tot aliis licèt infimum ſuffragium, quinimmò humillimas ſupplicationes, demiſſiſſimè adjungere non omitto.

VINCENTIUS Vecchiarelli Epiſcopus Sutrinus, & Nepeſinus.

BEATISSIME PATER: Non tantùm utì ſuffragator, expenſis egregiis virtutibus, & miraculis Pontificis Beati Pii V. verùm ſic efflagitante Sutrinæ,& Nepeſinæ Diœceſum devotione, quæ tantum virum meruerunt habere Antiſtitem, ac ejus modò venerantur reliquias, ut humillimus etiam precator accedo; Fidem enim in Baptiſmo ſuſceptam idem Beatus Pius integram ſervavit, illiuſque propagator, & acerrimus propugnator fuit; Spes ejus tota fuit ſemper in Deo; Charitatem erga Deum, & Proximum toto corde, & opere complevit, maximam liberalitatem erga Pauperes exercuit, adeòut pro neceſſariis ſibi ſumptibus tantùm pecuniam retinuerit. Triplicem prudentiam Monaſticam, Oeconomicam, & Politicam, quâ ſe, Urbem, & Orbem tot Sanctiſſimis Conſtitutionibus moderatus eſt, ſervavit. Juſtitiam diſtributivam, commutativam, & vindicativam implevit; fortitudinem, admirabilem patientiam, temperantiam, ſobrietatem, cum ſumma vitæ auſteritate, ac virginalem florem coluit; continuum orationis ſtudium, ac obedientiam, dum ſubditus fuit, non omiſit; humilitate excelluit, nam ad ſummum Pontificatûs apicem evectus nihil in vitæ ratione, excepto exteriori habitu,immutavit, adeòut quò majori in gradu conſtituebatur, eò ſe humiliorem exhiberit, quibus præter alias virtutes plura adſtipulantur Miracula patrata, ex quibus omnibus, ſicuti ſummo jure debetur huic Beatiſſimo Cœleſti Civi in Albo Sanctorum Militantis Eccleſiæ ejus nominis adſcriptio, ita Deo, qui admirabilis eſt in Sanctis ſuis, maximæ reddendæ ſunt gratiæ, & Sanctitati Veſtræ, qui illum inter Sanctos numerare, totâque in Eccleſiâ utì omnium exemplar, ut luceat omnibus, qui in Domo ſunt, proponere ſtatuit.

FRANCISCUS XAVERIUS Guicciardus Epiſcopus Narnienſis.

ECcleſiæ Militantis anguſtiis, BEATISSIME PATER, neque præſidium, neque decus afferre poteras luctuoſis hiſce temporibus opportunius novâ Cœlitum Canonizatione, quorum virtute excitaretur ad pugnam, quorum ope perveniret ad palmam. Sed neque felicius aliunde auſpicareris initium, quàm à Domeſtico Sanctiſſimi Prædeceſſoris ſplendore; in quo uno, Cœnobitæ diſciplinam, ſcientiamque Sanctorum, & Apoſtolicæ Sedis Miniſtri conſtantiam invictam, & Epiſcopalis Ordo Paſtoralem vigilantiam, Sacerque Senatus in partem ſolicitudinis aſſumptus lumen Conſilii, Zelumque Sacerdotalem, Summi denique Hierarchæ artem artium regimen animarum, vel imitari facilè poſſint,vel admirari. Quin, & ipſis ſeculi Principibus piam in eo, ſanctamque prudentiam in adminiſtratione Reipublicæ contemplari fas erit, juſtaſque addiſcere bellorum cauſas, & pacis rationes, viamque planè regiam à terreni culminis periculo, ad immarceſcibilem Cœleſtis Regni Coronam.Dignus igitur jure & meritò videtur, ut ab omnibus ritè colatur, qui omnibus præfuit, & profuit. Atque utinam ampliſſimi honoris acceſſione, noſtriſque precibus exoratus fatalem illam Lunam, iterùm dira minantem, perpetuâ confundat Eclypſi jam triumphans in Cœlis, cujus cornua oratione confregit adhuc Viator in Terris.

NICO-

NICOLAUS MARIA Tedeschi Episcopus Liparitanus.

TAnta, BEATISSIME PATER, in Beato Pio Quinto Pontifice Maximo elucent virtutum insignia, talisque in multiplici ejus Vitæ statu sanctimoniæ splendor effulget, ut jure & meritò tamquam præcipuum Perfectionis exemplar, quod admirentur omnes, ac imitentur, agnosci debeat. Electus enim, ut, ceu Lucerna lucens,& ardens nitesceret in Domo Domini, Religiosæ humilitati perpetuum dilatandæ Fidei studium adjunxit; Episcopale munus insigni Pastoralis solicitudinis laude complevit; Sacri Senatûs gloriam eximiis pro Ecclesia laboribus auxit; Pontificiam denique Dignitatem præclarissimis Beneficentiæ, Fortitudinis, Vigilantiæ, veræque Pietatis Operibus illustravit. In altissima namque supremæ in Terris auctoritatis specula constitutus, summâ animi demissione concreditam sibi Dominici Gregis curam exercens, in id totus incubuit, ut Fidei puritatem, quam pluries cum vitæ discrimine à nævis Hæreticorum illibatam servaverat, exactissimè custodiret; devios ab ea Populos ad veritatis lumen alliceret; Christiani Nominis Hostes armis, ac precibus profligaret; egentium necessitati paternâ charitate consuleret; Disciplinæ candorem sanctionibus, Decretisque postliminio revocaret. Nusquam verò Beati Pii V. fervor majori constantiâ eluxit, quàm cùm jura Apostolicæ Sedis adversùs seculi Potestates propugnare aggressus, in iis tuendis, illatisque Ecclesiæ injuriis vindicandis adeò strenuè dimicavit, ut sibi minimè defuisse continuò ostenderit ferreum Pectus, ac robur invictum, Servi sui Zelum, ac Sanctitatem Deo auxiliis, signis, maximisque prodigiis comprobante. Qui ergo hæc piè, hæc fortiter egit, par est, BEATISSIME PATER, ut Te regnante Sanctorum Fastis adscriptus, novis in Militanti Ecclesia honorum gradibus decoretur, ut è Triumphanti ipsi prospiciens, amotâ præsentium temporum acerbitate, optatæ pacis serenitas illucescat; avita Religionis dogmata in dissitis, remotisque Provinciis reflorescant; Juraque ipsa Supremæ Sedis intemerata consistant. Sic ex animo exoro, ac humillimè sentio.

BERNARDINUS ÆGIDIUS Recchi Episcopus Aquipendii.

BEatus Pius, BEATISSIME PATER, in Religiosi sui Ordinis Præfecturis diligens observantiæ custos, in cæteris, quæ subivit, muniis, strenuus Orthodoxæ Fidei vindex, & in ipso Pontificatûs, quod conscedit, fastigio, præclaram animi moderationem Dignitatis majestati conjungens, tot, ac tanta exhibuit exempla virtutum, tot, tantisque miraculis claruit, ut merito illum in Sanctorum numerum, si Sanctitati Vestræ placuerit, censeam referendum.

ANTONIUS Vaira Episcopus Parentinus.

QUi floruit probitate eximiâ vitæ, ex præcipuo Dei munere heroicâ virtute cumulatus est: Beatus Pius V. Ponfex Maximus, ut adscribatur, BEATISSIME PATER, Sanctorum Cœtui ritu solenni consecratus, pertinet id ad Militantis, & Triumphantis Ecclesiæ gloriam. Ennodius Ticinensis, (1) Sacrosancto Concilio Romano approbante, docuit Fideles, copiosissima merita D. Petri simul cum hæreditate innocentiæ migrare ad Successores ejus: ex hac possessione hæreditaria quemlibet Romanum Pontificem procul dubio Sanctum esse, quamvis fortasse minùs præditus virtutibus suis. *Quis enim*, inquit, *Sanctum esse dubitet, quem apex tantæ Dignitatis attolit, in quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ à loci decessore præstantur? aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur illustrat.* Præter uberrimam hæreditatem meritorum, quæ manavit à Principe Apostolorum, Beatus Pius V. summa tenuit, singularia, innumera, heroica animi bona parta à se, qui Puer fundamenta probatissimæ vitæ jecit; Adolescens Sacrum Prædicatorum Ordinem, sanctitatis & doctrinæ domicilium, ingressus, obedientiâ, humilitate, cultus austeritate, abdicatione perpetuâ rerum humanarum, constanti curâ, & studio cœlestium assiduè sese exercuit: propter egregiam sapientiam, ardoremque divini Honoris fastus Inquisitor, pullulantem malis temporibus hæresim, jamque alicubi impotentiùs erumpentem, repressit, puritate Fidei Catholicæ adversùs insanos errores defensâ validè, strenuèque. Quia verò *Charitas*, juxta D. Augustinum, (2) *nascitur divinâ operante misericordiâ; cùm nata fuerit, crescit, & roboratur; roborata denique perficitur*: Beatus Pius V. omnes

[1] *In libell. Apologetic. pro IV. Synod.* [2] *Tract. in Epist. 1. Joan.*

omnes Charitatis gradus emensus est; quam pœnè natam cum illo nascente; firmatam deindè cùm illum gravissima Episcopatûs, & Cardinalatûs ministeria accivêre; perfectam tandem habuit, cùm universam Ecclesiam gubernandam suscepit: quam zelo Charitatis ardentissimæ defendit, munivit, ornavit, perfidia passim coercita, legibus saluberrimis promulgatis, fœdere Principum conjuncto, classibus in hostes apparatissimè instructis, victis memorabili clade Barbaris, qui Christianorum cervicibus imminebant. Virtutem tam divinam factis mirabilibus Deus illustravit: inusitata Viri Beatissimi merita donis insignivit supergressis naturæ vires: inter cætera longè celebratissimum illud, cùm pugnæ ancipitis exitum Christianis prosperum, quo puncto temporis vincerent ad Echinadas, Romæ prænunciavit. Ut vitam, sic etiam mortem ejus sunt admirabilia consecuta, quibus ille latè fulget apud Christianos omnes: quorum vota audit, & exaudit. Quare, BEATISSIME PATER, oro & obsecro, ut inter Sanctos eum referas, quem tanto honore virtus, & gesta dignissimum præbent.

GEORGIUS Cattaneus Episcopus Viglevanensis.

BEatus Pius auspicatissimo Michaëlis nomine in Sacro Fonte insignitus, si non immortalia inter Angelorum agmina, in supremis profectò excellentiorum hominum Ordinibus, non humanæ, sed Angelicæ propè vitæ continuatâ per omnem ætatem præstantiâ celsissimum meruit Principatum. Sanctus inter magis ferventes Divi Dominici Asseclas, imò Sanctus Bernardinus devotâ bonorum omnium dictus appellatione: Sanctior inter Præsules sacrâ quoque Purpurâ irradiantes Pastorali zelo, ac vigilantiâ celebriores: Sanctissimus Magnos inter Sacerdotes, Maximosque Pastores, bello sibi, impiis, suspectæ præsertim Fidei hominibus, Hæreticis, Mahometanis, Potestatibus tenebrarum semper, & ad extremam usque diem indicto, atque parato, obtentâ precibus, auro, & ferro, & gloriosissimè præmonstratâ victoriâ. Tam ingenti Animarum, & Catholicæ Fidei proventu, mirabilibus signis, manifestisque miraculis divinitùs etiam comprobata virtus exigere videtur, BEATISSIME PATER, ut quem Dominus magnificavit in conspectu Regum, & inter Possidentes Regnum iis paratum à Mundi constitutione, dignetur Sanctitas Vestra solenni Canonizationis honore glorificare.

Omnium sententiis auditis Sanctitas Sua sequentia verba subjecit.

VENERABILES FRATRES: *Summoperè lætamur suffragia omnium vestrum, & sanè speciali jure etiam tot Præsulum Orientalis Ecclesiæ sub Turcarum tyrannide miserè gementis, adeòque ope, ac tutelâ B. Pii V. plurimùm indigentis, unanimiter in eum sensum, qui Noster jamdiù fuit, convenisse. In magnam siquidem Omnipotentis Dei gloriam, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsidium, ac decus singulare solennem Sanctissimi hujus Prædecessoris Nostri Canonizationem cessuram esse non dubitamus. Cæterum illius celebrandæ diem brevi indicemus, postquam scilicèt in sequentibus Consistoriis etiam super aliorum Beatorum Canonizatione, quam similiter, Deo dante, peragere intendimus, vestras sententias exceperimus. Precibus interim, jejuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus incessanter à Domino postulare pergamus, ut in re tanti ponderis quod, & quale sit divinæ suæ, atque incomprehensibilis Sapientiæ beneplacitum, Nobis ostendere non dedignetur.*

Post-

Postquam Summus Pontifex dicendi finem fecit, stantibus adhuc Prælatis, & sedentibus Cardinalibus, Procurator Generalis Cameræ Apostolicæ his verbis Protonotarios alloquutus est.

Ego Nicolaus Jacobatius Sanctissimi Domini Nostri, & Cameræ Apostolicæ Procurator Generalis rogo Vos omnes Protonotarios, & Notarios Apostolicos hic præsentes, ut de sententiis, consilio, & unanimi consensu Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, deque Summi Pontificis oratione, ac deliberatione præhabitis super solenni Canonizatione B. Pii V. Pontificis, unum, vel plura, publicum, seu publica conficiatis Instrumentum, vel Instrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Subindè R. P. D. Prosper Columna ProDecanus Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium, sui Collegii nomine, eos, qui propè Sedem Sanctissimi stantes reperiebantur, hujus rei Testes adhibuit his verbis: *Vobis Testibus*: atque ita Consistorium dimissum est.

Cupiens subindè Sanctissimus Pater ferià 2. post Dominicam infra octavam Ascensionis Domini VII. Idus Maji de B. Andrea Avellino Patrum sententias audire, eos sequenti indictionis schedula mandavit præmoneri.

INTIMATIO

Per Cursores facienda, Domi quoque dimissâ copiâ.

Feriâ secundâ, die 9. currentis mensis Maji, horâ duodecimâ cum dimidia, in Aula Ducali Palatii Vaticani erit Consistorium semipublicum, in quo Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales, necnon Reverendissimi Domini Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi Romæ degentes, Sententiam ferent super Canonizatione B. Andreæ Avellini Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, eamque singuli divisim scriptam, & subscriptam consignabunt Domino Secretario Congregationis Sacrorum Rituum.

Eminentissimi Domini Cardinales erunt cum Cappis violaceis ex Camelotto: Reverendissimi verò Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, duo Auditores Rotæ, necnon Procurator Fiscalis Cameræ Apostolicæ induti erunt Cappis, quibus uti solent in Pontificia Cappella.

Iidem Eminentissimi Domini Cardinales singillatim assurgent detecto capite, cùm suas incipient ferre Sententias, easque sedentes tecto capite prosequentur.

Reverendissimi Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, ferentibus Sententias Eminentissimis DD. Cardinalibus, sedebunt tecto capite: Stabunt verò, cùm Sanctissimus Dominus Noster loquetur; Antequam eorum quisquam loqui incipiat, & similiter postquam proprium suffragium tulerit, genuflectet; Assurgent autem singuli statim, ac primus Patriarcha Sententiam laturus assurget, sicque stabunt, donec ultimus Episcoporum Sententiam ferre desierit.

Ideo intimentur omnes, & singuli Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales, necnon Reverendissimi Domini Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi in Urbe præsentes, ac Domini Protonotarii Apostolici, duo antiquiores Rotæ Auditores, Secretarius Congregationis Sacrorum Rituum, Promotor Fidei, & Procurator Fiscalis Cameræ Apostolicæ, relicto etiam cuique eorum exemplari præsentis Schedulæ.

De mandato SS. D. N. Papæ.

Candidus Cassina Magister Ceremoniarum.

Celebratum est itaque in dicta die Consistorium semipublicum de B. Andrea Avellino, eo ritu, & ordine, quem supra in simili de B. Pio V. descripsimus. Sanctitas Sua sacris induta Vestibus, ac Mitrâ, clausis Aulæ foribus, ex eminenti Sede super Canonizatione B. Andreæ DD. Cardinalium, & Episcoporum suffragia exquisivit sequentibus verbis.

VENERABILES FRATRES: *Arctam Mandatorum Domini viam, quæ ducit ad vitam, Beatus Andreas Avellinus, jugiter dilatante cor ejus Spiritu Sancto, feliciter ingressus fuit, feliciùs cucurrit, felicissimè consummavit. Deduxit eum scilicet per hanc viam perfecta illa in Deum, ac proximos charitas, quæ foràs mittit timorem; Hoc ipse exardescens igne, exultavit ut Gigas ad currendam viam:*

sibique proposito ardui itineris termino, labores, ærumnas, probra, injurias, vulnera, contumelias læto, fortique animo sustinuit; Hâc incensus flammâ pœnitentiæ austeritatem cum innocentiæ candore mirabiliter conjunxit: Summamque terrenarum rerum inopiam uberrimâ cœlestium charismatum copiâ largiter compensavit; Neque enim ei reliquarum virtutum agmen deesse poterat, lucem, & facem illis præferente charitate; Hanc illæ omnes secutæ sunt, ancillæ Reginam. Charitate itaque, quæ nunquam excidit, dirigente ejus gressus, quidquid ad hominem in sortem Domini vocatum, sive inter seculi fluctus degentem, sive in portum Vitæ Religiosæ receptum, perfectè formandum severiora Veterum Patrum documenta statuêre, Beatus hic Vir, qui, cùm in humanis ageret, utramque personam præclarissimè gessit, abundè complevit. Hæc omnia Vos ipsi ex relata aliàs mirabilium ejus gestorum serie benè colligere potuistis, atque indè etiam inferre, quantum publico Ecclesiæ bono conducere possit, Andream in utroque statu admirandum, miseris hisce collabentis veteris disciplinæ temporibus, universo Fidelium Cœtui, præsertim verò tum Seculari, tum Regulari Clero, peculiari imitatione colendum proponi, ut qui prodigium factus est multis, fiat omnibus Adjutor fortis. Ita planè heroicæ virtutes, quibus emicuit, insignia miracula, quibus claruit, postulare videntur, ut cœlestes in terris Sanctorum honores illi decernantur, qui mirâ humilitate contempsit humanos. Verùm ut in re tanti momenti omnes accuratissimi judicii partes impleamus, sententias primùm vestras exposcimus.

Facto per Pontificem loquendi fine ad præscriptum ritum DD. Cardinales, & Præsules suas hoc ordine tulerunt sententias.

NICOLAUS Episcopus Portuensis Cardinalis Acciajolus.

BEATISSIME PATER: Quis, & qualis homo fuerit B Andreas Avellinus Theatinæ Familiæ Sacerdos, cujus hodie per Sanctitatem Vestram Canonizatio proponitur, videre licet ex binis, & quidem arduis votis, quibus veluti ex legibus vivendum sibi proposuit, unum nè unquam propriæ voluntati, quam grande malum appellat Divus Bernardus, obsecundaret. Alterum nè ullum diem prætermitteret, quo non aliquod perfectionis argumentum præstaret. Qui dedit velle, dedit & perficere; nam, & animam suam in hoc mundo, nè periret, semper odivit, & quæ quidem retro sunt oblivissens, ad ea, quæ sunt priora, se ipsum extendens, ad supernæ vocationis bravium properare nunquam intermisit. Hinc illud voluptatum illecebris perpetuum bellum: hinc fœdus cum corpore initum, nè ullam in hoc seculo ei requiem præberet: hinc denique nova illa semper humilitatis,

litatis, charitatis, animarumque Deo lucrandarum studii, heroica prorsus experimenta, quibus utrique Clero factus est lucerna lucens, & ardens. Æquum propterea, dignumque est, BEATISSIME PATER, ut super Ecclesiæ Candelabrum lucerna tanta constituatur, &, cùm quantoperè dilexerit Andream Dominus in odorem suavitatis, quamplurima per ejus manus patrata contestentur miracula, placens Deo factus dilectus, per infallibile Vestræ Sanctitatis oraculum, in Templo suo sortem acceptissimam inter Sanctos recipiat.

GASPAR Episcopus Sabinen. Cardinalis de Carpineo.

BEATISSIME PATER: Andreas Avellinus ab ineunte ætate usque ad senium spectabilis in quocumque suæ Vitæ genere, sive Seculari, in quo Christiani hominis, sive Clericali, ac Religioso, in quo Apostolici Viri perfectam vivendi rationem ita constanter retinuit, ut ardens in Deum, & Proximum charitate, plenitudinem Euangelicæ legis adimpleverit. Cœlestium enim contemplatio fuit illi assidua, cùm simul esset Animarum lucris tam diligenter intentus, ut in revocandis ad pietatem Populis, labores, incommoda quamvis sibi gravia, nec non lætale vulnus in vultu patientissimè toleraverit: & quod magis mirandum est, nullum prætermisit diem, quo non ad aliquem perfectionis gradum, prout antea voto se obstrinxerat, contenderet; Quapropter dilectus Deo, & hominibus innumera Christianæ charitatis monumenta reliquit, in cujus testimonium adjecit Deus præclara miracula, ut meritò, quem Deo fruentem in Cœlis Beatum colimus, juxta veterem Romanæ Ecclesiæ Ritum, à suprema, qua polles, potestate Sanctus declarari possit in Terris.

FABRITIUS Episcopus Prænestinus Cardinalis Spada.

EXultavit ut Gigas Beatus Andreas ad currendam viam Domini, quam ut securiùs inoffenso pede calcaret, arctiorem Theatinæ Religionis semitam arripiens, de virtute in virtutem mirificos quotidie gressus extendit. Orationis Cultor assiduus, humilitatis eximius Professor, castimoniæ Custos acerrimus, fons indeficiens charitatis, tanquam lucerna lucens, & ardens, se omnibus Christianæ perfectionis præbuit exemplar. Dumque tam recto tramite ad Cœlum tenderet, cursum feliciùs consummavit. In introitu enim ad Altare Dei, exitum suæ mortalitatis victor oppetiit. Ideo (BEATISSIME PATER) triumphat in Cœlis coronatus, jure etiam meritò, omnium efflagitantibus votis, à Sanctitate Vestra jam coronandus in Terris.

GALEATIUS Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyt. Card. Marescottus.

BEATISSIME PATER: *Vincenti dabo novum nomen*, Divino pronunciatum fuit oraculo. Vicit Andreas carnis illecebras, dum in ipso juventutis ardore ad illicita provocantes invictus constantissimè repulit. Vicit iram, & vindictam, nedum parcendo, verùm etiam rogando pro iis, à quibus graviter vulneratus fuerat. Vicit naturalem omnem ad divitias, & honores affectum. Vicit proprii corporis indemnitatem, pluvias, æstus, frigora, pericula parvi faciendo, totus ad salutem proximorum procurandam, licèt ætate, & incommodis fessus: Et tandem semetipsum vicit plenâ victoriâ, emisso voto semper propriæ resistendi voluntati, dispositisque sibi gradibus, quibus quotidie ascendere valeret de virtute in virtutem. Tantis igitur victoriis vincenti Beato Andreæ, morbosque prodigiis superanti, detur per Sanctitatem Vestram Christi Vicarium novum Sancti nomen.

JO: FRANCISCUS Tit. S. Mariæ in Aracœli Presbyt. Card. Nigronus.

EXimium Militem, & fortem Christi Athletam quis non dixerit Beatum Andream Avellinum? qui bonum certamen adversùs carnem, & tenebrarum potestates, constantissimè certavit; longævum vitæ cursum in omni virtutum genere, sive quæ Deum, sive quæ homines spectant, perpetua propriæ voluntatis abnegatione feliciter consummavit; fidem cum Charitate conjunctam, veluti depositum sibi pignus, & sanctè servavit, & fideliter reddidit. Reliquum igitur est, BEATISSIME PATER, ut sicut illum Dominus repositâ Coronâ Justitiæ, quam repromisit diligentibus se, jampridem in triumphanti Patria coronavit, ita & Sanctitas Vestra Coronam gloriæ, qua in militanti Ecclesia servi Dei decorantur, veteri servato more, per solennem Canonizationem emerito militi decernat.

FULVIUS Tit. S. Petri ad Vincula Presbyt. Card. Astallius.

BEATISSIME PATER: Quantò sunt graviora Sacerdotum flagitia, cùm suæ sunt immemores dignitatis, tantò est eorundem virtus illustrior, cùm vita respondet nomini, mores professioni: Exemplar illis insigne Divina Providentia in Beato Andrea Avellino proposuit, in quo virtutes omnes licuit observare, quibus Presbyterorum Ordo commendari debet. Castimoniam, cujus illibatum decus, in ipso æstu Adolescentiæ, conservavit inter illecebras voluptatum: Zelum animarum, & salutis alienæ curam, cùm varia lustrans Oppida, ubique ad alendam, & propagandam pietatem, indefessus incubuit; Contemptum opum, & honorum, quando spes amplas, quas illi excellens doctrina ostendebat, neglexit. Se paratum ad subeundam necem obtulit sicariis, quorum nefarias libidines retardabat, lætus acceptis eâ causâ vulneribus; Pœnitentiam, quâ inclementer in se sæviens, viventem hostiam Deo se offerebat. Satis, superque fuerit ad declarandas excellentis viri dotes, testis omni exceptione major, Sanctus Cardinalis Borromeus, qui ejus probitate, consilio, & industria, plurimùm utebatur: Ecclesia igitur universa tantam lucem in Sanctorum Albo, tanquam in Candelabro, positam aspiciat.

BANDINUS Tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Panciaticus.

BEATISSIME PATER: Beatus Andreas Avellinus octuagenariam suam sanctitatem, vel à prima Pueritia prænotavit; per triginta, & ampliùs annos inter mundana pericula commoratus, repetitas illecebrarum aggressiones eâ constantiâ pervicit, quasi ipso mundo ad Claustralem solitudinem uteretur. Clericus adscriptus, innocentiæ zelum superaddidit procurandæ alienæ salutis, eoque ferè ad martyrium perductus est: Quod, si recuperata ex insperato salute, martyrium non explevit, remissionem tamen cruentissimæ injuriæ martyre dignam exhibuit,& cum Christo Domino pro Transgressoribus oravit. Ab hoc martyrii veluti tyrocinio,Apostolicam vivendi normam,duce D.Cajetano, arripuit, & ubique apparuit tanto Patri non impar filius. Qui semper cæteris exemplo præerat, coactus est sæpiùs præesse, & gradu dignitatis. Totus itaque domi in curando domesticorum regimine, totus domi, & foris in pertractanda proximorum salute, perinde una voce singularis boni publici Pater appellabatur. Tantus itaque vir, qui se præcipuo voto obstrinxerat, crescendi semper de die in diem in novam sanctitatem, dignissimus mihi videtur, quem Sanctitas Vestra transferat de claritate in claritatem, & à Beatis transcribat inter Sanctos.

FERDINANDUS Tit. S. Balbinæ Presbyt. Card. de Abdua.

CHaritas, quæ plenitudo legis est, PATER BEATISSIME, Andream Avellinum consummatæ virtutis Sacerdotem effecit, quippe qui Deum super omnia, amicos in Deo, inimicos propter Deum diligens, & suæ, & proximorum saluti nullis unquam laboribus parcens, ita ad mortem usque vacavit, ut tanquam charitatis Minister, toto vitæ tempore, Deo laudis ostiam immolaverit, ac omnes, quos potuit errantes, in pœnitentiæ sinum reduxerit. Hunc igitur fidelem Domini famulum inter Sanctos referre tutò poterit Sanctitas Vestra, ut novo publicæ venerationis honore Sacerdotis gloria decoretur.

THADDÆUS ALOYSIUS Tit. S. Alexii Presbyt. Card. de Verme.

BEATISSIME PATER: Cùm Beatus Andreas Avellinus heroicis Christianarum virtutum exemplis Christi bonus odor fuerit in omni loco, cùmque Crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro divini nominis honore portaverit; Deus autem, qui facit mirabilia magna solus, insignibus prodigiis sanctitatem servi sui sæpè testatus, ostenderit illi divitias regni sui,& compleverit labores illius; æquum est, ut Sanctitas Vestra eundem Sanctorum fastis adscribat; quod & indubitanter affirmo, & enixè deposco.

FR. THOMAS MARIA Tit. S. Clementis Presbyt. Card. Ferrarius.

BEATISSIME PATER: Beatus Andreas Avellinus à primæva ætate iter christianæ perfectionis arripiens, abnegatis secularibus desideriis, sobriè, & justè, & piè vixit, manens adhuc in seculo; ubi Clericali militiæ adscriptus,& Sacerdos initiatus hostiam viventem semetipsum studuit offerre Deo in odorem suavitatis. At quò ad propositam sibi sanctitatis metam expeditiùs curreret, ac

ac tutiùs, celeriùsque perveniret, omni mundanarum ſolicitudinum ſarcina depoſita, Regularem vitam amplexus eſt in inclyta Theatinorum Familia, quæ in ſola Spe Gratiæ cœleſtis, ac Divinæ Providentiæ innititur. Hic inter lilia illa agri adnumeratus, quæ Deus ſic veſtit, ut nec Salomon in omni gloria ſua coopertus ſit, ſicut unum ex iſtis, atque inter ea volatilia cœli, quæ nec ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater Cœleſtis paſcit illa; mirum dictu, quàm nitidè à Deo indutus, quàm ſplendidè paſtus à Cœleſti Patre, non corpore, ſed animo, confeſtim apparuit, nempe indutus, ſicut Electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam: coopertus byſſino ſplendenti, & candido intemeratæ Caſtitatis. Cibavit inſuper illum Dominus diù, noctuque pane ſuaviſſimo lacrymarum, & orationis, pane ſcilicet vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potavit illum, nunquam tamen, donec vixit, ad ſatietatem, quia Charitatis ignis, quo Andreas penitùs conflagraverat, nunquam dicit, ſufficit. Tam avidè ſiquidem eſurivit, & ſitivit Juſtitiam, ut vir Dei, Divinique Amoris amantiſſimus peculiari ſe voto obſtrinxerit, nullum præterire diem, quo Divinæ gratiæ ope adjutus ad novum perfectionis gradum non aſcenderet; Et quia, tanquam verus Chriſti Diſcipulus, & Imitator, ejus cibus erat, ut faceret voluntatem Patris, qui in cœlis eſt, tantoperè cibo hujuſmodi delectatus fuit, ut alterum identidem votum emiſerit ſemper obſiſtendi propriæ voluntati, probè noſcens, ut quis faciat voluntatem Dei, opus eſſe, ut frangat ſuam.

Hac via B. Andreas bravium ſupernæ vocationis facilè attigit; crevitque in virum undequaque heroicè perfectum uſque adeò, ut Sanctiſſimis Epiſcopis pro reformatione Cleri, & Populi eſſe potuerit in adjutorium ſimile illis. Erat namque Regularis Obſervantiæ primùm quidem in ſe ipſo exactiſſimus cultor, deindè in aliis zelantiſſimus promotor, ſanctæ mortificationis, & obedientiæ exemplar Subditis, Præpoſitis, & Magiſtris, Magiſter diſcretionis, & charitatis. Demum, ut alia reticeam, pro animarum ſalute infatigabiliter ad decrepitam uſque ætatem procuranda, operarius inconfuſibilis, abſque perſonarum acceptione omnibus omnia factus, ut omnes Chriſto lucrifaceret, formam præbuit omnibus numeris abſolutam animarum moderatoribus, implendi miniſterium ſuum tam arduum, & periculi plenum, animarum ipſe moderator probatiſſimus. Tantæ itaque ſanctitatis virum, inſignium quoque tot miraculorum lumine coruſcantem, juremeritò adſcribendum arbitror Cœtui Sanctorum, & in Cœlo regnantium, colendumque proponi cunctis Chriſtifidelibus, ut ſit illis in exemplum, & patrocinium.

JOSEPH Tit. S. Mariæ Tranſpontinæ Presbyt. Card. Sacripantes.

BEATISSIME PATER: Beatum Andream Avellinum deduxit Dominus per vias rectas, cùm ſacræ primùm militiæ adſcriptum, tum Clericorum Regularium Ordini mancipatum, ab omni ſeculi vanitate docuit abhorrere; Et oſtendit illi Regnum Dei, ut divinis contemplationibus intentus cœleſtia ſaperet, & mundana contemneret. Præterea honeſtavit illum in laboribus, quos pro animarum ſalute ſuſtinuit, cùm in Sanctimonialibus regendis, ac ſui Ordinis Tyronibus inſtituendis, Domibuſque adminiſtrandis, prudentia, charitate, & manſuetudine ſummoperè commendaretur; Confeſſionibus etiam audiendis, & revocandis ad meliorem frugem errantibus indefeſſus incumberet, nec ullis periculis, vigiliis, & incommodis parceret, ita tamen, ut dum alienam ſalutem ſedulus appeteret, in ſpiritualem animæ ſuæ profectum omnes vires intenderet, voto etiam emiſſo, ut illum quotidianis incrementis augeret, & propriæ voluntati indicto bello ſemper obſiſteret. Itaque beato vitæ exitu clementiſſimus Dominus complevit labores illius, & Andreæ nomen miraculis editis gloriâ, & honore coronavit. Sanctorum igitur faſtis adſcribendum cenſeo ad Eccleſiæ præſidium, & fidelium incitamentum.

JO: BAPTISTA Tit. S. Cæſarei Presbyt. Card. Spinula.

INtegritatem vitæ admirabilem eximiis virtutibus excultam, BEATISSIME PATER, quam Beatus Andreas, & in ſeculo vivens, & in Religioſa Cajetani Familia degens ſervavit, tum perſpectam fecit rerum geſtarum ſeries per ſapientiſſimos Patres accuratè diſcuſſa, tum in utroque vitæ ſtatu ſingularia, Divinæ quaſi dixerim Teſtes commendationis, prodigia confirmarunt. Flagrantiſſimum enim, quo incendebatur, divini honoris ſtudium, fortemque in perferendis ea de cauſa injuriis animum, publicè teſtatum inſigni ſuo beneficio Deus voluit, quum inflictas per-

perditi hominis consilio ad pii viri necem luculentas plagas insperata sanatio, vix ullo cicatricis relicto vestigio, delevit. Postquam verò in animarum salutem, atque profectum Andreas omnem operam suam contulisset, omnia omnibus factus, ut Christo lucrifaceret, hoc Apostolici Operarii institutum quàm jucundum supremo Patrifamilias fuerit, vel ex eo intelligi potest, quod illi christianæ pietatis officia præstituro magna vi irruentes è Cœlo imbres portentoso quodam cultu pepercerunt, & obscurissimæ noctis tenebras vicit Andreæ facies cœlesti luce circumfusa; Quam igitur Dei Optimi Maximi vox tam præclaris expressa signis probavit sanctitatem, Vicaria Christi voce nunciandam esse Ecclesiæ de sui Militis triumpho gestienti haud dubiè censeo.

FABRITIUS Tit SS. Joannis, & Pauli Presbyt. Card. Paulutius.

BEATISSIME PATER: Beatus Andreas Avellinus Clericorum Regularium Ordinis insigne decus, & ornamentum, Carolo quidem Borromeo sanctitate clarissimo, & Paulo ab Aretio satis notæ probitatis famâ celeberrimo, tanta in æstimatione est habitus, ut uterque, alter scilicet in sua amplissima Mediolanensi Diœcesi, alter in Placentina, cùm peculiari studio Operarium, & Adjutorem habere sategerit. Quare haud majus videtur posse testimonium de tanti viri probitate desiderari. Nihilominus expensæ, ut moris est, ad Apostolicæ Sedis canonici examinis trutinam tanti viri virtutes, & signa, quibus easdem Altissimus dignatus est comprobare, ad ejusdem Servi Dei solennem Canonizationem tutò non solùm deveniri posse suadent, sed publicos eidem honores à Sanctitate Vestra decernendos plenè videntur exigere.

FRANCISCUS Tit. S. Eusebii Presbyt. Card. Martellus.

BEATISSIME PATER: Ad salutarem animarum curam vocatus à Deo, qui charitas est, Beatus Andreas Avellinus, ut in perpetua charitate arctiùs in Deo maneret, & Deus in eo, ac in tuto poneret electionem suam, & quantùm per se staret, in accepto munere proficeret, satis arduum profectò, & sublime votum vovit Domino, quod scilicet, propriæ semper obsisteret voluntati, & in dies ad novum contenderet perfectionis gradum, hoc est, quemadmodum Christus Dominus pro humani generis redemptione Patri factus obediens protestatus est: *non sicut ego volo, sed sicut tu*: ita sanè Beatus ipse Andreas suam frangeret penitùs voluntatem, & puro dumtaxat instinctu ex Deo operatus, aberrantes à veritate ad ejusdem divinæ redemptionis fructum percipiendum, in viam salutis revocaret: Insuper juxta Regii Prophetæ effatum ascensiones in corde suo disponeret, & iret de virtute in virtutem, usque ad conspectum Dei viventis; qui mirabiliter Beati Viri charitatem inter atræ noctis tenebras præfulgidam reddidit, dum spirituali æquè, & corporali ægrotorum saluti, ac solamini incumberet, eandemque per inundantes imbres integram, intactamque servavit: aquæ etenim multæ non potuerunt extinguere charitatem, aliàs constantiâ in laboribus, & periculis, mansuetudine in injuriis, & vulneribus non semel ab impiorum gladiis ad necem penè susceptis; ac ingentibus meritis undecumque conspicuam: quam D. Carolus Borromeus pro gravioribus curis in adjutorium assumpsit simile sibi: Et Deus ipse in tuto positam, multiplici miraculorum testimonio confirmatam voluit. Quid igitur, BEATISSIME PATER, ultra desiderandum? quid, inquam, post heroicam charitatem, cui asseclæ famulantur virtutes omnes: & post indubitata divinæ voluntatis placita, ultra jam deest? Reliquum unum est, quod Vicaria Dei Potestate, qua pollet Sanctitas Vestra, Beato Andreæ Avellino ritè publico ad aras Sanctorum cultu solennes decernantur honores; unde insigni ipsius suffragante charitate, uberior divina depluat beneficentia in universam Ecclesiam.

LAURENTIUS Tit. S. Susannæ Presbyt. Card. Corsinus.

SCribebat olim eloquentiâ perinde, ac sanctitate celebris Chrysologus, BEATISSIME PATER, *quod* (1) *sicut virtutis est, in acie, in conflictu pro Dei amore succumbere, ita perfectæ virtutis diu agere, & consummare certamina*. Ad octogesimum, octavumque annum strenuus in Ecclesia Pugil Beatus Andreas Avellinus pro divini nominis gloria, & cruenta tulit, & incruenta certamina consummavit. Adolescens medio in flore fervescentis lubricæ ætatis, non ab una tantùm petulca muliere ad lutulentas quæsitus illecebras, *scuto* (2) *animi irruentem repellens, non amantis faces excepit, lenocinantis vincla non sensit*. Sacerdos consecratus in

[1] *Serm.* 128. *in edit. Rayn.* [2] *D. Ambros. lib. de Joseph. cap.* 5.

in seculo adversus abusuum colluviem Superioris excitus classico, funestissima quamvis in alea, *ad* (3) *maximi certaminis prælium prompta devotione prodivit*. Quare in sacram faciem immani vulnere adacto, & (4) *laceros artus medica Dei manus confovit, & pristinæ sanitatis augmento fossi vultus damna supplevit*. Concellita etiam in Ordine, adversùs vitia confligens, universo studio suæ vitæ (5) *exultavit ut gigas ad discurrendum ubique. Diceres ignem urentem in consumendo criminum vepres; Diceres securim, vel asciam in dejiciendo malas plantationes*. Quid plura? adeò in eo agone contendit, in quo (6) *Agonothetes* Deus vivus erat, *Xystarches* Spiritus Sanctus, ut peculiaribus votis ad duo stupenda se obstrinxerit: unum, quo semper voluntati suæ pugnax obsisteret, aliud, quo singulos dies sanctimoniæ gradus accessione cumularet. Sic per octoginta, & amplius annos (7) *perfectæ virtutis* Athleta *bonum* (8) *certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, & reposita est illi Corona Justitiæ*, æternitatis bravium. Videtur modò, PATER BEATISSIME, quod, sicut Deus certantem legitimè in terris, cum Divis coronavit in Cœlis; sic Sanctitas Vestra (9) *gloria, & honore coronatum* in Cœlis, inter Divos militantis Hierusalem sit relatura jure optimo in terris.

FRANCISCUS Tit. S. Cæciliæ Presbyt. Card. de Acquaviva.

BEATISSIME PATER: Beatus Andreas Avellinus, quasi sibi dicta essent verba illa Euangelica: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*: non minùs heroicæ mansuetudinis, quàm profundæ humilitatis insigne exemplum se præbuit: Maximum enim ostendit mansuetudinis argumentum, dum vulnera, & contumelias, quæ pro tuendo divino honore passus fuerat, non solùm gloriæ loco reputavit, sed Deo gratias egit, suorumque Persequutorum incolumitatem ferventissimè procuravit. Nec minor fuit humilitas, nam, universo ejusdem inspecto ætatis cursu, nullibi evidentiùs probari poterit, quàm in vita, & operibus ipsius, quoniam adhuc Tyro phrenetico seni contra ipsum non raro insævienti, humillimè ex obedientia inserviebat, & post emissam professionem suæ voluntati semper obsistere, & in dies majoris perfectionis gradum conscendere conabatur, sive enim subditus, sive Superior observantiam Instituti verbo non minùs, quàm opere promovere satagebat; Earundem virtutum prudens scrutator, & vivum exemplar D. Carolus Borromeus tanti fecit B. Andream, ut in arduis suæ Diœcesis negotiis illius ope, & consilio non semel, felici eventu, usus fuerit; Non dispar Judicium de ipso tulit Paulus de Aretio Episcopus tunc Placentinus, qui operâ B. Andræ corruptos mores Cleri suæ Diœcesis, ad præscripta Tridentinæ Synodi, verè magnum Ecclesiæ lumen, reformavit. Tandem Deus communem hominum opinionem probavit, plura mirabilia in Sancto suo operando, nam non solùm illum, dum viveret, ab effusissimo imbre absque humanis remediis intactum servavit, eumque repentina luce circumdedit, ac eidem futura, vel absentia, vel recondita apertè revelavit, sed etiam post obitum intercessione Servi sui pluribus contra ordinem naturæ instantaneam salutem restituit. Remanet igitur, ut istum, quem Deus Sanctum fecit, hominesque dixerunt, Sanctitas Vestra solenni Canonizatione declarare dignetur.

PHILIPPUS ANTONIUS Tit. S. Chrysogoni Presbyt. Card. Gualterius.

BEATISSIME PATER: Andreas de Avellino, cujus vita excelsa, spiritus autem humilis: cujus charitas mirabiliter ad Deum ascendit, & ad proximos se misericorditer inclinavit, fideliter obsequens divinis mandatis, exivit in plateas, & vicos, ut errantes in viam salutis adduceret, atque ut impleretur Domus Domini sui strenuè adlaboravit. Jure igitur Sanctitas Vestra solennes, cœlestesque honores huic Beatissimo Viro decernere potest, qui curriculum christianæ militiæ egregiis operibus inchoavit, ac perfecit.

JOSEPH Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyt. Card. Vallemanus.

BEATISSIME PATER: Andreas Avellinus non nisi animarum lucra quærens, ex acceptis à Deo talentis duplum reportavit; tactus forma Justitiæ, Sanctimoniæ speculum, Pietatis exemplum, omnibus, quos ad virtutes christianas exercendas invitaverat, ut Dux ipse præivit. In excolenda Domini vinea diligens operarius strenuè laboravit, non faciens animam suam pretiosiorem, quàm

[3] *Ex D. Cypr. ep. 9. in edit. Pamel.* [4] *Ex Leone Magn. vel alio quicunque s.t Auct. serm. de S. Vinc. Mara.* [5] *D. Bern. in Vit. S. Malach. cap. 3.* [6] *Ex Tertull. lib. ad Mart. cap. 3.* [7] *Ex Chrysol. ubi supra.* [8] *2. Ad Tim. 4. v. 7.* [9] *Ad Hebr. 2. v. 9.*

quàm se, dummodo cursum ministerii sui consummaret. Ex merito itaque faciet Sanctitas Vestra, si hunc Dei Sacerdotem, quem ex Altaris introitu, tanquam charitatis victimam, in Cœlum constat esse sublatum, decretis eidem Sanctorum honoribus, universæ Ecclesiæ venerationi ad Aras exponet.

RAYNUTIUS Tit. S. Agnetis extra mœnia Presbyt. Card. Pallavicinus.

BEATISSIME PATER: Hic vir despiciens mundum, & quæ mundi sunt contemptibilia, cognitus fuit in verbis ejus fidelis, quia vidit Deum lucis; Quapropter lucerna splendens, & ardens eximia charitate super Candelabrum sanctum diu stare non potuit sub modio, quin hac die agnitionis suæ tot inter heroicas virtutes, & miracula inveniat firmamentum, & luceat in firmamento Ecclesiæ, cui sese devoverat, pollicitus nunquam propriæ voluntati indulgere, semper ad perfectionis gradus ascensum charismata meliora æmulari. Hoc perpetuum orationis miraculum, quod communiter habebatur: patens Amoris incendium, quo perenniter æstuabat: *lux orta justo*, quâ præeunte reversurum ad sua è domo ægrotantis nobilis Matronę, sub obscura nocte, pluvio undequaque cœlo, de repente lux prodigiosa circumfulsit, iter nè dum præmonstravit, quia *tenebræ ejus quasi lumen ejus*, sed nec guttula tot imbrium Andream, & socios in tenebris quasi in luce ambulantes, aspersit, quia surrexerat quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardere consueverat. Accedenti enim continuò ad Deum *nox sicut dies illuminatur*, & data ei intelligentia, qua videat, & charitas, qua ferveat. Hæc itaque *Stella in medio nebulæ*, quam nox obtenebrare non potuit, & quasi *Luna plena in diebus suis* sub Vicario CLEMENTIS Sydere, & assensu nobis luceat in splendoribus Sanctorum.

JO: DOMINICUS Tit. S. Anastasiæ Presbyt. Card. Parraccianus.

BEATISSIME PATER: Divino erudita Oraculo Sanctitas Vestra publicæ Fidelium venerationi exponendum meritò suscipit B. Andream Avellinum omnibus virtutibus, & præcipuè perfecta in Deum, & proximum charitate præfulgentem. Æquam tam in honoribus, quàm in oneribus semper servavit mentem, summo humanarum rerum contemptu acerrimum Regularis disciplinæ propagandæ studium adhibuit, in cæteris mitis, secum verò extremè severus. Si præfuit, profuit, nam quod docebat verbo, firmabat exemplo. Adeò enim viri heroica virtus in miraculis, miracula in virtutibus elucescunt, ut rectè dici possit, quod *fecit mirabilia in vita sua*, humilis, & pauper, sed dives in meritis, spiritualibus virtutum ornatibus decorè triumphavit in Cœlo. Rationi propterea, & Justitiæ congruit, ut qui in terris se humiliavit, in terris quoque exaltetur, adeòque infallibili Sanctitatis Vestræ decreto Sanctorum Catalogo adscribatur, tum pro illius imitatione assequenda, cùm pro ope divina, per ejus intercessionem, impetranda.

JOSEPH Tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio Presbyt. Card. de la Tremoille.

BEATISSIME PATER: Beatus Andreas Avellinus probitatem auspicatus ab ubere, sacros mores cum lacte libavit, atque in ipso ætatis exordio manifesta dedit futuræ sanctitatis præsagia. Totus ejus vitæ decursus, tametsi longævus, nil spirat, nisi sanctum, nisi heroicum, & unico verbo bonum Christi odorem ad populorum ædificationem: In vita interiori victimam mactatam mortificationis gladio se obtulit Deo viventi; in vita exteriori oblitus sui, ut omnes Christo lucrifaceret, labores sprevit, ærumnas contempsit, & ipsa vitæ discrimina flocci fecit, ut pro animarum salute generosus Athleta dimicaret. Heroicam hanc in Deum, & proximum charitatem Altissimus probatam fecit dono Prophetiæ, quo Servum suum viventem voluit illustratum: iterùmque confirmavit miraculis, quibus pretiosam ejus mortem clarissimam reddidit. Nè igitur tantarum virtutum splendores delitescant sub modio, tuum erit, BEATISSIME PATER, super Candelabrum exponere, ut quem sanctitate gloriosum confitemur, habeamus intercessione proficuum.

CAROLUS AUGUSTINUS Tit. S. Augustini Presbyt. Card. Fabronus.

BEATISSIME PATER: Andreas Avellinus, de quo inter Sanctos publicè referendo sapienter cogitat Sanctitas Vestra, Cajetani Parentis Viri Sanctissimi vestigiis, & Institutis insistens, Apostolicam vivendi formam verè est imitatus; adscitis enim sibi christianæ demissionis, voluntariæ paupertatis, assiduæ corporis afflictationis, & illibatæ castitatis præsidiis, zelo charitatis exæstuans, in animarum salute procuranda totus fuit. Clarissimas Italiæ Urbes Neapolim, Mediolanum

lanum, atque Placentiam, perpetuo divinæ gloriæ domi, forisque promovendæ studio, nec difficultatibus territus, nec morbis dejectus, nec laboribus fatigatus, & nedum ludibria, & verbera, sed & incisiones, & vulnera expertus, repensa hostibus dilectione, solatio miseris, auxilio lapsis, servitio ægrotis, remedio periclitantibus præstito, omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret Christo, religiosissimis ideo Episcopis, ipsique in primis S. Carolo Borromeo probatus, & unicè charus, odore suavitatis implevit, & pluribus, quæ adhuc extant, sacris erectis Domibus, aliisque pietatis monumentis summoperè illustravit.

Quanti apud Deum esset Andreæ virtus divina, quibus affluxit, charismata, & miracula declararunt: Discretio spirituum, penetratio cordium, prænuntiatio futurorum. Noctu visus est cœlesti luce perfusus, &, ingruente undique imbre, mirabiliter intactus, eo scilicet protegente, qui usque ab initio legem ponebat aquis: nimirùm *creavit Dominus*, in gratiam Servi sui (juxta Isaiæ vaticinium) *splendorem ignis flammantis in nocte, & tabernaculum in securitatem à turbine, & à pluvia*.

Tandem egregius iste, atque indefessus in vinea Domini Operarius, non quidem undecimâ horâ vocatus, sed ultra undecimam usque in senectam, & senium strenuè perseverans, geminoque peculiari, ac maximè arduo, quo se obstrinxerat voto, voluntati propriæ jugiter obsistendi, atque ad altiorem perfectionis gradum quotidie contendendi, duplici veluti stimulo adactus, de virtute in virtutem semper ascendens, protractoque feliciter ad extremum usque cum humani generis hoste certamine, repositam sibi coronam Justitiæ anhelans, cursum in osculo Domini consummavit.

Quæ quidem omnia, aliaque complura, quæ modò referre non vacat, conspicuæ sanctitatis argumenta, Beatissime Pater, cùm ex more hujus Sanctæ Sedis ritè, atque ordine comprobata fuerint, reliquum est, ut Beatus iste Vir, qui ad Justitiam erudiit multos, & apud Deum in Cœlis jam fulget quasi Stella in perpetuas æternitates, Sanctitate Vestra decernente, etiam apud homines Sanctorum honoribus glorificetur in terris, atque adeò, Supremi Pastoris Oraculo præeunte, sanctitatem ipsius narrent Populi, & laudem ejus universa nunciet Ecclesia.

BENEDICTUS S. Mariæ in Via lata Diac. Card. Pamphilius.

UBerrimus Ecclesiæ campus, Beatissime Pater, novis semper irrigatur fluminibus, novis vestitur floribus. Floruit præ cæteris virtutibus Beatus Andreas Avellinus Theatinorum Presbyter, heroica mansuetudine, humilitate, & charitate. (1) *Dilexit ex toto corde suo Dominum Deum suum, & proximum suum dilexit sicut se ipsum*. Adeôque Apostolo judice, supra communem agendi modum, (2) *Legem implevit*, juremeritò Magister Animarum appellatus. Propriæ voluntati bellum indixit, & de die in diem novæ perfectionis gradum ascendens, præclaram Carmelitarum Matrem imitatus, ardua vota sublimitate gestorum excessit. Nece nepotis audita, Interfectori, data pace, statim ignovit; Prophanum virum, ut à colloquiis consecratæ Deo Virginis removeret, *admisit* (3) *impias in se furentium manus*; Nec mirum si D. Carolus Borromeus tanta illum amoris necessitudine prosequebatur, quem sibi similem in subeundis pro animarum salute periculis, in tolerandis injuriis, invenit; Non immemor sum, Beatissime Pater, gravitatis materiæ, præsentiæ Principis, qualitatis Senatus: sed mihi olim hanc causam referenti, si lacrymæ profluxere, nunc quodam mentis excessu occurrit D. Carolus Borromeus, auribus quodammodo percipio illius vocem in Cœlis, sic Deum deprecantis; Domine, qui cognoscendo amas, amando spiras, inspira Vicario tuo Clementi, cujus vita, humilitas, & mansuetudo est, ut B. Andreas, mansuetudinis exemplar, ultimâ donetur coronâ in terris. (4) *Brachio virtutis tuæ* muniti, erimus ambo in tot calamitatibus Ecclesiæ militanti præsidio. (5) *Suscipiens mansuetos*, Domine (6) *respice in servos tuos*: (7) *Humilium* enim, *& mansuetorum semper tibi placuit deprecatio*.

PETRUS S. Laurentii in Damaso Diac. Card. Otthobonus.

IN tanta rerum perturbatione, temporumque difficultate, derivatis è Cœlo præsidiis rem christianam firmare, si unquam aliàs, nunc certè, Beatissime Pater, publica vota postulant, & necessitate compellimur. Hanc igitur afflictis rebus tutelam, & solatium Sanctorum fastis adscitus præstabit

[1] *Luc.* 10. 27. [2] *Ad Rom.* 13. 8. [3] *S. Leo Magn. in serm. Dom. Palm.* [4] *Ps.* 88. 11. [5] *Ps.* 146. 6. [6] *Ps.* 89. 16. [7] *Judit* 9. 16.

B. Andreas; Qui ſicuti triumphantis Eccleſiæ gloriam novis titulis auget, ita militantis columen erit tutiſſimum.

CAROLUS S. Agathæ Gothorum Diac. Card. Bichius.

BEATISSIME PATER, Beatus Andreas Avellinus ſingularis gratiæ Dei prærogativa ſuffultus, adhuc in juvenilibus annis Clericus, & ſubindè Sacerdos ſecularis, ita fide, & ardenti charitate in Deum, & proximum exarſit, ut inter præcipua ejus muneris excitamenta ſemper præ oculis habuerit, deviantes à ſemita Juſtitiæ ad ſpiritualis vitæ rectitudinem revocare, proindè aliquorum Monaſteriorum Monialium Reformator fuit electus, quorum Moniales, quæ longiùs ab Inſtituto deſciverant, ad Inſtituti leges adſtrinxit, non ſinè laboribus, perſecutionibus, ac etiam vulneribus ſibi à filiis iniquitatis inflictis, quæ tamen pro Dei gloria patienter ſuſtinuit; Matura jam ætate, audita interius voce Domini invitantis, aſſumpſit pennas, ut Columba, & ad Congregationem Clericorum Regularium Theatinorum convolavit, quam verbo, exemplo, atque novorum Monaſteriorum ædificatione illuſtravit. In afflictionem corporis ſui ſemper intentus, & veluti pœnitentiæ holocauſtum, ſe ſe totum obtulit Deo viventi, à quo in ſignum ſuarum heroicarum virtutum omnibus cœleſtibus donis præditus fuit, præcipuè miraculorum, ac penè familiaris Prophetiæ luminis, quo futura, & abſentia ſæpe vidit, & cordium ſecreta penetravit; Proindè, BEATISSIME PATER, Beatus Andreas, quem Deus gloria, & honore coronavit, dignus videtur, ut à Sanctitate Veſtra Sanctorum faſtis adſcribatur.

FRANCISCUS S. Angeli in Foro Piſcium Diac. Card. Barberinus.

BEATISSIME PATER: Juſtiſſimè proculdubio de Beato Andrea pronunciari poteſt, quod de S. Bernardo Claravallenſi Abbate ſcriptum reperimus, nempe, *vincebat ſublimitatem nominis humilitas cordis*: Nec *tantùm poterat univerſus eum mundus erigere, quantùm ſe ipſe dejicere ſolus*. Præcellentium ejus virtutum, eximiæque ſanctimoniæ nitor toto Orbe diffuſus, pluraque illius miracula per Sanctitatem Veſtram approbata, clarè oſtendunt, ipſum, qui dum inter mortales viveret, minimus omnium haberi voluit, inter maximos nunc, ſcilicet inter electos filios Dei, Infallibili Definitione Veſtra, computandum eſſe.

LAURENTIUS S. Nicolai in Carcere Diac. Card. de Alteriis.

BEATISSIME PATER: Beatus Andreas in nomine egregium prætulit ſpecimen Apoſtolicæ perfectionis. In adoleſcentia, carnis victis illecebris, floruit ſicut lilium caſtimonia; cœpit exinde majora omnium virtutum dona ei conferre divina dignatio. Legalibus diſciplinis eruditus exercuit patrocinia Cauſarum; ſed cùm à Deo ad agendas animarum cauſas vocaretur, Eccleſiaſtica miniſteria ſuſcepit, ſuſtinuit, perfecit ſumma alacritate, conſtantia, & ſalutis animarum, & Dei gloriæ incremento, &, in quos incidit, detractores, perditoſque adverſarios, in ſimplicitate, & humilitate ambulans amplexus eſt, & ad meliorem frugem revocare ſtuduit eos miſerè inſipientes, cùm eſſet ipſe verè ſapiens; Hinc contigit, ut ab iis non levi vulnere accepto, cùm decumberet, gravi correptus morbo, ſubito eum circumfulſit novum lumen de Cœlo, quo radiante, & rapiente cor ejus, ingreſſus eſt Theatinorum Ordinem, ibique ferventiori Divini Amoris æſtu exæſtuans aſſiduus ſategit, non quæ ſua erant quærere, ſed quæ Jeſu Chriſti. Regularis obſervantiæ Zelatorem maximum ſic ſe præbuit, ut prælectus, & exoptatus fuerit à præcipuis Urbibus pro erigendis ſui Ordinis Domibus: & in terris humana ſupergreſſus duo illa ardua non minùs, quàm perfecta emiſit, & implevit vota, ſuæ ſcilicet voluntati ſemper obſiſtendi, & ad ulteriorem perfectionis gradum quotidie progrediendi; Sed ſenio jam, & omni genere aſperitatum, quo corpus in ſervitutem redigebat, laboribuſque fidelis Dei Miniſter attritus, vitæ ſuæ curſum feliciter conſummavit; ſtans enim ante Altaris gradus, Sacro incœpto, gravi correptus morbo, aſcendit in Cœlum ad gaudium Angelorum. Omnipotens Deus in confirmationem ejus virtutis clariora ſigna, & miracula fecit, quibus coruſcantibus, cùm ipſius effulgeat ſanctitas, inter Sanctos ſolenni ritu referendum eum eſſe cenſeo.

CAROLUS S. Mariæ de Scala Diac. Card. Columna.

BEATISSIME PATER: Beatus Andreas probitatem auſpicatus ab ubere, ſacros mores ſuxit cum lacte, virtutem cœpit noſſe cum vita, ſeculum verò fugit, ac novit. Theatinorum Familiæ nomen vix dederat, humilitate, invictaque patientia, & manſuetu-

ſuetudine eò perfectionis ſtatim pervenit, ut Conſodalibus omnibus grande factus ſit virtutis exemplum; ſuccreſcentibus deindè meritis, omnium tamen deſpectu ſe dignum arbitratus, Carne, Dæmone, & Mundo profligatis, de ſe ipſo fortiter triumphavit. Nè igitur tantus Sacerdotum ſplendor diutiùs ſub modio deliteſcat, tot probitatis inſignia, tot coruſcantia inſimul miracula, petunt, & expoſcunt, ut, Sanctitate Veſtra decernente, Sanctorum in Album referatur.

NICOLAUS S. Mariæ in Coſmedin Diac. Card. Grimaldus.

BEATISSIME PATER, Beatum Virum Andream Avellinum Presbyterum Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum in Dei gloriam ſuſceptum eſſe teſtantur ejus virtutes in gradu heroico probatæ, & mirabilia, quæ Deus operatus eſt in eo, multos curans in inſtanti à languoribus, & plagis. Ipſe ad inhoneſtas voluptates etiam allectus forti animo reſiſtens, caſtitatis candorem coluit, & gravibus læſus vulneribus injurias remiſit: Inimicos dilexit & bene fecit iis, qui oderunt eum: charitatem, & chriſtianam humilitatem cum patientia, & manſuetudine conjunxit; Solicitus animarum Pater, perſonarum acceptione nunquam admiſſa, pro illarum ſalute nullis curis pepercit, & quidquid frumenti domeſtico in horreo ſervabatur Pauperibus diſtribuens, plus omnibus miſit in Gazophylacium Domini. His inſpectis cenſeo BEATISSIME PATER, à Sanctitate Veſtra illum in Sanctorum Confeſſorum Album referendum, ut mortalibus ſit in Cœlo Patronus, & in terris ad virtutes incitamentum.

ANNIBAL S. Euſtachii Diaconus Cardinalis Albanus.

SERVUM illum, BEATISSIME PATER, ipſius æternæ Veritatis teſtimonio, longè omnium fortunatiſſimum non abs re fuiſſe crediderim Andream Avellinum, quem in qualibet vigilia veniens Dominus, inſomnem ſemper invenit, & vigilantem. Primo enim mane miſſus à Cœleſti Patrefamilias in meſſem ſuam, longo vitæ mortalis ſpatio uberem adeò animarum ſegetem collegit, ut Neapoli, Mediolani, Placentiæ, aliiſque Italiæ locis perditiſſimos hominum mores, & Eccleſiaſticam diſciplinam in dies collabentem, ad Tridentinarum Sanctionum normam mirificè revocaverit; ideoque pari virtutum conſenſione, & amabili mutuæ ſanctitatis vinculo S. Carolo Borromeo fuerit in primis charus. In poſtrema vigilia rediens Dominus, tanquam fur, paratum adeò invenit famulum ſuum, ut eodem ferè tempore, quo ſacris præcinctus veſtibus introire ad Altare Dei de more ſatagebat, dierum, & meritorum plenus, æternum Domini ſui gaudium fuerit ingreſſus. B. Andream igitur, de quo dudum Alumno, nunc propemodùm auſpice, & duce, ſacra Theatinorum Familia gloriatur, quem raro huc uſquè exemplo, nondum in Sanctorum numerum relatum, uti Patronum colunt Urbes, & Regna, cujus demum ſanctitatem multiplicium miraculorum teſtimonio comprobavit Altiſſimus, per Sanctitatem Veſtram Sanctorum Catalogo adſcribi poſſe cenſeo.

LUDOVICUS Picus de Mirandula Patriarcha Conſtantinopolitanus Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER: *Teſtimonia Domini credibilia facta ſunt nimis*; neque Divina Sapientia, quæ poſuit prodigia vocem ſuam ſuper terram, perſpicuè magìs, aut efficaciùs edicere nobis poterat, quòd B. Andream Avellinum jam indè ab inito peregrinationis hujuſce curſu in Sanctorum ſuorum ſortem nedum vocaverat, ſed etiam elegerat. In ipſo enim Deus Deorum Dominus, cujus declaratio ſermonum illuminat, & intellectum dat parvulis, tunc potiſſimùm locutus eſt, cùm oculos ejus ab adoleſcentia ſua, nè reſpicerent in vanitates, & inſanias falſas, ſingulari gratiæ privilegio avertit, & inter mundanas varietates verſantem adhuc in via mirabili ſuper ſemitas Juſtitiæ deduxit illum. Hinc Religioſiſſimæ Theatinorum Familiæ mirabili divinæ voluntatis præordinatione adſcriptus, non ut hoſpes, & advena, ſed ut Civis Sanctorum, & Domeſticus Dei cœleſtem propè vitam egit in terris, & Dei æmulatione Apoſtolum æmulatus cùm diceret: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*, flagrantiſſimâ in Deum, & homines charitate, omnique præcellentium virtutum genere eluxit, quibus Civitas Sancta Jeruſalem ornata tanquam Sponſa refulget. Hinc factum eſt, ut elementa vocem ejus audierint; Angeli ſpeciem cœleſti ſplendore non ſemel circumfuſus induerit; ac ipſemet Chriſtus Dominus, quaſi fideli Operario ſuo retribuendæ mercedis impatiens, non ſolùm verbis ad aures, ſed etiam ſpecie ad oculos locutus, lætificaverit eum in gaudio cum vultu ſuo. Hinc jure merito non modò conſulendum, ſed humillimè, ac inſtantiſſimè Sanctitati Veſtræ ſupplicandum

est, ut quem misericors Deus per adoptionis gratiam jam in splendoribus Sanctorum viventem voluit, ac demonstravit in terris, hic ipse, impleto vitæ, ac ministerii cursu, inter filios Dei à justo Judice computatus in Cœlis, supremo, ac infallibili, quod unum est inter homines, judicio declaretur.

JOANNES Patritius Archiepiscopus Seleuciæ Assistens.

BEATISSIME PATER: Illuminavit Deus faciem suam super servum suum Andream, quem adhuc inter vagitus salutari docuit se Crucis signo munire. Adolescens illibatum virginitatis candorem constantissimè asservavit, & usque in finem inventus est sinè macula. Clericali militiæ adscriptus in charitatis officiis totus erat; Pro tuenda sacrarum Virginum pudicitia ad sanguinem usque restitit, & erectus pro justitia de perceptis contumeliis exultavit: ideoque placita erat Deo anima illius, quam properavit educere de medio seculi iniquitatum ad fidam, tranquillamque Theatinæ Religionis stationem, ubi ad animarum salutem procurandam ad extremum usque spiritum insudavit. Eximia fuit Andreæ inter Claustra erga Deum pietas, candidissimi mores, profundissima humilitas, Ecclesiasticæ disciplinæ solicitudo, & observantia, & tantâ in Deum charitate æstuavit, ut in ejus Fidei testimonium, sanguinem, vitamque profundere exoptans, beatam SS. Martyribus invideret sortem; unde ad martyrium effectus defuit, non voluntas. Ex his dilexit eum Dominus in odorem suavitatis, & dum Sacra facturus introibat ad Altare Dei, hostia placens Deo ipse factus est, & ad supernas æternitatis Aras translatus. Exigunt igitur, BEATISSIME PATER, præstantissimæ B. Andreæ virtutes, ut quemadmodum miraculis illustribus sunt ab Altissimo comprobatæ, ita ad majorem Divini nominis gloriam, & ad Catholicæ Ecclesiæ decus, universo Christi Fidelium Cœtui per solennem Canonizationem in exemplum proponantur, ut laudes ejus universa enarret Ecclesia.

PHILIPPUS Anastasius Archiepiscopus Surrentinus Assistens.

QUemadmodum, BEATISSIME PATER, magnus ille Propheta à spiritu inter cœlum, & terram elevatus fuit, ut sursum Dei gloriam suspiceret, deorsum verò delinquentium abominationes pessimas abhorreret; Ita B. Andreas Avellinus, quasi inter Cœlum, & terram raptus constitisset, contemplativam vitam, atque activam mirum in modum conjunxisse dignoscitur. Siquidem, dum contemplationibus cum Deo intimè ageret, perditorum hominum emendationi studebat; cùm animum heroicis virtutibus exornaret, sacerdotalibus laboribus aliorum saluti consulebat. Hinc factum, ut Deus animam illius sibi dilectam miraculis ostenderit: mortales verò B. Andream præclarissimis laudibus, summâque admiratione sint prosequuti. Illum itaque dignum arbitror, qui supremo Romanæ Sedis judicio inter Sanctos Confessores cooptetur.

NICOLAUS Caracciolus Archiepiscopus Capuanus Assistens.

BEATISSIME PATER: Nequidquàm Catholica Fides nos edoceret, Sanctos cum Christo regnantes, venerandos, & invocandos esse, nisi hæc Apostolica Sedes infallibili veritatis Oraculo illos designaret, quorum suffragia exposcere, quorum virtutes imitari deberemus. Tali autem honore dignissimum existimo B. Andream Avellinum, qui propriæ perfectionis non contentus ornamentis, animarum saluti, & Catholicæ Ecclesiæ utilitati longo suæ vitæ cursu adeò constanter incubuit, ut non solùm labores, sed sanguinem, & vitam ipsam exponere non dubitaverit. Quare Sanctitatem Vestram supplex oro, ut egregium Neapolitani Regni Alumnum, juxta venerandos hujus Apostolicæ Ecclesiæ ritus, inter Sanctos referre dignetur.

FERDINANDUS Nuptius Archiepiscopus Nicœnus Assistens.

BEATISSIME PATER: Inter admirandas, easque innumeras virtutes, quibus clementissimus Deus B. Andream Avellinum excellere voluit, illa maxima fuisse mihi videtur, quâ inimicos dilexit, & suis percussoribus, suorumque interfectoribus, heroico sanè exemplo, invictoque animo veniam largitus est, illius nempe ardentissimi in Deum amoris, & summæ charitatis instinctu, quam erga proximum suum usque ad extremam senectam, palàm, & ubique conatus est manifestare tantâ cordis alacritate, ut meruerit à dextera Excelsi, *qui refrigerat ignem, & murum facit ex aquis*, supra se nimbos, pluviasque hærentes, & pendulas in aëre suspendi, quo illæsus, & expeditus ad tanta opera exercenda progrederetur.

Reli-

Religiosissimos Cardinales Carolum Borromeum, & Paulum de Aretio B. Andreæ manum, consiliumque in gravissimis suarum Ecclesiarum negotiis sepiùs adhibuisse, pro singulari ejus elogio sufficiat. Quapropter ad Cleri Secularis, & Regularis, quibus nomen dedit, decus, & splendorem, ac universæ Ecclesiæ solatium, supremo Cathedræ Apostolicæ decreto, illustrem hunc Dei servum Sanctorum fastis adscribendum esse censeo.

PETRUS Corradinus Archiepiscopus Athenarum Assistens.

BEATISSIME PATER, Alma Mater Ecclesia vestigia Cœlestis Jerusalem sequens, eorum memoriam, qui salutaribus documentis eam illustrarunt, decorarunt virtutibus, & moribus informarunt, magnificare consuevit, honoribus extollere, & exaltare præconiis, ut ita gesta justorum, quorum animas inspirando Deus inhabitavit, peccatores ad confusionem adigant, & fidelibus vim adhibeant, ut recta sibi ad imitandum proponant; Unde bene per Ezechielem dicitur, *Fili hominis ostende Domui Israel Templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus, quæ fecerunt*: Metiri fabricam est pensare subtiliter justorum vitam: ostendere Templum, nil aliud est, quam eorum gesta ob oculos ponere, ut in illis fideles bonum, quod negligunt, videant, & in seipsis, malum, quòd operantur, erubescant, quæque iniqua gerunt, reprobent: justi itidem in victoria fortium habeant, quod imitando arripere, & quod trepidando timere debeant; Narrat enim Ecclesia gesta Sanctorum, & ad imitationem corda provocat infirmorum. Quamobrem par esse puto per Sanctitatem Vestram B. Andream de Avellino exaltari, ut Ecclesia universa inter alios Confessores veneratione celebri ejus memoriam recolere possit, ejusque vitam fidelibus suis ad imitandum proponere. Quandoquidem, qui persecutionem patiuntur propter Justitiam, & vulneribus afficiuntur propter Charitatem, habent in hoc speculo quid contemplentur. Vulneratus quippe mortiferè hic Dei Servus fuit à perdito homine, non ut sinè retractatione puniretur, vel pro præterita culpa corriperetur, sed ut, dum inopinata salus percussionem secuta est, salvantis Dei cognita virtus ardentiùs amaretur, eique per patientiam, per mansuetudinem, & per humilitatem, meritorum summa cumularetur; Injuriæ, & impressa vulnera id effecerunt, ut Servus Dei majore æstuaret charitate in proximum, & in Deum, atque non sinè prodigio omni periculo perfunctus, Theatinorum Institutum amplecteretur, & ita in Ecclesia Dei magìs, ac magìs eluceret. Habent unde veram artem hauriant Causarum Patroni, & præsertim Sacerdotes in foro Ecclesiastico, atque in Pupillorum, egenorum, miserorum, & Ecclesiarum, vel Ecclesiasticis causis tantummodo declamandi. Habent Directores Monialium, Parochi, Regulares, Tyronibus Præpositi, & Cœnobiis, Confessarii, & ii omnes, qui divini cultus promovendi studio ardere contendunt, habent, inquam, quid agere, quæ pro animarum salute aggredi, quâve mansuetudine, humilitate, & morum probitate hujuscemodi res pertractare debeant. Habet insuper universalis Ecclesia, unde extendat nubes, quasi tentorium suum, & fulguret lumine suo desuper, cardines quoque maris operiat; unde, scilicet exemplo virtutum hujus Beati, & miraculis ritè probatis, insensibilitatis nostræ tenebras illustret, & extremos Mundi terminos radiis coruscæ lucis illuminet.

DOMINICUS De Zaulis Archiepiscopus Theodosiæ Assistens.

BEATISSIME PATER: Heroica Beati Andreæ Avellini virtus verè consuetæ sanctitatis metas prætervolavit, nam adhuc adolescens Magistrum egit Euangelicæ veritatis. In eo præ cæteris, Castitas, Humilitas, & Charitas summoperè triumphavit. Sicarios sibi allaturos mortem, quam pro animarum salute optaverat, excelso animo expectavit, sustinuit, iterumque sanguinem fudit; reddidisset & animam, quippe qui pro Christo mori lucrum existimabat: ad majora tamen lucra servatus à Domino, dum Apostolicum Clericorum Regularium amplexus Institutum Mundo moreretur, ut novum Euangelicæ perfectionis gradum ascenderet, æmulando charismata meliora, peculiari voto sese Dèo obstrinxit, propriæ voluntati semper obsistendi. His profectò Regno Cœlorum vim intulit, & violentus rapuit illud: Dum Andreas viveret illum cœlesti splendore circumdans Dominus præsignavit, & mirabilia ejusdem precibus operando Sanctum declarare non destitit. Jure itaque optimo Sanctitas Vestra B. Andreæ Sanctorum cultum decernet, ut Dei Omnipotentis gloria increbrescat, qui virtutem talem homini dedit, & potestatem.

ALE-

ALEXANDER Bonaventura Archiepiscopus Nazianzenus Assistens.

BEatissime Pater: Beatus Andreas Avellinus, verus Apostolicæ vitæ Sectator, dum Crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro Christi nominis gloria portavit, constitutus super familiam suam talenta divinitùs accepta cum fœnore reddidit. Potens opere, & sermone, nullo aut periculo, aut labore à procuranda animarum salute potuit prohiberi: hinc quater per Sicarios petitus ad necem, gladiis impiorum se non eripuit, sed obtulit, cùm mallet vitæ dispendia pati, quàm Orationis. Verè ineffabilem Virum, cui nec gladius persecutoris defuit, nec palmam martyrii amisit: Si enim fortis est, ut mors, dilectio, habuit hæc Martyrem suum in Andrea, qui dira passus vicit in bono malum, & semper Charitatis officia reposuit. Tanto præluxit splendore virtutum, ut eum S. Carolus, nè in vinea Domini excolenda deesset adjutorium simile sibi, Mediolanum acciverit, & ibi, dum Carolus plantabat, rigabat Andreas, Deus autem incrementum dabat. Pari ergo fulgore, qui pari Charitatis igne æstuarunt, luceant in Domo Dei hæc duo Candelabra, si Sanctitati Vestræ placuerit.

SINIBALDUS De Auria Archiepiscopus Patracensis Assistens.

BEatissime Pater: Cùm plurimum deceat coronari eos, qui legitimè certarunt, tum maximè illos, qui sui laborem, & gloriam certaminis in communem Christianæ Reipublicæ utilitatem retulerunt. In horum numero B. Andreas est, qui omni virtutum genere, quæ ad interiorem perficiendum hominem pertinent, cumulatissimè instructus, virtutes illas, ac se totum, spiritualis aliorum salutis, atque profectus studio addixit, non laboribus, non vigiliis, non periculis parcens, non ægræ sæpiùs valetudini, non extremæ indulgens senectuti; quo in Apostolico munere quanta Andreæ fuerit excellentia, nedum multa declarant argumenta ex rebus ab eo gestis deprompta, verùm etiam illud in primis grave, quod tam præclarum Ecclesiæ lumen Carolus Borromeus Andream dignum censuerit, quem Pastoralis suæ solicitudinis participem, adjutorem, & quasi socium deligeret. Honores itaque in præstantioris sanctitatis testimonium institutos ei deferendos esse constanter existimo.

Fr. JOANNES FRANCISCUS De Nicolais Archiepiscopus Myrensis Assistens.

BEatissime Pater: Mirabilis Deus in Sanctis suis, mirabilem se quoque ostendit in B. Andrea Avellino, qui divinis charismatibus præventus, ab ortus sui primordiis plura sanctitatis indicia dedit; signanterque Crucis Dominicæ signo in ea tenerrima ætate se sæpe sæpius munire, mirantibus cunctis, puerulus visus fuit, quo facto ejusdem Crucis Amatorem, & Sectatorem eximium se futurum mirabiliter utiquè præsignavit. Castimoniæ candorem sanctè per totam vitam coluit, illibatumque servavit, castitateque præeminens in operibus bonis ita se exercuit, ut Christianæ perfectionis apicem attigerit, plurimosque sedentes in tenebris, & umbra mortis, tanquam fulgentissimum Sydus, ad æternæ vitæ semitam suo fulgore reduxerit. Etenim Adolescens Clericali militiæ adscriptus, & Sacerdos factus, se totum ad procurandam animarum salutem applicuit, sacroque postea PP. Theatinorum Instituto suscepto, nihil jam in terris desiderans, conversationem suam ita in Cœlis habebat, ut non quæ super terram, sed cœlestia tantùm se quærere, ac sapere, verèque cum Christo resurrexisse monstraverit: tantâque vitæ sanctitate splenduit, ut Secularibus, Clericis, & Regularibus, in triplici suæ vitæ gradu, veræ sanctitatis exemplar se præbuerit: Virtutes itaque omnes, præsertim verò Theologales, & Cardinales, (ut ritè probatum extat) in gradu heroico possidens, & in illis perseverans, Prophetiæ spiritu non caruit, & cordium secreta penetravit, sicque tandem plenus meritis ad cœlestem Patriam convolavit. Quapropter Beatus iste à Deo pariter miraculis multis tam ante, quàm post ejus obitum decoratus, verèque commendatus, dignus est, ut à Sanctitate Vestra in terris Sanctus declaretur, & Sanctorum cultu donetur ad majorem Dei gloriam, sacri Theatinorum Instituti decorem, & orthodoxæ Ecclesiæ ornamentum, ac utilitatem: sic sentio, sic opto.

PHILIPPUS MICHAEL Ellis Episcopus Signinus Assistens.

BEatissime Pater: Ut quis in Canonem referatur, vitæ sanctitas cum gloria miraculorum conjuncta requiritur. Quapropter B. Andreas Avellinus, qui heroicis virtutibus, & præclarissimis prodigiis excelluit, jure merito in Sanctorum Catalogo à Sanctitate Vestra

Vestra conscribendus hodie ad ineffabile Supremæ Sedis Tribunal sistitur. Si spiritualis homo est, qui omnia scrutatur etiam arcana Dei, profectò spiritu Dei agebatur B. Andreas, qui passim, hinc Cœli arcana, indè cordium secreta penetravit. Censeo igitur Beatum hunc Virum inter Sanctos solenni ritu à Sanctitate Vestra referendum.

ANTONIUS Fonseca Episcopus Tiburtinus Assistens.

BEATISSIME PATER: Fortissimus Christi Athleta B. Andreas Avellinus, salutaris pugnæ campum nactus est, utrosque Italiæ terminos; Spatium temporis ad decertandum, vitæ ambitum ad extremam senectutem perductum, hostes, portenta omnigena vitiorum, attritus laboribus, vulneribus affectus, non insidias, non assultus Rectorum tenebrarum expavit. Quòcumque illum zelus animarum, obedientia, charitas evocaret, confestim convolavit, indutus armaturam Dei, & confortatus in potentia virtutis ejus. Nulla Apostolici muneris omissâ parte Apostolicum nomen implevit. S. Carolus Borromeus Archiepiscopus Mediolanensis, viri integritatem non semel est demiratus. Qui tamdiù fortiter in Agone contendit, dignus est, ut à Sanctitate Vestra declaretur bravium æternæ felicitatis fuisse assecutum in Cœlis.

SEBASTIANUS POMPILIUS Bonaventura Episcopus Montisfalisci, & Corneti, Assistens.

BEATISSIME PATER: In sortem Domini vocatus Andreas solicitè cavit, nè misceretur inter Gentes: Monialium regimini admoto tristia multa, & aspera subeunda fuerunt, ut fortis armatus custodiret atrium suum, & in pace ibi essent, quæ Dominus possidebat. Cùm mundum in malo positum videret, illi se surripuit, ut absconditam vitam ageret cum Christo in Deo. Latêre meditabatur, at cùm latêre non posset sub modio abscondita lux magna, pervasit in plurimos fama virtutum, nec ille occupari detrectavit Officiis, quæ operosa Charitas derivat in Proximos. Tantam lucem sustinere non potuerunt filii tenebrarum, quibus venerat in invidiam. Æternæ lucis colores etiam per noctem hujus mortalis vitæ cœlestis Patriæ prodebant Candidatum, ac si enim haberet corpus humilitatis suæ configuratum corpori claritatis Christi, tenebras intempestæ, ac pluviæ noctis quandoque depulit. Fulget sanè, BEATISSIME PATER, in lumine gloriæ, qui lucebat, cùm adhuc ambularet in caligine Fidei.

Fr. PETRUS LAMBERTUS Le Drou Episcopus Porphyriensis Assistens.

BEATISSIME PATER: Monet Ecclesiasticus, ut *laudemus virum*, qui fecit mirabilia in vita sua. Nihil magìs supra humanam conditionem, magìsque prodigio simile, quàm medias inter flammas tentationum carnis non uri, & in assidua proprii amoris lucta se ipsum continuò vincere, suique nihil esse, sed totum Dei, & proximi. Talem se exhibuit B. Andreas Avellinus, dum in fervescentis adolescentiæ æstu illæsum servavit pudicitiæ florem ab impuris ignibus, quos identidem illi accenderunt impudicarum fœminarum studiosæ illecebræ; Dum Sicariis, qui lethali eum affecerant vulnere, nedum hilariter ignovit, sed Neapolitanum Proregem, nè meritas darent pœnas, enixè exoravit; Dum grates Deo retulit pro accepta illius ergo istiusmodi insigni contumeliâ; Dum sui Nepotis interemptorem pace incunctanter donavit; Dum Religiosis votis aliud, quo propriæ voluntati semper obniti, aliud, quo novum perfectionis gradum in dies conscendere teneretur, spontè adjunxit; Dum inter summa humanæ vitæ incommoda, nulli pepercit labori, quo se totum proximi saluti, & animarum lucro assiduè consecraret. Cùm autem hæc divinæ gratiæ prodigia, aliis compluribus, quæ omninò supra naturæ vires per ipsum patravit Deus, illustrata sint miraculis, satìs superque comprobata videtur ejus sanctitas, ut Sanctorum in Cœlo regnantium Albo solenni Canonizationis ritu adscribatur, ab universa utique Ecclesia colendus, & laudandus, tanquam vir, *qui fecit mirabilia in vita sua*.

LAURENTIUS Gherardus Episcopus Lauretanus, & Recanatensis, Assistens.

BEATISSIME PATER: Andream de Avellino, qui zelo ardentissimo tot animas Cœlo invexit, inter Cœlites regnare minimè dubitandum est; neque verò fieri potest, ut qui in via fuit socius passionum Christi, non sit etiam in Patria socius consolationis; nam idem Dominus ait: *Volo, ut ubi ego sum, illic sit & Minister meus*. Quàm fideli autem ministerio Andreas procuraverit, non

quæ

quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, argumento ſunt graviſſimæ perſecutiones, quas pro animarum ſalute ſuſtinuit, pericula, quæ ſubiit, & vita denique omnis per omnia proſpera, & adverſa mirabiliter exercita. Quidquod annuntiavit, quæ eſſent futura, qui eſt certiſſimus character inhabitantis divinitatis. Teſtatiſſima etiam ſunt ſigna, & prodigia, ut nihil jam deeſſe videatur, quominus Sanctitas Veſtra glorificet Deum mirabilem in hoc Servo ſuo, eumque digniſſimum honore Sanctorum ſolenni Canonizatione declaret.

VINCENTIUS de Aptis Epiſcopus Urbevetanus Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER: Beatus Andreas Avellinus impertiendo Sicariis veniam, imò & pro illis exorando, exhibendo Nepotis interfectori pacem, amplexando Theatinorum Inſtitutum, utpotè ad animarum ſalutem promovendam accommodatius; cæteriſque omnibus tum in vita, tum in morte geſtis, ſatìs ſuperque oſtendit ſe excelluiſſe charitate. Quæ cùm major omnium, & plenitudo legis ſit, diſcernens inter Filios Dei, & Filios Diaboli, ipſum natum eſſe à Deo, & ad Deum apertiſſimè demonſtravit; Quid igitur, ut Duliâ Sanctis debitâ univerſæ Eccleſiæ adorandus proponatur, deſiderandum? Illud unum, quod ad id Beatitudinis Veſtræ (cujus ſolius, & muneris, & poteſtatis eſt) impellat definitio.

FABRITIUS Pignatelli Epiſcopus Lycienſis Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER: Andreas Avellinus, quem non Neapolitani Soli deliciæ, non Tribunalium ambages, non Advocati munus periculoſæ plenum aleæ, præſtigiis ſeculi illexerunt, inter Mundi illecebras vivens florentibus annis, jugum portavit ab adoleſcentia, & Crucem tollens, abnegavit nedum ſua, verùm etiam ſeipſum, & ſecutus eſt Dominum. Impudicarum mulierum preces, & minas abhorruit, contempſit. Proximorum animas pretioſiores faciens, quàm ſuam, vulnera excepit, ſanguinem effudit, ac pluries ad necem expetitus pro Perſecutoribus exoravit: quorum gladiis licèt non perierit, martyrii palmam forſitan non amiſit. Non mortem expaveſcens, nec vitam abhorrens, Apoſtolicam vivendi formam in arctiſſima Regularium Clericorum Congregatione profeſſus eſt; ibique uni Deo confidens, & cœleſtia tantùm deſiderans, nonnullis additis votis maximè arduis ſe mancipavit, quæ ad extremam uſque ſenectutem mirabili perſeverantiâ, & hilaritate adimplevit, & quotidie magna facere, & majora pati excogitans, dignus fuit, qui & in terris inter homines degens, & in Cœlis cum Chriſto regnans, prodigiis quamplurimis glorificaretur. Proinde tot, tantiſque argumentis cœleſtes Andreæ virtutes ſignificantibus, ſolenni ritu Canonizationem decernendam cenſerem, ut, qui Eccleſiæ cultum auxit, Sanctorum cultu ab Eccleſia augeatur, ac jure meritò Beatiſſimus Romanus Pontifex inter Cœlites proponat adorandum, quem novum, ac ſaluberrimum Euangelicæ perfectionis exemplar fidelis Populus & admiratione, & imitatione proſequi valeat, novumque apud Deum Interceſſorem in ſævientis ſeculi miſerrimis varietatibus invocare.

CAROLUS Maigrot Epiſcopus Cononenſis Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER: Habemus expreſſam in Beato Andrea Avellino boni militis Chriſti Jeſu, & operarii inconfuſibilis imaginem, in quam intueamur omnes quotquot ſacræ militiæ ſumus adſcripti. Virum exhibet, Deo, non ſibi natum, qui nihil habuit cum ſeculo commune, nihil mundi hujus vindicavit ſibi, habentem myſterium Fidei in conſcientiâ purâ, & ad ſublimiorem in dies perfectionem anhelantem, cui nihil arduum, quia humilis, nihil aſperum, quia mitis fuit, & mundo, ſibique crucifixus; in Oratione aſſiduum, in opere ſolicitum, durum ad labores, fortem ad pericula, illecebris invictum, afflictis, & mœrentibus, ut S. Gregorii verbis utar, compaſſione proximum, exemplum ſe præbentem omnium, in verbo, in charitate, in fide, in caſtitate.

Huic ſtrenuo militi triumphum à Veſtra Sanctitate decerni, non ea ſolùm pia familia, cujus in Caſtris tamdiù meruit, multis Eccleſiæ nominibus chariſſima, ſed Cleri univerſi Sacratiſſimus Ordo vehementer exoptat: illius enim, & Chriſtianæ Religionis intereſt, ut præcellens Sacerdotalis perfectionis exemplar, in noviſſimis iſtis temporibus, quibus charitas refrigeſcit, auctoritate Apoſtolicâ in ſublime poſitum, perpetuum quoddam prædicandi genus exiſtat, ſitque ſacris præſertim Altarium Miniſtris, vividum humilitatis, patientiæ, paupertatis, & aliarum, quibus Cleri gloria continetur, virtutum incitamentum, & vitæ ſpeculum excellentioris, in qua totius eluceat forma juſtitiæ.

BERNARDUS MARIA de Comitibus Episcopus Terracinensis Assistens.

BEatissime Pater: Similis fuit B. Andreas Avellinus S. Cajetano Thienæo; fuit hic primus Institutor Religionis Presbyterorum Regularium, qui Theatini dicuntur: ille fundatam propagavit. Inter cætera mulierum Monasteria S. Cajetanus extruxit Monasterium in Civitate Neapolitana mulierum, quæ pudicitiæ jacturam passæ fuerant: Præstitit hoc ipsum B. Andreas in Civitate Placentina. De S. Cajetano dicitur, quod adventantes ad virginitatis amorem rapiebat: Beatus autem Andreas fœminas ad illicita provocantes, florente adhuc ætate, constanter abjecit. S. Cajetanus frequentiorem Sacramentorum usum induxit, lapsos fidelium mores, quâ verbo, quâ exemplo correxit, animosque ad Dei amorem vehementer excitavit; assiduus pariter, & egregius, uberrimo animarum fructu, Sacramentorum Minister extitit B. Andreas. Fundos, & census oblatos Sanctus respuit Cajetanus; eleemosynas verò & munera ad S. Carolum Borromeum donatorem liberalissimum B. Andreas remisit. Decet ergo, Beatissime Pater, ut biga ipsa Sanctorum (utor Chrysostomi verbis) quæ pari devotione jugum portavit in terris, pari triumpho coronetur in cœlis, & quod à Clemente XI. Sanctorum honores B. Andreas consequatur, quos à Clemente X. S. Cajetanus obtinuit.

PROSPER Marefuscus Episcopus Cyrenensis Assistens.

BEatissime Pater: Relatis heroicis B. Andreæ Avellini virtutibus, audivimus, quantâ morum sanctitate, adhuc in seculo permanens, in ipso effervescentis ætatis æstu, impudicas mulieres ad illicita provocantes abjecerit; quantâ animi tolerantiâ injurias sustinuerit: percussoribus nedum ultrò pepercerit, sed & emeritas pœnas à Principe Justitiæ vindice remitti enixè rogaverit. Audivimus, quo studio, & labore, Sacram Theatinorum Familiam provectâ ætate ingressus, assiduè ad perfectiora quæque contenderit: qua charitate erga proximum enituerit: qua humilitate sui contemptor acerrimus etiam infimis viliorem se fecerit, studens latere magis, quàm agnosci; Præstantissimus spirituum scrutator, prophetiæ dono illustris, omnibus omnia factus, ut ad omnium mores, tempusque omne videretur eum affinxisse Deus, bona impulisse voluntas, usus, & sancta consuetudo firmasse; Age igitur, Beatissime Pater, cui cordi semper est, bona desideria promovere, & promota perficere, B. Andream tot virtutibus clarum, ac miraculis coruscantem, ad divinæ gloriæ incrementum, & salutis nostræ profectum, Sanctorum numero adscribe. Præbe viris in seculo manentibus hoc virtutum exemplar, ut rectam vivendi rationem, morum innocentiam, & vitæ sanctitatem, etiam inter mundi illecebras colere, & illibatè servare addiscant; Doce Viros Religiosos, quo gradu ad perfectionis culmen facilior sit ascensus; Imple gaudium totius militantis Ecclesiæ, eique novum adde præsidium, ut tot vulnera à seculi Potestatibus in dies inflicta, cœlestibus remediis, in quibus unicè sperandum, & leniantur, & sanentur. Demum invictum Christi Athletam sacro diademate in terris corona, extinctosque cineres radiantibus dona fulgoribus, ut qui est de sua felicitate securus, sit de nostra in cœlis incolumitate solicitus.

Ես Մատթէոս կաթուղիկոս որդի սանուկպալի Պոլսոյ կոստանդնուպօլսոյ.

Այս երանելին զխոստացեալ պահել անխախտ իւր մաքրութիւն ոչ թէ առանց թեպէտ քանիցս անգամ փորձութիւն այսինքն եւ որդի զօրութեամբ առ. տանել զհոգիքն իմանապարհ սրբութեան այսինքն թողութի եւ ուր իւր թշնամեացն. որ ծանրութբ նեղացուցեալ էին զինքն. ամծութիւն իւր կենդանութեն եւ յետ մահուանն փառաւորեաց զինքն հրաշիւք։ Վ̄ո այս երանելին հայր կուամ̄առամորքն սրբութեան դնել՝ի կարգ սրբոց խոստովանողաց։

MATTHÆUS Sanucbbalì Patriarcha Constantinoplitanus Nationis Armenæ.

BEatissime Pater: Eximiam B. Andreæ castitatem inter cæteras ejus virtutes agnovit, laudavitque Ecclesia. Æternæ salutis semitam à recto virtutis tramite deflectentibus ostendit, & peccatoribus explanavit, pravosque Populorum mores opere, & exemplo reformavit. Inimicis etiam se graviter lædentibus pacem ultrò dedit, animamque pro ipsis ponendam non dubitavit: Ejus tandem mortem in conspectu Domini pretiosam miraculis testari dignatus est Omnipotens; Quorum omnium gratiâ, Beatis-

SIME PATER, eundem Sanctorum Confessorum numero adscribendum, putarem, ut qui de sua jam est felicitate securus, de nostra fiat incolumitate solicitus.

Ὀνούφριος Κωνσταντῖνος Μητροπολίτης Δεβρῶν, καὶ Ἔξαρχος Δευτέρας Μακεδονίας.

Περὶ τὸν Ἀβελλινὸν (μακαριώτατε Πάτερ) περὶ τὸν Ἀβελλινὸν (φημὶ) τὸν ἐν μακαρίοις Ἀνδρέαν τὸν τῆς ἀνδρείας ἐπώνυμον θεηγόρον μὴ δυνάμενος ἐγὼ τὰ πολλὰ ὑπὸ πολλῶν εἰρημένα διηγήσασθαι θαύματα, ἐν ἐπιτόμῳ μόνον πρὸς ὑπόμνησιν εἴπω· ἐπειδήπερ αἱ πολύτροποι αὐτοῦ ἀρεταὶ ἐν τῇ τῶν ὀρθοδόξων πολιτείᾳ φανεραί εἰσιν, ὅθεν μᾶλλον σιωπῇ, ἢ τῇ πολυλογίᾳ χρὴ ἐγκωμιάσεσθαι. Ἓν μὲν οὐ σιωπήσω, δηλονότι ὅταν ταῖς θλίψεσι, καὶ πληγαῖς ὑπὸ ἀτάκτων, καὶ μιαιφόνων ἀνδρῶν τραυματισθεὶς, τότε ἐφάνη καρτερικὸς ἀδάμας, τῆς ὑπομονῆς τῷ στεφάνῳ κοσμούμενος, καὶ ὡς ὑπέρλαμπρος μιμητὴς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ γενναίως ὑποφέρων, καὶ συγγνώμην αὐτοῖς διδοὺς, δεικνύων σεαυτὸν ὑπόδειγμα, καὶ στήλη πασῶν τῶν ἀρετῶν· ὅθεν (ἁγιώτατε πάτερ) ἀναγορεύω αὐτὸν (εἰ τῇ σῇ ἁγιότητι δοκεῖ) ἄξιον, μᾶλλον δὲ ἀξιώτατον ἐν τῷ τῶν ἁγίων χορῷ συντάσσεσθαι ὡς ὑπὲρ ἡμῶν θερμότατον πρέσβυν εἰς δόξαν Θεοῦ, καὶ ἀμοιβὴν τῶν αὐτοῦ ἐνδόξων καμάτων.

ONUPHRIUS CONSTANTINUS Debrarum Metropolita, & Inferioris Macedoniæ Exarchus.

CIrca Avellinum (BEATISSIME PATER) circa Avellinum, inquam, in Beatis collocatum Andream fortitudinis cognomento Divino, impotens ego multa à multis enarrata exponere miracula, compendiosè tantùm suggerendi gratiâ dicam, cùm multiplices ejus virtutes Catholicis universis manifestæ sint, ac propterea silentio potiùs quàm verbositate celebrandæ. Unum quidem non tacebo, hoc est, quando afflictionibus, & vulneratus à viris perditis, plagis cæsus, & sicariis, tunc visus est patiens, & fortissimus adamas, patientiæ coronâ decoratus, & ut clarissimus imitator Domini Nostri Jesu Christi strenuè tolerans, & veniam illis dans, demostrans se exemplum, & columnam omnium virtutum. Quare (SANCTISSIME PATER si Sanctitati Tuæ ita videbitur) pronuncio eum non solùm dignum, sed etiam dignissimum ut in Sanctorum Choro collocetur tanquam noster ferventissimus apud Deum Orator, ad gloriam ipsius Dei, & retributionem ejus celeberrimorum laborum.

[illegible]

[illegible]

BASILIUS ISAAC Archiepiscopus Ninives.

BEATISSIME PATER: Amplissima Charismatum dona, quibus Deus Optimus Maximus B. Andreæ Avellini spiritum cumulavit; præclarissimæ virtutes, exempla mirifica, jejunia, orationes, quibus idem sanitatem ægrotis impetravit, miracula denique post mortem probatissimæ sanctitatis indicia, in causa sunt, cur à Sanctitate Vestra jure ac meritò supremos illi honores destinandos censeam, ut quemadmodum ille Fidelibus colendus proponitur, sic Christianorum Principum paci conciliandæ, & universæ Ecclesiæ tranquillitati tuendæ præsideat.

[illegible]

ܓܪܝܓܘܪܝܘܣ ܝܫܘܥ ܡܝܛܪܘܦܘܠܝܛܐ
ܕܐܘܪܫܠܡ.

[illegible]

GREGORIUS JOSUE Archiepiſcopus Hieroſolymitanus Nationis Syriacæ.

BEATISSIME PATER: Cùm virtutes eximiæ B. Andreæ Avellini, nec non præclariſſima ſigna ejus ope patrata à Sac. Rit. Congregatione ſæpiùs diſcuſſa, ac tandem plenè probata fuiſſe conſtet; Fideles omnes D. O. M. bonorum omnium largitori laudem dare tenentur, quòd in Eccleſia ſua, quam ad ſeculorum uſque conſummationem ſervaturum ſe ſpopondit, Viros ſanctitate inſignes omni tempore florere faciat. Quamobrem ſummâ perfuſus lætitiâ propter magnum hoc Omnipotentis munus, Sanctitatem Veſtram enixè rogo, ut B. Andream virtutibus, ac miraculis coruſcantem Sanctorum faſtis adſcribere non dedignetur.

JOANNES De Lerma Archiepiſcopus Sipontinus.

BEATISSIME PATER: Quæ de B. Andrea dicta ſunt glorioſa magnalia jam prope imminui nobis viſa ſunt, ubi virtutum merita innotuerunt. Virtutes inſuper ipſæ, quibus indutus erat ex alto, ſi jugi charitatis incremento conferantur, admirationi noſtræ decreſcere deprehendentur. Siquidem, nè conſiſteret in via juſtitiæ, nè reverteretur cùm ambularet, eò prorſus ferebatur, ubi erat impetus ſpiritus, arctoque Religionis vinculo ſtatuit divinæ ſemper obſequi voluntati, ac in dies progredi de virtute in virtutem. Cùm itaque conſummaſſet, tunc incœpit, alter veluti Iſaac ſuccreſcens, donec magnus effectus eſt. Hinc dilatatis undique ſpatiis charitatis, alienæ etiam ſalutis ſtudio flagrans, omnia ſuſtinens, ut animas Deo lucrifaceret, quæ Jeſu Chriſti ſunt quærens, cùm jam muneris Apoſtolici metam attigiſſe videretur, introivit in potentias Domini, ubi de ſua jam felicitate ſecurus, adhuc eſt de noſtra ſalute ſolicitus. Porrò egregiæ virtutis omnibus numeris abſolutæ exemplar, æquum fore cenſeo, quod ſupremo Sanctitatis Veſtræ judicio inter Sanctos referatur, ut ſemita juſti, quaſi lux ſplendens, quæque exercuit jam uſque ad perfectam diem, pateat omnibus, qui in ſeculi tenebris ſedent, & militanti Eccleſiæ pandat aditum ad amplexus triumphantis.

Հայցող շնորհացս հնազանդագոյնեղ ծառայ վեհափառին հռոմայ ՍՐԲՈՅ
գրիգոր Արքեպիսկոպոս
եդեսիոյ.

փառք սրբոց ։ պարծանք են մօր եկեղեցւոյ ։ որք սա խնդայ վն երջանկութեան որդւոց իւրոց ։ որք անդ ընկալան զբրաբիոնեալ յաղթանակն, նոյնպէս ջանիւ մեծաւ հոգայ զփրկութիւն այնոցիկ որք սատ տան զանդուլ պատերազմս. Երանելին Անդրէաս առաջնորդ հոգւոց այնպէս յաղթող փառաւորի յարքայութեան, որպ ՚ի վր երկրի քաջ ըմբիշ ճգնեցաւ վն սրբութեան, վն այն խնդրեմ երանելին հօրէդ, զի խառնեսցես զնա երկնային դասուց, զի զհաւատացեալս կազդուրեսցէ ՚ի պատերազմյաւսովն վարձուց. մինչնա երեւեսցի ՚ի ձեռն աշխատանաց, ընկալեալ զպսակ անթառամ փառաց.

GREGORIUS Archiepiſcopus Edeſſæ Armenus.

BEATISSIME PATER: Sanctorum gloria Matris Eccleſiæ decus eſt, quæ ita de felicitate triumphantium filiorum gaudet, ut conſulat ſaluti militantium. B. Andreas egregius animarum moderator, ac director, quemadmodum pro virtutibus egregiè certavit

tavit in Terra, ita gloriosus triumphat in Cœlo. Hunc, BEATISSIME PATER, inter Sanctos adscribendum existimo, ut novo hoc exemplo Fideles permoti similiter decertantes in Terris, cum eo pariter coronari mereantur in Cœlis.

Ես յովակիմ արք եպիսկոպոս էջմիածնայ
այս վերոյ գրեալն կու հաստատեմ.
այս իմ ձեռացս գիրս է .

Աշխարհացս մայրութե և առաքինութե Երանելին Անդրէասն որ էր անուանի և հռչակաւոր վն ամենայն ողորմածութեն. որ ունէր առ ած և առ ընկերս . որ և համբաւ ողորմածութե սր տարածեաց քաղաքն երկրին և ամէ՛ն առ ած և առ ընկերս . ողորմութիւնն թագուհի ամենայն շնորհաց . Աձնութիւն առոր հաստատեաց զնա որ քանկացութիւն առ հրաշիւք . իմ նուաստ զխտակութեան . որ քո երանելութիւն սէ արայ որ իւր վարքն քանոնէ և օրինակ հոգևոր հարց և եղբարց և այնոցիկ որք են կառավարողք . հոգեաց .

JOACHIM Armeniæ Majoris Archiepiscopus.

BEATISSIME PATER: Innocentiâ præcelluit B. Andreas, sed præ cæteris charitas erga Deum, & erga proximum in ipso maximè emicuit. Comprobavit Dominus illius charitatem miraculis. Eum itaque censeo in Sanctorum Album à Sanctitate Vestra referendum, ut ejus opera exemplo esse possint iis præcipuè, quibus onus incumbit homines Christianæ philosophiæ præceptis imbuendi, salutisque semitas edocendi.

Ես Յուսէփ Անաստաս արհեպիսկոպոս կեսարիոյ
պաղեստինոյ ձեռամբ իմով գրեցի .

Փառաւորութիւն մերոյս կրօնի . և բարեպաշտութեն այսէ ով երջանկագունեղ հայր . թէ նոյն ինքն կրօնն սրբագունեղէ և ս քաղուսն սբս վեր առաքէ յերկինս . և թէպէտ ունիցի զվաթարս խառն ընդ բարեխոզունից . սակայն այս լինի . զի մաքուր օրինակօք բարեգործունիցն և առաքինեացն ուղղիցեն . և վատքն զինքեանս . և այն քանեն արփիափայլք առաքինութեք բարեացն . մինչ զի վերածածակեն զխոլութիւն վատիցն . մայրս մեր սբ եկեղեցի ամենայնում դարի և ժամանակի ծնանել ամփոփէ զորդիս սբս . ժամանակս Անդրէս մեր եղիցէ վեհապանծեալ . և հռչակեսցի սակս սրբոյն անդրէասի . Եթէ սրբութիւն քո ո՛վ ընդ հանուր հայրապետ . շարադասադրեսցես զնա ի թիւս սրբոց .

ANASTASIUS Cæsareæ in Palæstina Archiepiscopus.

HÆc est, BEATISSIME PATER, nostræ Religionis gloria, ut sancta sit, Sanctosque in cœlestem Patriam alumnos frequenter transmittat; & licèt malos habeat bonis admixtos, eos tamen sæpè bonorum exemplis ad meliorem frugem redire facit: nec minùs præclarissimæ justorum virtutes propter sepositas impiorum tenebras elucescunt. Sancta Mater Ecclesia Sanctos filios omni ætate gignit. Ætatem nostram B. Andreas exornabit, si à Sanctitate Vestra in Sanctorum numerum referatur.

JOSEPH Crispinus Episcopus Amerinus.

BEATISSIME PATER: Beatum Andream Avellinum tanquam Apostolum suum Sancta Neapolitana veneratur Ecclesia: Etenim simili modo, quo S. Philippus Nerius in Urbe, B. Andreas Neapoli in animarum salute procurandâ totus fuit; ita ut omnium animarum illius nobilissimæ, & amplissimæ Civitatis, communi appellatione, Moderator, & Magister diceretur & esset. Quamplurimos viam Dei in veritate docuit exemplo, verbo, & scriptis; *Exemplo* Sanctum se ostendens in omnibus actibus suis, nulli parcens labori, nullis corporis afflictationibus, in jejuniis, in vigiliis, in orationibus, nullis parcens incommodis; & aquæ multæ non poterant ejus extinguere charitatem; nullis parcens periculis, contumelias, opprobria, & vulnera expertus: *Verbo*, in obsecrando, in exhortando, & monendo, & ad imitandum Salvatoris exemplum volebat pueros ad se venire sacrâ Doctrinâ instruendos: *Scriptis*, illorum Apostolorum exempla secutus, qui per epistolas etiam loquebantur magnalia Dei, B. Andreas per libros cœlesti sapientiâ plenos à se conscriptos docuit scientiam Sanctorum omnes gentes, & cùm juxta divinum Oraculum, *qui ad Justitiam erudiunt multos, fulgebunt tanquam stellæ in perpetuas æternitates*, B. Andreas, qui multifariam, multisque modis ad Justitiam multos erudivit, & meruit fulgere in Cœlo in splendoribus Sanctorum, uti Sanctus etiam colendus est, & in necessitatibus invocandus in terra. Expectant Fideles infallibile decretum Sanctitatis Vestræ, ut nova hæc fulgidissima Stella

Stella firmamento Ecclesiæ Neapolitanæ addatur, & ut Sacra illa Religio, quæ vitam Apostolicam profitetur, duo interim habeat candelabra lucentia in conspectu Domini.

[illegible]

[illegible]

TIMOTHEUS Carnuch Episcopus Mardinensis Chaldæus.

BEATISSIME PATER: Novum Sydus refulget in Cœlo, dum novus Civis in supernam Jerusalem admittitur. B. Andream virtutibus ad Cœlum sibi iter parasse, metam feliciter attigisse, miracula declarant. Qui virtutibus, & miraculis clarescere comprobatur, is publico Fidelium cultui exponitur, ut quæ virtutum semita tenenda sit, prævius Dux, & individuus comes ostendat, & quæ vitiorum via declinanda, propositis, quæ à Deo bonorum operum remuneratore assecutus est, præmiis, persuadeat. B. Andream heroicis virtutibus insignem fuisse, edita ab ipso miracula testantur: Miraculorum veritas accurato Sacrorum Rituum Congregationis examine comprobatur. Superest, ut si Sanctitati Vestræ libuerit, Altaribus in Ecclesia Militante imponatur, qui jam superno, ac rationali Altari cum Sanctorum cœtibus in Triumphante ministrat. [illegible]

[Syriac text]

[Syriac text]

GEORGIUS Benjaminus Episcopus Edenensis Armenus.

BEATISSIME PATER: Cùm virtutes, ac miracula B. Andreæ Avellini plenè discussa, probataque jam fuerint, nil modò superest, nisi ut, Sanctitate Vestra annuente; idem Sanctorum Albo solenniter adscribatur; nec pessimis hisce temporibus gloriosius aliquid Ecclesiæ militanti accidere potest, quam quòd Altaribus imponatur Vir, qui in perferendis æquo animo injuriis, in componendis Secularium, & Regularium moribus, in amplificando divino cultu, cæterisque omnibus Christiani hominis officiis implendis præclarissimè enituit.

[Syriac text]

[Syriac text]

ATHANASIUS Safar Episcopus Mardinensis Syrus.

BEATISSIME PATER: Attentis virtutibus in gradu heroico, & probatis miraculis B. Andreæ Avellini Sacerdotis Theatini, sicut in Compendio ejus Vitæ enarrantur, nullum dubium relinquitur, quin ad ejus solennem Canonizationem tutò procedi possit. Ita censeo, & supplico Sanctitatem Vestram.

MATTHÆUS Galliani Episcopus Soranus.

AB ore Petri, BEATISSIME PATER, per Sanctitatem Vestram veritatis magistram audiant Reges Terræ, & omnes populi reddidisse Deum B. Andreæ Avellino mercedem laborum Sanctorum suorum. Ipsum enim fuisse deductum in via mirabili jure merito suadent tot sanctitatis ejus monumenta, tam ingens heroicarum virtutum seges, & præclarissima miracula, tum in vita, tum post obitum edita. Perpetuò orationis exercitio B. Andreas omnia timoris Domini ornamenta percepit. Quidquid Fides in eo inchoabat, spes cumulabat, charitas perficiebat; Easdem virtutes assiduâ deprecatione servavit, & auxit. Per hanc in confessione perstitit, in multiplici tentatione duravit; per hanc accinxit fortitudine lumbos suos, cùm pro Sacrarum Virginum custodiâ sibi commissâ usque ad sanguinem bis, terque effusum restitit, & perraro exemplo, præter consueta Clericorum Regularium vota, alia duo maximè ardua emisit, quibus se jugiter propriæ refragaturum voluntati, ac quotidianum ad perfectionem gradum moliturum spopondit. Censeo itaque, per Sanctitatem Vestram, cui abscondita ab oculis hominum revelat luminum Pater, sacris Sanctorum fastis adscribi posse, ut detur in honorem, & gloriam cunctis populis; & mirabilia, quæ operatus est Deus in Sancto suo, præsentibus innotescant, transmittantur in posteros, æternitati consecrentur.

Fr. OCTAVIUS Spader Episcopus Assisiensis.

BEATISSIME PATER: Beatum Andream Avellinum inter Sanctos jure optimo referendum, multa, eaque eximia sanctitatis argumenta suadent; inter quæ non ultimum sibi vindicat locum zelus ille, quo in procuranda salute Sanctimonialium, in abusibus,

bus, qui in Monasteria irrepserant, eliminandis mirabiliter præcelluit: Ut autem hoc religiosæ virtutis exemplar eò efficacius futurum sit, quò gloriosius, B. Andream Sanctorum Catalogo inscribendum censeo.

MARCUS ANTONIUS Chenevix Episcopus Minervinensis.

BEATISSIME PATER: De Turba magna, quam Joannes vidit, & dinumerare nemo poterat, nonnullos Ecclesia seligere consuevit, quibus peculiares honores exhibeat: illos scilicet, qui clarioribus virtutum, & miraculorum monumentis coruscarunt. Hos inter, BEATISSIME PATER, referendum puto B. Andream Avellinum. In eo siquidem à pueritia ad summam usque senectam pietas adaucta est, & S. Patris sui Cajetani perfectissimus imitator heroicis virtutibus, & potissimùm illibatæ castitatis flore emicuit, quæ sicut magnæ famæ viris & in primis S. Carolo Borromeo perspectæ antea fuerant, ita postmodum exacto examine discussæ sunt, signisque comprobatæ.

JOSEPH De Carolis Episcopus Aquinas.

BEATISSIME PATER: Vitæ suæ primordia B. Andreas Avellinus pro animarum salutis desiderio consecravit, quod postmodum ad tantum charitatis gradum adauctum est, ut absque ulla personarum acceptione, omnibus omnia factus, pro spirituali animarum profectu pericula contempserit, sibi ipsi non pepercerit, & ad ultimam usque suæ vitæ periodum strenuè decertaverit. Cæterarum etiam virtutum ornamenta adeptus est, quarum heroicitatem frequentibus miraculis D. O. M. testatus est. Meritò itaque B. Andreas Sanctorum fastis adscribendus est, ut inde pleniùs universalis exultet Ecclesia, eidemque decus, & protectio in dies augeantur.

VICTOR FELIX Coucci Episcopus Fundanus.

BEATISSIME PATER: Beato Andreæ Avellino verè dedit benedictionem Summus Legislator, ex quo ivit de virtute in virtutem, & ascensiones in corde suo disposuit, donec vidit Deum Deorum in Sion: duobus enim arctissimis se adstrinxit votis, altero propriæ voluntati semper resistendi, altero verò quotidie ad novum perfectionis gradum ascendendi, quorum sola praxis in Processibus optimè probata ipsum ad sanctitatis culmen pervenisse declarat. Accedit insuper, quod verus Christi miles faciem suam ab inimicis non avertit, nec ut filii Ephrem, conversus est in die belli, nam ut Monialem Christi Sponsam in honoris gravissimo periculo constitutam Sponso Cœlesti illibatam præservaret, amatori prophano resistens, ab impia manu vulnere affectus, faciem suam illustravit; imò & animam ad sanctitatis apicem evexit, quandoquidem non modo Stephani, sed Christi vestigia sequutus, toto corde, & suis percussoribus, & Nepotis occisoribus promptissimè ignovit. Andream itaque heroicis spectandum virtutibus, pluribus admirandum miraculis, & sanctitatis famâ illustrem, sicuti Deus Beatis adnumeravit in Cœlis, ita vestrum erit, BEATISSIME PATER, Canonizationis ritu solennissimo in terris adnumerare.

ALEXANDER De Calvis olim De Organis Episcopus S. Severini.

BEATISSIME PATER,: Dominicum illud adeò sanctum, ac salutare præceptum, *Diligite inimicos vestros*, Andreas Avellinus mirabiliter adimplevit, dum acceptâ Nepotis nece, illicò pacem exhibuit, ac pro scelestissimis Sicariis, qui acerbissimis inflictis vulneribus de morte cogitantes in ipsum irruerant, Neapolitanæ ditionis Proregem enixè rogavit, procul dubio memor Protomartyris Stephani, moriendo clamantis; *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*. Ut divinum Ecclesiasticâ libertate tueretur honorem, tantum Andreas subiit infortunium: majora tamen expetivit, ac in toto vitæ curriculo Martyrium sortem beatam, ac felicissimam appellare, atque exoptare consuevit. Virgineum Sanctissimi Viri pectus intensissimæ in proximum charitatis exarsit amore. Animarum salutis custodia ei summoperè cordi fuit, & quamplurimos criminum cœno involutos peccatores Creatori Optimo Maximo, totis viribus, ac incredibili curâ restituit. Propriæ voluntati semper obsistere, ac in via Domini quâlibet die ulteriùs progredi peculiari voto sancivit, & usque dum beatam Deo animam reddidit, constantissimè servavit. Hic igitur est fidelis ille servus, & prudens, qui constitutus à Domino super familiam suam, accepta talenta cum fœnore reddidit; Quodque Dominus servum suum fidelem, & vigilantem invenerit, mortales omnes voluit non ignorare, dum illum Prophetiæ, & miraculorum splendidissimo munere decoravit.

An-

Andreas adhuc viator, in alta tenebrosæ noctis caligine, cœlesti luce circumfusus apparuit: Longè clariori fruitur hodie comprehensor. Hoc ipsum à Sanctitate Vestra pronunciari tanti filii Mater jure optimo ipsamet postulat, ac lætatur Ecclesia.

ONUPHRIUS Elisei Episcopus Balneoregii.

BEATISSIME PATER: Beatus Andreas Avellinus Clericorum splendor, Sacerdotum gemma, verè dignum se ostendit, ut infallibili Sanctitatis Vestræ oraculo inter Sanctos referatur. Iste enim est beatus ille vir, qui inventus est sinè macula, nec speravit in pecunia, & thesauris. In eo à teneris annis morum innocentia effulsit, & Sacerdos factus, abdicatâ rerum omnium terrenarum solicitudine, in Ordinem Clericorum Regularium Theatinorum se recepit. Iste est fidelis servus, qui perfectè adimplevit magnum illud Christi præceptum: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*: suis enim percussoribus veniam hilari animo, singularique clementiâ indulsit, & proprii Nepotis interfectori pacem statim christiana charitate concessit. Nil itaque superest, BEATISSIME PATER, nisi ut nomen tanti Viri, & Christi famuli in Sanctorum Catalogo describatur.

SERGIUS Pola Episcopus Famagustanus.

BEATISSIME PATER: Magnum sanè Ecclesiasticæ disciplinæ decus addetur, si inter Sanctos B. Andreas referatur. Cùm enim in terris conversatus sit nedum sinè querela, verùm etiam cum gratia, ita ut omnibus esset exemplo, expectat universa Ecclesia illum videre similem in gloria Sanctorum, ut sit deinceps ornamento, atque præsidio. Quòd si Christus Dominus ait: *In hoc cognoscent omnes, quod Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*, mirum qualem, ac quantam habuerit B. Andreas, qui cùm malediceretur, benedicebat, cùm pateretur, non comminabatur, sed acceptis vulneribus gratias Deo agebat, veniamque non impartiebatur modò, sed debitas percussori pœnas, omni, quo poterat, studio avertere curabat. Restat igitur, ut qui Servatoris nostri vestigia sequutus cum eo regnat in Cœlis, gloriam etiam in terris ab Ecclesia consequatur.

FABIUS De Mancinfortibus Episcopus Eugubinus.

BEATISSIME PATER: Quàm bene toto vitæ suæ decursu B. Andreas Avellinus veterem hominem in se ipso expolians, Jesum Christum induerit, ea sanè vota testantur, singulari Religione, & emissa, & adimpleta, quibus piissimus Vir Deo se obstrinxit, & propriæ voluntati semper obsistere, & divinâ adjuvante gratiâ, ad novum aliquem de die in diem perfectionis gradum contendere. Quocirca non est amplius differenda ejusdem Canonizatio, ut lucidissimum hoc Christianæ perfectionis exemplar, quod in tanto Divi Cajetani Alumno, virtutibus æquè, ac miraculis præfulgens suspicimus, non amplius delitescat sub modio, sed supremâ Sanctitatis Vestræ authoritate repositum super Candelabro Ecclesiæ, cunctis Christi fidelium populis, ac nationibus undequaque per Orbem diffusis, proponatur colendum, atque imitandum.

JOSEPH Guerra Episcopus Alatrinus.

BEATISSIME PATER: Vitæ, & miraculorum B. Andreæ Avellini Presbyteri Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum Compendium mihi legenti occurrit, quod reportato pergravi vulnere, impiè Divini honoris causâ sibi inflicto, quid sibi hoc prodesset apprimè agnovit, ut inde Deo sæpius gratias ageret, nullamque reis injuriam referret, sed juxta Dominicum præceptum eis benefacere studuerit. Itemque pacem Nepotis occisori dare, nec negavit, nec distulit. Hæ profectò actiones in Proceribus Christianæ Fidei, ceu Beatissimo Paulo, & Stephano inter tot alias ab eis exercitas singulariter notantur: quinimmò & in ipso Domino Nostro Jesu Christo, qui supremus omnium virtutum Magister, & exemplar ita docuit, & servavit, cui permaximè hoc gratum esse, quod Divo Jo: Gualberto evenit, indigitat, ut ipse Dominus Jesus Christus, & gratias eidem egerit, & fortè perfectæ conversionis initium donaverit. B. Andreæ verò tantam ex hoc superaddidisse gratiam anteactis virtutibus adeptæ dicere oportet, ut validioribus gressibus tutiùs cœptum iter perficeret, prout perfecisse demonstrant cætera ejus vitæ gesta, atque felici morti subsequuta miracula. Quare in eo sensu sum, ut si Sanctitati Vestræ placuerit, inter Sanctos referatur, & solenni ritu in Sanctorum Albo scribatur.

JOAN-

JOANNES BAPTISTA Bassi Episcopus Anagninus.

BEATISSIME PATER: Beatus Andreas Avellinus castitatis etiam in effervescentis ætatis flore tam animi, quàm corporis diligens cultor, mansuetudine potissimùm erga offensores magnanimus, eximiæ humilitati, ac patientiæ addictus, charitate, & pietate insignis, orationibus continuò deditus, Constitutionum sui Ordinis vigilantissimus Custos, miræ obedientiæ virtute præditus, animarum lucro semper intentus, prophetiæ dono ditatus, & tam vivens, quàm post obitum miraculis clarus, magnisque aliis in Ecclesiam meritis sublimem gradum attingentibus, præfulsit. Censeo itaque, ut in numerum Sanctorum Confessorum à Sanctitate Vestra referatur.

VINCENTIUS Vecchiarelli Episcopus Sutrinus, & Nepesinus.

BEATISSIME PATER: Dilectus Deo, & hominibus Andreas Avellinus ab ineunte pueritia ad extremam usque vitæ suæ periodum supernorum Charismatum donis decoratus, quasi rutilans lucerna super aureum Candelabrum honorificè collocata præfulsit: Fidem enim mente, & operibus custodivit, & charitatem, quæ perfectionis vinculum est, ita coluit, ut pro Dei amore, & Fidei testimonio sanguinem profundere vehementer optaret, & Martyrum monumenta venerans pretiosam eorum mortem illis invideret. Pro spirituali proximorum utilitate non opprobria, non pericula, non vulnera exhorruit, quin etiam Deum pro offensoribus exoravit, nè illis hoc peccatum statueret. Duo vota, propriæ scilicet voluntati semper obsistendi, & ad majorem de die in diem perfectionis gradum contendendi, firmâ sponsione emisit, summâque Religione servavit. Integerrimum vitæ genus, rerum omnium abdicatio, temperantia, fortitudo, patientia, humilitas in eo mirabiliter eluxere, adeò ut sociis fuerit grande virtutum omnium exemplar; Signa denique, & prodigia magna in populo fecit. Quapropter illum Sanctis Ecclesiæ militantis annumerandum existimo, ut luceat coram hominibus, & videant opera ejus bona, & glorificent Deum.

FRANCISCUS XAVERIUS Guicciardus Episcopus Narniensis.

BEATISSIME PATER: Laudemus Viros gloriosos virtute magnos, & prudentiâ: Viros misericordiæ, qui conservarunt legem Excelsi, & in tentatione fideles inventi sunt, atque in tempore iracundiæ facti sunt reconciliatio. Eminet in his B. Andreas Avellinus, juxta Dominicam sententiam verè beatus, qui extrema passus propter Justitiam, novit etiam pro persecutoribus exorare: qui cum Apostolo stigmata Domini Jesu in corpore suo portans, apparebit in die novissimo signatus ab Angelis signo Servorum Dei, & clariora Syderibus inferet Cœlo, quæ pro animarum salute sustinuit vulnera. Jam heroicæ charitatis tantùm ediderat specimen, & nondum posuerat Regularis observantiæ Tyrocinium: Ivit alacriter de virtute in virtutem, donec longitudine dierum replevit eum Dominus, & ostendit illi salutare suum. Sola mors à sacris Altaribus avellere potuit Sacerdotem sanctum, immaculatum, cujus vita perpetuum fuerat, Deoque acceptissimum Sacrificium, in odorem suavitatis. Superest modo, ut cui tot virtutum, ac miraculorum gratiam tribuit Dominus, ejus quoque laudes nunciet Ecclesia, similemque faciat in gloria Sanctorum.

NICOLAUS MARIA Tedeschi Episcopus Liparitanus.

ACceptissimum divini Amoris holocaustum cor suum exhibuit B. Andreas Avellinus, BEATISSIME PATER, cujus in sinu quemadmodum charitas Christi permansit, sic totus ipse effusus in Deum, totus in populorum salutem distentus, nullum aliud præmium suæ dilectionis voluit, nisi Christum, ejusque gloriam; nullum laborum suorum finem intendit, nisi animarum lucra. Totus effusus in Deum, ut hinc perenne Sacrificium contriti cordis offerret, nihilque in se ipso conspiceret, quod Domino suo alacri cogitatione non litaret, præter tria consueta Religionis vota, perpetuam addidit propriæ voluntatis abnegationem, & quotidianum in via salutis, & heroicæ perfectionis profectum; sicque ipse exteriùs boni operis odore flagravit, ut mentis interiùs consummaretur incendio. Totus in populorum salutem distentus, ab ea assiduè procurandâ, perditisque hominibus à cœno vitiorum revocandis, ad plagas, & inju-

rias usque perferendas non destitit. Novus Euangelicæ Legis Moyses paribus studiis, ac prodigiis viam Mandatorum Domini ostendens, Populo Dei, vigiliis, macerationibus, prædicatione, & exemplo adeò præivit in nube diei, ut aquæ ingenti pluviâ exundantes in murum ipsi, sociisque suis elevarentur, vultuque ejus cœlesti luce in mediis tenebris radiante, iisdem adesset Columna ignis in nocte. Tantum ergo Virum à Sanctitate Vestra Divorum Albo adscribendum jure meritò existimo, quod & Fidelium pietas, & Ecclesiæ utilitas exigit, ac ornamentum.

BERNARDINUS ÆGIDIUS Recchi Episcopus Aquipendii.

BEATISSIME PATER: Novit B. Andreas Avellinus, quod quisquis cupit sanctitatis tenere fastigia, debeat humilitatis ima sectari, ideoque ex hac virtute insimul parvus in oculis suis, sed magnus in oculis Dei, veluti de luteis domibus ad cœlestes ascendit mansiones. Dignum ergo existimo, BEATISSIME PATER, ut Sanctorum cultum, & honores ei Sanctitas Vestra decernat in terris, & Beatum eum dicant omnes generationes; sicuti enim oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltavit caput ejus, ita & illum multi admirentur, & glorificent Deum.

ANTONIUS Vaira Episcopus Parentinus.

BEATISSIME PATER: Mandatum illud divinum, mandatorum maximum, à quo Lex pendet, & Prophetæ, summa Christianæ perfectionis, & fons sanctitatis universæ, dilectio Dei, & proximi, fecit in vita admirabilem B. Andream Avellinum, & facit post mortem cœlesti dignum honore. Pietas, quam suis semper in operibus maximè coluit, constantia adversùs illecebras, plagæ, ludibria, quæ pro Christi causa pertulit, fuga seculi ad Religiosum Theatinorum Institutum, paupertatis, humilitatis, patientiæ assidua exercitatio, orationis fervor vehementissimus, votum de voluntate propria semper abdicanda, deque quotidie magìs in spirituali bonitate proficiendo, ingens martyrii cupido, quâ in hac sede Martyrum exarsit, testantur, quàm enixè, quàm exquisitè Beatus Andreas Avellinus Deum diligeret! Verùm, quia qui Deum diligit, & proximum diligere debet, ut æternam proximorum salutem curaret, nullis laboribus, nullis periculis pepercit. Dux, Moderator animarum cognomento dictus, admirabili solertiâ, ac tolerantiâ usus est, ut omnes Christo lucrifaceret. Cunctos sanare studuit, præsertim verò scientiâ sæculi inflatos, quos inter Jurisprudentiæ famâ tumentem hominem, Theatinorum Institutum amplexum, quem docuit, eum verè sapere, qui humiliter sapit, & in Lege, & Cruce Christi gloriatur. In auxilio omnibus præstando, in Sacramento Pœnitentiæ administrando prorsus insignis. Tantam dilectionem Deus erga se diligentes liberalissimus donis extulit divinis. Spiritum ei indidit, quo Propheta, quo Scrutator cordium esset: virtutem impertivit, qua morbos gravissimos repentè fugaret, qua per nimbos iret cum sociis intactus; Per tenebricosa, & ardua sospitem eum duxit immisso lumine cœlitùs, cœlestemque hominem multis, apertisque signis commonstravit. Ille itaque, BEATISSIME PATER, quem jam pridem supernis sedibus locarunt merita, infallibili Oraculo tuo decerne, ut & Sanctus habeatur, & Sanctorum cultu cunctis ab hominibus honoretur. Præcipuè verò illum è Cœlo auspicem habeant Jurisprudentiæ Sectatores, quam ille, dum in humanis ageret, laudatissimè coluit. Ita censeo.

GEORGIUS Cattaneus Episcopus Viglevanensis.

BEATISSIME PATER: Mirabilis Beati Andreæ Avellini vita octoginta, & octo annis per heroica virtutum omnium studia perducta Sanctissimorum Virorum judicio comprobata est; Siquidem egregiâ hujus operâ, & consiliis usi non semel sunt S. Carolus, & Paulus de Aretio Placentiæ primùm, ac deinde Neapolis eximiæ virtutis Pastor. Agrum Dominicum pluribus in Regionibus Beatus Andreas impigrè, ac fortiter, laboribus, lacrymis, proprioque sanguine ob inflicta ab impiis vulnera effuso, excolere nunquam destitit. Præter hæc, BEATISSIME PATER, prodita cordium secreta, futura præmonita, signa, & miracula ante, & post obitum pluries edita jure postulant, ut Sanctitas Vestra Servum bonum, & fidelem in gaudia Domini sui ingressum testari non dedignetur.

Suffragiis omnium auditis, Sanctissimus hæc adjecit.

VENE-

VENERABILES FRATRES: Sententiis vestris de Beato Andrea Avellino in Sanctorum Canonem referendo concorditer eò collimantibus, quò Noster quoque animus, post diuturnam rei meditationem, spontè suâ ferebatur, celebrandæ solenni ritu illius Canonizationis diem opportunè indicemus. Præscripta interim Orationum, aliorumque piorum operum subsidia enixiùs instauremus, humiliter, ac ferventer petentes à Domino, ut Nos misericorditer edocere velit, quid in re tanta ad sui Nominis gloriam, Fideliumque ædificationem, agere debeamus.

Ubi Sanctitas Sua dicendi finem fecit, confestim Procurator Generalis Cameræ Apostolicæ, stantibus adhuc Prælatis, Protonotarios, ut publica eorundem Actorum Instrumenta conficerent, rogavit eâ usus verborum formulâ, quâ in proximè præterito B. Pii V. Consistorio semipublico, nomine Beati tantùm immutato.

Tunc R. P. D. Prosper Columna Protonotariorum Apostolicorum Pro-Decanus, sui Collegii nomine, eos, qui in plano Solii, & propè Solium stabant, hujus rei Testes adhibuit consuetis verbis: *Vobis Testibus*: Atque ita istud quoque Consistorium maxima omnium Patrum consolatione dimissum est.

Sequenti fer. 3. VI. Idus Sanctissimus devotionis gratiâ Basilicam Vaticanam invisit, & cùm jam Theatri Canonizationis moles succrevisset propediem ad apicem perducenda, eam lustrare voluit, non ad Pontificiæ humanitatis ostentationem, sed ut totius operis statum præsens inspiceret, simulque caveret, nè quid in tanta actione, nisi modestiam, pietatem, ac Religionem præseferens spectaretur.

Interim tertium Consistorium semipublicum, in quo de B. Felice à Cantalicio agendum erat, formâ, quæ sequitur, fuerat ex more denunciatum.

INTIMATIO

Per Cursores facienda, Domi quoque dimissâ copiâ.

FEriâ quartâ, die 11. currentis mensis Maji, horâ duodecimâ cum dimidia, in Aula Ducali Palatii Vaticani erit Consistorium semipublicum, in quo Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales, necnon Reverendissimi Domini Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi Romæ degentes, Sententiam ferent super Canonizatione B. Felicis à Cantalicio Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, eamque singuli divisim scriptam, & subscriptam consignabunt Domino Secretario Congregationis Sacrorum Rituum.

Eminentissimi Domini Cardinales erunt cum Cappis violaceis ex Camelotto: Reverendissimi verò Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, duo Auditores Rotæ, necnon Procurator Fiscalis Cameræ Apostolicæ induti erunt Cappis, quibus uti solent in Pontificia Cappella.

Iidem Eminentissimi Domini Cardinales singillatim assurgent detecto capite, cùm suas incipient ferre Sententias, easque sedentes tecto capite prosequentur.

Reverendissimi Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, ferentibus Sententias Eminentissimis DD. Cardinalibus, sedebunt tecto capite: Stabunt verò, cùm Sanctissimus Dominus Noster loquetur; Antequam eorum quisquam loqui incipiat, & similiter postquam proprium suffragium tulerit, genuflectet; Assurgent autem singuli statim, ac primus Patriarcha Sententiam laturus assurget, sicque stabunt, donec ultimus Episcoporum Sententiam ferre desierit.

Ideo intimentur omnes, & singuli Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales, necnon Reverendissimi Domini Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi in Urbe præsentes, ac Domini Protonotarii Apostolici, duo antiquiores Rotæ Auditores, Secretarius Congregationis Sacrorum Rituum, Promotor Fidei, & Procurator Fiscalis Cameræ Apostolicæ, relicto etiam cuique eorum exemplari præsentis Schedulæ.

De mandato SS. D. N. Papæ.

Candidus Cassina Magister Ceremoniarum.

Indictus itaque in proximam 4. feriam V. Idus Maji conventus est habitus iisdem cæremoniis, iisdem ritibus, quos supra in primo simili retulimus; Sanctissimus præclaras B. Felicis virtutes, & quæ Deus mirabiliter operatus in eo fuerit, enarrando, suffragia DD. Cardinalium, & Episcoporum super ejusdem Canonizatione exquisivit his præstantissimis verbis.

VENERABILES FRATRES: *Elegit olim Dominus David servum suum, tametsi inter filios Jesse minimus natu esset, sustulitque eum de gregibus ovium, ut in Thronis Regum collocaret. Elegit novissimè servum etiam suum Felicem à Cantalicio, Assisiensis Patriarchæ minimum filium, & de post fœtantes accepit eum, ut in medio Magnatorum consedère illum faceret,* Ecclesiamque *suam, quam humilitate vult crescere, præclaris illius virtutibus illustraret. Sic Felix electus à Domino, elegit & ipse abjectus esse in domo Dei sui, magìs quàm habitare in Tabernaculis peccatorum: pusilloque eorum gregi, quibus Æterno Patri complacuit dare Regnum, adscribi cupiens, ut magnum construeret ædificium sanctitatis, alta priùs jecit fundamenta humilitatis. Sapientiam hujus Mundi, quæ stultitia est apud Deum, semper despexit, stultusque sæpiùs haberi studuit propter Christum, ut verè esset sapiens: illâ scilicet sapientiâ, quam docet Charitas Christi: Charitas, quæ patiens est, benigna est, non æmulatur, non inflatur, non irritatur: Charitas, quæ omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Hoc Divini Amoris igne mirabiliter æstuans Beatus Felix, jugi meditationis studio, & assiduâ oratione, per arduum Christianæ perfectionis tramitem ad superiora conscendit: quò sui abnegatione demissior, eò divinarum rerum contemplatione sublimior. Asperrimis carnis afflictationibus, jejuniis rigidissimis, ac ferè perpetuis vigiliis, mortificationem Crucis jugiter in suo Corpore portavit: illudque severioris pœnitentiæ austeritate ita prorsus edomitum, ac spiritui subjectum reddidit, ut in carne ambulans, non secundùm carnem militaverit, ac licèt frequentibus nimiùm miseri hujus seculi periculis, humilis ministerii sui ratione, quod longo mortalis ævi spatio exercuit, in singulos ferè dies obnoxius fuerit, adhuc tamen nullam seculi maculam contraxerit. Verus Christi Athle-*

ta

ta; verus Francisci sectator, & filius, per arctissimam paupertatem cursum illum, in quem, vestimentis abjectis nè succumberet, nudum se commiserat, gloriosè, ac feliciter consummavit: Euangelica rerum omnium terrenarum abdicatione infrà homines positus, insignium miraculorum fulgore, quibus eum decoravit Altissimus, suprà homines collocatus. Hæc omnia exactissimis comprobata documentis, quæ Vobis abundè innotuisse non ambigimus, disertè satìs efflagitare videntur, ut dilectum Deo, & hominibus Virum, quem divinâ fruentem in Cœlis Beatitate dudum colimus, in Terris etiam, authoritate Nobis à Domino traditâ, Sanctorum fastis solenniter adscribamus. Postulant id ipsum Viri Principes: postulat Religiosus Capuccinorum Ordo: fideliũ penè omnium postulant vota. Verùm priusquam hoc decernamus, quemadmodum Sedium Æternarum assistricem Sapientiam implorare non intermittimus, ita vestras etiam sententias hac in re audire summoperè exoptamus.

Cùm Sanctissimus dicendi finem fecisset, confestim DD. Cardinales, & Ecclesiarum Pastores, suas ordine sequenti protulerunt sententias.

NICOLAUS Episcopus Portuensis Cardinalis Acciajolus.

QUi aliquando per Urbem sibi, suisque Fratribus panem ostiatim quæritabat, Beatus Felix à Cantalicio Laicus Capuccinus hodie, BEATISSIME PATER, ante Thronum Sanctitatis Vestræ in sacculo, qui non veterascit, virtutum, & miraculorum thesaurum exhibet non deficientem in Cœlis. Dominus enim, qui pauperem facit, & ditat, hunc suscitavit de pulvere egenum, ut ex agrorum Cultore colendus ipse sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat in Regno Cœlorum. Verè felix Agricola, qui Cœlestis desiderii thesaurum, jam tum, cùm agros coleret, inventum, sub Religiosæ vitæ humilitate servavit, & absque deprædationis periculo publicè portavit in via. Magna siquidem, qua in virtutibus, qua in prodigiis, licèt operantem, magnum se nesciebat, & miraculo majus fuit, manifestam omnibus suam se solùm latuisse sanctitatem. Superest igitur, BEATISSIME PATER, ut quomodo Almus iste Confessor à Deo ita magnificatus est, ut ipsi S. Philippo Nerio admirationi esset, ita infallibili Sanctitatis Vestræ oraculo super Cœlos elevetur Dei magnificentia in Sanctificatione ejus.

GASPAR Episcopus Sabinen. Cardinalis de Carpineo.

BEATISSIME PATER: Felix de Cantalicio etsi humili loco natus, humilibus ministeriis in seculo, & in Claustris addictus, Christianam humilitatem etiam mente coluit, adeòut Magnatibus charus, Cœlestium Charismatum donis cumulatus, per quadraginta, & amplius annos in Almæ Urbis Plateis aromatizans odore virtutum, ab omnibus magno in pretio habitus, ne inani, ac fucata specie gloriæ extolleretur, rigidioris vitæ formam, quam professus fuerat, asperrimis quoque sui Corporis afflictationibus prosequutus est. Seraphici Patris Imitator, & Filius, hostiam Deo viventem ita se præbuit, ut Deus Omnipotens, & mirabilis, qui infirma Mundi eligit, & humiles exaltat cum Principibus Populi sui, præclaris eum miraculis illustraverit. Æquum est igitur, ut qui in Terris didicit ab eo, qui mitis est, & humilis corde, altissimæ humilitatis fundamenta jacere, jam superna fœlicitate donatus, ad Euangelicæ humilitatis gloriam, & incitamentum, usque ad Cœlestium ordines extollatur.

FABRITIUS Episcopus Prænestinus Cardinalis Spada.

BEATISSIME PATER : Bonus Agricola Beatus Felix à Cantalicio, cùm semel in Agro Domini manum misisset ad Aratrum, nunquam retrò respexit, sed continuò exiens seminare semen piorum operum, fructum attulit in patientia. Nil mirum igitur, si tanquam Villicus utilis, longum pondus diei, & æstus fortiter sustinens, Cœlesti pabulo sit refectus, cùm ipse etiam profundæ humilitatis alimoniâ spiritum saginaverit. Quoniam verò de sua mercede copiosa jam gaudet, & exultat in Cœlis, superest (BEATISSIME PATER) ut etiam in orbe Terrarum consimili gaudeat retributionis honore, à Sanctitate Vestra inter superos dignè connumerandus.

GALEATIUS Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyt. Card. Marescottus.

BEATISSIME PATER : Beatus Felix Pauli præceptum sequi volens, abnegatis secularibus desideriis, sobriè, justè, & piè vivendo, arctissimum Divi Francisci Institutum amplexus fuit, in quo Corpus suum jejuniis, flagris, laboribus perpetuò domuit: mentem orationis pabulo enutrivit: Proximos opere, & consilio juvit; in ipsis etiam reprehensionibus, quas simplicitate, hilaritate, & charitate condiebat, omnibus acceptissimus. Quæstuando per Urbem ad modestiam compositus, rejecta asperiori severitate, penè admirabilis. Quam vivendi rationem ad extremum usque spiritum servavit, mortem, quam prædixit, assistente Beatissima Virgine, placidissimam consequutus. Hæc cùm ita sint, BEATISSIME PATER, pronuntiet ex ore Sanctitatis Vestræ Spiritus Sanctus Beatum Felicem cum Christo in Cœlis regnare, cujus mortem, & honor funeris, & miraculorum gloria in conspectu Domini pretiosam fuisse testata sunt.

JO: FRANCISCUS Tit. S. Mariæ in Aracœli Presbyt. Card. Nigronus.

BEATISSIME PATER: Inter Sanctos sors illorum est, quorum vitam æstimabant insaniam, & finem sinè honore reputabant insensati hujus Mundi Amatores. Beatum Felicem à Cantalicio, quamvìs paupertate divitem, humilitate sublimem, pœnitentiâ, & voluntariè susceptis Corporis afflictionibus insignem, charitate in Deum, & in proximos æstuantem, Mundus tamen habuit in derisum, & in similitudinem improperii, sed ejus Anima in manu Dei fuit. Et quamvìs visus sit oculis insipientium mori, tamen fuit in pace obdormitionis coram Domino, & inter filios Dei computatus: Quare, BEATISSIME PATER, cùm sanctitatis fama ab obitu servi Dei ad nostra usque tempora non solùm deducta, sed etiam cumulata extiterit, Domino per subsequuta signa eandem confirmante, superest unicè, ut tam insignes virtutes in solenni Canonizatione per Sanctitatem Vestram debitæ accipiant complementum gloriæ.

FULVIUS Tit. S. Petri ad Vincula Presbyt. Card. Astallius.

BEATISSIME PATER : Quamquàm seculorum decursu magìs, magisque *diminutæ* decrescant *veritates à filiis hominum*, Psalmista testante; non rara tamen, nec inusitata subinde exoriuntur in Orbe Christiano, & in hac ipsa Urbe Apostolica veluti nova primæ magnitudinis sydera: insignes nempe in sanctitate Viri, per quos Ecclesiæ Cœlum novis semper splendorum accessionibus illustretur. Horum è numero B. Felix proculdubio fuit, qui sanctitatem, omnesque virtutes de Claustri septis, & Eremi latebris ad Populorum exemplum, & venerationem deduxit in publicum, ac tam multis annis per Urbis compita, viasque circumtulit. Tot ille habuit virtutis suæ testes, tot laudatores, quot Roma Cives. Fuit in Religiosæ vitæ legibus vel levissimis constans, & accuratus, in summa occupationum varietate, ad Superiorum nutus omnes docilis, ad excipienda vulgi ludibria, Euangelicam ejus simplicitatem interdum cavillantis, alacer, & immotus. Huic humilitati miram junxit mortificationem; nimirum juxta Bernardi monitum *in voluntaria corporis afflictatione martyrii genus, & meritum sectabatur*. Solenne illi erat, ac dulce, totas in oratione, & corporis castigatione noctes pervigilare; quippe teste Hieronymo, didicerat; *ubi amor, ibi oculum esse, & vigiliam*: Cœlestibus interim deliciis beata mens redundabat, cùm vesceretur Angelorum pane singulis diebus inter suavissimos fletus, quos Divinæ Charitatis æstus eliciebat; Verbo dicam, amicus, familiaris, simillimus Sancto Philippo Nerio fuit. Cùm itaque visi sint ambo *in hac Urbe*, *quæ caput est Mundi* (ut verbis utar Magni Leonis) divinitùs *constituti*, *veluti geminum lumen* sanctitatis, per quos antiqua novissimis hisce temporibus

bus exempla coruſcarent; ſicut dum viverent, de illorum meritis, geſtiſque præclaris eodem tempore Roma reſplenduit, ita in præſenti par eſt, ut quos amicitia pares, & virtutum exercitatio ſimiles fecit, cultus etiam, & honor Canonizationis reddat æquales. Proindè cenſeo ad honorem hujus Almæ Urbis, & Eccleſiæ Catholicæ decus, ut Sanctitas Veſtra Beati Viri virtutem tot probatam teſtibus, & miraculis confirmatam, Sanctorum honore muneretur.

BANDINUS Tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Panciaticus.

BEATISSIME PATER: Beatus Felix humili loco natus artem primam innocentis mundi Agriculturam ea morum Euangelica ſimplicitate diu coluit, ut promeruit conſignari Divo Franciſco filius, altiori nempè ſanctitate excolendus. Deſtinatus laborioſo muneri quærendæ per Urbem alimoniæ per quadraginta, & ampliùs annos circuivit vicos, & Plateas, quærens, quem diligebat Anima ejus Chriſtum Crucifixum. Ita Monaſterium annonâ, ac Urbem Romam, tot, tantiſque virtutum exemplis, & miraculis cumulavit, ut digniſſimus videatur, qui Sanctis adnumeretur, ut audiat publicas ſupplicationes, & cœleſtem nobis panem à Deo poſcat, qui terrenum panem pro ſuis tanta charitatis diuturnitate, atque excellentiâ emendicavit.

FERDINANDUS Tit. S. Balbinæ Presbyt. Card. de Abdua.

BEatum Felicem, BEATISSIME PATER, & ſingularis amor Crucis Chriſti, & inſignis patientiæ donum, quæ opus perfectum habet, bonorum operum Sectatorem eximium effecerunt; Animi verò candor, ac cordis ſimplicitas, ut unicè Deo frueretur rerum Divinarum contemplationi addixerunt; Charitas demum, quæ eſt perfectionis vinculum, Deo adhærere, Proximis adeſſe, laborem diligere, Mundi gloriam contemnere, manſura quærere, caduca fugere, ac felici virtutum decurſu, cœleſtem metam attingere docuit. Conſequens itaque eſt, BEATISSIME PATER, ut æternæ mercedi, quam dudum hujus Beati Viri meritis bonorum omnium largitor in Cœlis retribuit, Sanctæ Apoſtolicæ Sedis auctoritate, honor ille Summus in Terris accedat, quo ſuper Aras ab omnibus Chriſtifidelibus venerationem accipiat.

THADDÆUS ALOYSIUS Tit. S. Alexii Presbyt. Card. de Verme.

BEATISSIME PATER: (1) *Quoniam excelſus Dominus humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit*, hoc eſt, ut explicat (2) Divus Auguſtinus, humilibus communicat ſe per dona ſanctitatis, ſuperbos autem averſatur, & fugit; ideo B. Felix tanto ſtudio, tanta contentione demiſſionem animi, & ſui contemptum non amavit modò, ſed undequaque conquiſivit: Noverat enim Religioſiſſimus Vir, Deum Hominem factum, novo, & inaudito humilitatis exemplo nos admonitos voluiſſe de hujus eximiæ virtutis pretio inæſtimabili; & quamvis Mundi Servator omnium virtutum nobis exempla reliquerit, tamen de hujus imitatione præcipua, veluti de fundamento totius ſanctitatis, ſingulariter nos erudire dignatus eſt, ubi ait: (3) *Diſcite à me, quia ſum humilis corde*. Quod probè intelligens B. Felix, & internam animi demiſſionem vigilantiſſimè coluit, & hominum contemptum ardentiſſimè flagitavit; adeòut, & Populi ludibrium, & Puerorum luſus fieri non dubitaverit. Hoc enim voluit, dum vel Roſam in aure concinnè geſtans, vel malum perſicum ſuaviter odorans, tranſiens per vicos, & Plateas in proprium cœnobium apparuit, non ignorans, quod ſtultitia hujus Mundi ſapientia eſt apud Deum, & quod, ut monet Apoſtolus, (4) *ſi quis Sapiens videtur eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, ut ſit Sapiens:* (5) Juſti enim deridetur ſimplicitas, quæ apud Deum eſt ſapientia.

Cùm igitur humilitatis virtus, quâ Beatus Felix tam inſigniter fuit exornatus, ſit parens uberrima virtutum, & cùm ſe (6) humiles exaltaturum Deus luculenter promiſerit; ideo eundem Beatum Virum in Sanctorum numerum tutò referri poſſe cenſeo.

FR. THOMAS MARIA Tit. S. Clementis Presbyt. Card. Ferrarius.

BEATISSIME PATER: Seraphica Religio, quæ quaſi hortus voluptatis veri Salomonis in Solo militantis Eccleſiæ aquis gratiæ, & doctrinæ fœcundatus, omni ævo adornatur novellis plantationibus filiorum, ex area longè cultiſſima Capuccinorum Familiæ novum hac die ſanctitatis germen profert Apoſtolatui veſtro, Beatum Felicem à Cantalicio Sanctorum honoribus decorandum:

[1] *Pſal.* 136. [2] *Serm.* 175. *de Temp.* [3] *Matth.* 11. [4] *Ad Cor.* 3. [5] *Job* 12. [6] *Luc.* 14.

dum: Virum obscurum quidem genere, sed virtutum præstantiâ, Cœlestium donorum, & miraculorum gloriâ clarissimum; prorsus rudem humanæ sapientiæ, sed edoctum in scientia salutis; vocatum ad nobilem Francisci sequelam ex vomere, & aratro, quemadmodum olim & Elisеus ad Eliam; in quo nimirum igneus Francisci spiritus erat mansionem facturus, utì spiritus Eliæ requievit super Eliseum. Particeps siquidem, & hæres verè fuit B. Felix Francisci spiritus, quo terrena omnia despiciens, in Carne extra Carnem, in Mundo extra Mundum esse videbatur; & dum per quadraginta integros annos toto ferè die eleemosynas pro Fratrum alimoniâ collecturus foris versabatur cum hominibus, intimæ orationis studio nonnisi cum Deo versabatur, & Angelis. Angelus & ipse singulari prærogativa castitatis, quam nè ullis unquam voluptatum illecebris, vel cogitatu ipso, defœdaret, fœdus pepigit cum oculis suis, nè in vultum cujusque mulieris licenter aliquando conspiceret. Ad Francisci imitationem fuit & ipse vitæ innocentia, & pœnitentia planè admirabilis; In arduis, & difficilibus probatæ obedientiæ, Vir ditissimæ paupertatis, cujus altissima paupertas abundavit in divitias simplicitatis illius: fuit profundissimæ humilitatis, & ut uno verbo omnia complectar, flagrantissimæ in Deum, & Proximum charitatis. Pro Deo, & fraternitatis charitate laborum, & dolorum patientissimus, in vigiliis, in fame, & siti, in jejuniis multis, in frigore, & nuditate serviens Christo, & Fratribus suis. Stigmata quidem Domini Jesu non circumferens in Corpore suo, at piæ meditationis assiduitate, atque affectus teneritudine gestans in corde. Cùm igitur Felix Francisci merita tam propè assecutus fuerit, æquum est, ut & coronam consequatur, inter tot alios Magni Patris filios Albo Sanctorum & ipse inscriptus; in confusionem mundanæ superbiæ, ad Christianæ humilitatis commendationem, in laudem gloriæ gratiæ Dei, qui usque adeò exaltat humiles, & elevat pauperes: qui, quæ stulta sunt Mundi elegit, ut confundat Sapientes, & infirma Mundi, ut confundat fortia; & ignobilia Mundi, & contemptibilia, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.

JOSEPH Tit. S. Mariæ Transpontinæ Presbyt. Card. Sacripantes.

BEATISSIME PATER: Quæ stulta sunt Mundi, elegit Deus, ut confunderet Sapientes, & computavit inter filios dilectionis suæ, quorum vitam insensati æstimaverunt insaniam. Hoc miserantis Dei consilium admiramur in B. Felice à Cantalicio, qui aspero vitæ Instituto secutus est Dominum bajulans Crucem suam, & præclarissimis Euangelicæ simplicitatis exemplis effectus est sicut parvulus, & intravit in Regnum Cœlorum. Mirum planè est, quantis ille laboribus, vigiliis, austeritatibus Corpus suum in servitutem redegerit, semper mortificationem Jesu sedula imitatione circumferens: quantâ Dei, & Proximi charitate flagraverit: quantâ Regularis observantiæ, & obedientiæ laude floruerit: quantâ morum innocentia, & suavitate omnium amorem, & admirationem excitaverit; prævenerat enim illum Dominus in benedictionibus dulcedinis. Quamobrem consummato mortalis vitæ cursu posuit in capite ejus coronam de lapide pretioso, atque illius gloriam nunciantibus miraculis ubique reddidit testatissimam; Enim verò sæpè implorato Felicis præsidio mortales ægritudines ope divinâ depulsæ, & divina beneficia uberrimè collata sunt. Tantum igitur Christianæ virtutis exemplum supremo Sanctitatis Vestræ Judicio Christifidelium animos inflammet, ut Sanctorum Choris adscriptum imitari non pigeat, quem celebrare delectat.

JO: BAPTISTA Tit. S. Cæsarei Presbyt. Card. Spinula.

CUm triumphalis, BEATISSIME PATER, Sanctorum Virorum gloria ad omnem Catholici Orbis regionem pertineat, ea tamen B. Felicis peculiari quodam nomine ad hanc Urbem pertinere videtur, quæ de eo inter Sanctos referendo, dum hodierna die deliberatur, suis quasi commota sedibus exultat, & insignium tanti Viri exhibet monumenta factorum. Quæ enim Urbis pars, quæ domus, aut via est, quæ Felicis non fuerit consecrata virtutibus? in qua non extent flagrantissimi sui in Deum amoris, admirabilis in se ipsum asperitatis, humilitatis eximiæ vestigia, non pressa leniter ad exigui prædicationem temporis, sed assidua exercitatione fixa ad memoriam omnium sempiternam? Expedit igitur, BEATISSIME PATER, sublimem Felicis sanctitatem venerando

rando Sedis Apostolicæ Oraculo confirmari, ut mortales omnes, & qui nunc sunt, & qui deinceps nascentur, singularem recolentes CœlestiumCharismatum cumulum in imperito, illiterato, abjectique generis Homine, clariùs intelligant, non scientiâ, quæ inflat, sed Charitate, quæ ædificat, excelsam Amicorum Dei dignitatem comparari, nec inter humanarum rerum fastigia, sed in Cœlestibus veram felicitatem, solidamque gloriam inveniri.

FABRITIUS Tit SS. Joannis, & Pauli Presbyt. Card. Paulutius.

BEATISSIME PATER: Elegit quidem Beatus re, & nomine Felix abjectus esse in Domo Dei; Propterea Oraculum suum: *Qui se humiliat exaltabitur*: volens Altissimus opere comprobare, Servi sui Animam ad tantam Virtutum, atque Charismatum sublimitatem evexit, ut toti Mundo Vir pauperrimus, & humillimus, veluti eximius sanctitatis splendor eluxerit, ejusque merita præ cæteris Vir sanctissimus Philippus Nerius unicè dilexerit, magnoque semper in pretio habuerit. Quamobrem, peracto jam,juxta SanctæSedis leges,virtutum illius, ac miraculorum examine, ex merito Causæ facturam arbitror Sanctitatem Vestram, ubi gloriosis Sanctorum fastis ipsum adscribere dignetur.

FRANCISCUS Tit. S. Eusebii Presbyt. Card. Martellus.

BEATISSIME PATER: In simplicitate, & puritate cordis à parentibus piè inter Agricolas educatus B. Felix, olim à Puero divinæ gratiæ recepit, coluitque primordia: eademque simplicitate, & puritate, veluti duabus alis, in Domino confisus, sub arctissima Seraphici Patris disciplina, ad heroicarum virtutum apicem se mirabiliter evexit. Vir literarum planè rudis, agriculturæ primùm, mox curæ quæritandi per Urbem subsidia pro alendis Fratribus addictus, ubique locorum, vel in Campis, vel in sui Ordinis Cœnobio, vel penès Urbis Incolas, viam veritatis divinitùs edoctus, semper, & in cunctis in Spiritus Sancti virtute ambulans simpliciter, ambulabat confidenter: non cognoscens literaturam introibat in potentias Domini, & in ejus mirabilibus exercebatur. Hinc eximia erga Deum charitas, itidemque in Proximos egenos præsertim, & ægrotos; provida in omnes, cum quibus versabatur, opportunis etiam monitis ad Animarum salutem. Hinc post diurnos labores nocturnæ vigiliæ, Corporis afflictatio, jejunia rigidissima supra communem usum, & in divinis meditationibus uberrimæ semper lacrymæ, & aliquando mentis excessus. Hinc, dum adhuc inter vivos ageret, clarior in dies sanctitatis fama, quæ statim post ejus obitum innumero Populi Romani concursu, ac veneratione, quâ Beati Viri Cadaver expositum fuerat, longè, latèque percrebruit; & usque in præsens enarrat gloriam illius, recensetque virtutes, & miracula, quæ legitimis documentis satìs superque jam constant, Cœlestemque Coronam ostentant. Quapropter, BEATISSIME PATER, solenni quoque in Terris laureâ à Sanctitate Vestra donandum, & Albo Sanctorum ritè apponendum existimo Beatum Felicem, ut tam altæ pietatis, & admirandum Divinæ gratiæ prodigium, ad laudem Dei Omnipotentis latiùs in Orbe Christiano, clariùsque resplendeat.

LAURENTIUS Tit. S. Susannæ Presbyt. Card. Corsinus.

LUcet, (1) BEATISSIME PATER, ut dicam verbis Hieronymi *Margaritum etiam in sordibus, & fulgor gemmæ purissimæ radiat etiam in luto*. In luto, in sordibus vanitatis humanæ videbitur fortè cuipiam Beatus Felix à Cantalicio Laicorum quæstuantium turbæ neglectâ forte initiatus; sed ibi etiam eluxit splendidissimum hoc Margaritum, hujus fulgor gemmæ purissimæ. (2) *In modico isto magnus erat, in minimo grandis habitabat, & tantò minùs à se magnum excludebat, quantò magis minor erat*. (3) *Humilitate summus, & compunctione timoris Dei plenus* eluxit in oculis Domini, in oculis Claustri, in oculis Urbis; In oculis Domini, nimirùm charitatis æstu, & humilitatis prodigio (4) *in Deum viribus totis, ac toto erat corde suspensus*. In oculis Claustri, ibi nempè, gradu erat post omnes, (5) *in virtute omnium judicio supra omnes emicuit*; Demùm in oculis Urbis, sæcularis scilicet ævi, vel minima labe detersa (6) *ipsum suum exteriorem uno semper modo, ipsoque modestissimo gessit. Totum in eo disciplinatum, totum insigne virtutis, perfectionis forma* sola in eo elucebat.

T Sed

[1] *D. Hieron. epist. 53. ad Theodor. in edition. Patr. S. Mauri.* [2] *Ex D. August. serm. 279. in edit. PP. S. Mauri, alias 24. in Syrm.* [3] *Ex D. Isid. Hispal. lib. de Script. Eccles. cap. 27.* [4] *Ex D. Cyprian. epist. 1. ad Donat.* [5] *Ex D. Bernardo in Vita S. Malach. cap. 2.* [6] *Ex eod. ubi modo cap. 19.*

Sed (1) *fractum est* tandem *pretiosissimum Margaritum*, *virens Smaragdi gemma contrita est*; at detrita licèt, & fracta eluxit tamen superstes, & eluxit miraculis, eluxit prodigiis, portentis eluxit: (2) *Quos* videlicet *informavit exemplis*, *miraculis confirmavit*. Supereft modò, Beatissime Pater, ut Margaritum, quod virtute tantoperè emicuit in Terris, prodigiis adeò resplenduit è Cœlis, Sanctitatis addito nomine, Catholicis in Aris magìs etiam elucescat.

FRANCISCUS Tit. S. Cæciliæ Presbyt. Card. de Acquaviva.

Beatissime Pater: Non prudentia carnis, nec humana sapientia, sed Divini Amoris incendium Beatum Felicem duxerunt, ut asperam Capuccinorum Regulam amplectaretur, unde (principium à Deo) certum processit indicium futuræ sanctitatis, quam, tum intrà Claustra cum Fratribus versans, tum per Urbem eleemosynas quæritans, omnibus patefecit. In Claustro quidem; nam non solùm integrè, & inviolabiliter rigidissimi Ordinis Instituta servavit, sed ad corporis macerationem alia voluntaria supererogavit pœnitentiæ opera: nempè assiduam flagellationem, jejunia, abstinentias, continuosque labores erga Proximum, ac demum, aut pervigiles noctes, aut breve somnum summa corporis afflictione ducendo. Extra verò Claustra, per Urbem ostiatim quæritans, adeò modestè, & hilariter se gerebat, ut nunquam spatio quadraginta annorum, quibus huic ministerio inservivit, conquestus fuerit, sed summa comitate, & lætitia secularium animis, licèt rudis, & literarum expers, Cœlestis pietatis semina insereret. In sermone simplex, in operibus innocens, Divini Amoris incendio sæpiùs æstuabat. Humilitas, cæterarum virtutum principium, & radix, in eo præsertim emicuit, ut se palàm deludendum per totam Urbem, æmulante D. Philippo Nerio, eoque admirante, non semel præberet. Tandem mortem sibi longè antea cœlitùs patefactam subivit, post quam quinque miracula effulserunt, quibus instantaneè quinque incurabiles Infirmi, oleo Lampadis ad ipsius sepulchrum ardentis admoto, convaluerunt. Hunc itaque Pontificio Sanctitatis Vestræ Judicio Sanctum dici, erit æquè jucunda gloria triumphantis Ecclesiæ, ac simul (in tot rerum anfractibus) columen militantis.

PHILIPPUS ANTONIUS Tit. S. Chrysogoni Presbyt. Card. Gualterius.

Beatissime Pater: Excelsus super omnes Cœlos Deus noster, cujus Majestas ab humilibus honoratur, humilem sibi Servum præelegit Beatum Felicem, ut eum collocaret cum principibus Populi sui; dedit enim ipsi spiritum principalem, ut per angustam, & asperam heroicæ mortificationis viam fortiter incedens ad perfectionis apicem perveniret: Factus proinde sanctimoniæ speculum, virtutem exemplo docuit, & patientiam, simplicitatem, & munditiem cordis, casta, sanctaque conversatione propagavit. Esse itaque opportunus hoc tempore locus mihi videtur, ut Apostolica Sedes Sanctorum fastis adscribat hujus Beati Viri nomen eximiis virtutibus, miraculisque celeberrimum.

JOSEPH Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyt. Card. Vallemanus.

Beatissime Pater: Cœlestis ille Paterfamilias, qui nunquam bonum semen seminare cessat in agro Ecclesiæ suæ, Beatum Felicem ex agri terreni cultura, ut excoleret Animam suam, ad exercendam inter Fratres Minores Capuccinos laboriosam, asperrimamque vitam evocavit. Ille verò sparsis in fundo humilitatis omnium virtutum seminibus, admirabiles protulit fructus patientiæ, obedientiæ, mortificationis, pœnitentiæ, paupertatis, atque heroicæ sanctitatis. Tutò itaque inter Sanctos referri posse censeo hunc Dei Servum, qui datis in agro Dominico probatæ virtutis documentis, patienter, fideliterque laboravit, ut qui jamdudum, post hujus vitæ labores, æternæ refectionis mercedem in Cœlis accepit, Sanctorum honores in Ecclesia recipiat: sitque laborantibus pro Christo, & præsidium, & exemplum.

RAYNUTIUS Tit. S. Agnetis extra mœnia Presbyt. Card. Pallavicinus.

Beatissime Pater: Felix Agricola Christi, quem constituit Dominus aratorem agrorum suorum, exaltaturus humilem origine, loco, exercitio, virtute, & Instituto, cœpit in sudore vultus sui Terram operari vomere, non ut operaretur Terram, sed faceret fructuosam: Mittens manum ad Aratrum, nec respiciens retro, tota die orando,

[1] *Ex Hieron. epist. 54. ad Pammach.* [2] *Ex eod. D. Bernard. serm. de S. Malach.*

do, arando, quam ſereret, proſcindens ſe flagellis, quam ſarciret humum ſuam; quæve in pœnam Adæ contigit, Felici feliciter obtigit in mercedem. Quis ex nobis habens Servum arantem ſibi, & operi regreſſo de Agro dicat illi: Tranſi, & recumbe? Ecce dies venit, dicit Dominus, & comprehendit arator meſſorem, & ſtillabunt Montes dulcedinem, & omnes Colles noſtri culti erunt, quia novus Iſaac labore, vigiliis, oratione, jejuniis ſevit in terra noſtra, & invenit ſingulis annis centuplum, ex quo bonum ſemen ſeminavit, dignus, qui Cœlum coluit in terris, Cœleſti ritu colatur in Aris, & cujus vitam æſtimabamus inſaniam, & finem illius ſinè honore, computatus ſit inter filios Dei, & ſors illius ſit inter Sanctos, quem oculus Dei reſpexit in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltavit caput ejus.

JO: DOMINICUS Tit. S. Anaſtaſiæ Presbyt. Card. Parraccianus.

BEATISSIME PATER: Beatus Felix à Cantalicio fuit verè felix, nam arctam mandatorum Dei viam ingreſſus feliciter cucurrit, & feliciter abſolvit; Manum ſuam mittens ad fortia, aſperrimo vitæ genere, carnem ſuam crucifixit cum vitiis, & concupiſcentiis; cinerem, tanquam panem manducavit, & potum cum fletu miſcuit; altiſſima contemplatione, quæ ſurſum ſunt, quæſivit, & invenit, dum meruit habere Chriſtum Infantem in ulnis ſuis: Studium Euangelicæ paupertatis, & profundæ humilitatis, in quibus ſe exercuit, ſuadent verè fuiſſe de Grege Puſillorum, quibus Æterno Patri complacuit dare Regnum; Mundum deſpiciens, & terrena triumphans, Cœlum ingreſſus eſt. Probavit, declaravitque jam Deus quamplurimis miraculis Servi ſui ſanctitatem: quid igitur ſupereſt, niſi, ut qui tamdiu ſeminavit in lacrymis, metat tandem in exultatione cultum ſolennem venerationis, quem à Sanctitate Veſtra expectat?

JOSEPH Tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio Presbyt. Card. de la Tremoille.

BEATISSIME PATER: Virtutibus multis refulſit Beatus Felix à Cantalicio; præcipua tamen fuit humilitas, quæ ſicuti cæteras omnes eminenter continet, ita eâ duce juſtè obtinet conſecrationis triumphum, juxta illud divinæ veritatis præſagium, *Qui ſe humiliat exaltabitur*: Hinc domeſticæ vitæ aſperrima ratio, aſſidua meditatio divinorum, fervens charitas in Proximos, modeſtia ſingularis, nulloque tempore ſuſpecta, aliarumque virtutum prodigioſus cumulus; Hujus itaque Sancti Viri ſanctitatem, cùm Altiſſimus miraculorum etiam fulgore teſtatam fecerit, & confirmaverit, congruum eſt, ut Sanctitas Veſtra probet cultu, & veneratione.

CAROLUS AUGUSTINUS Tit. S. Auguſtini Presbyt. Card. Fabronus.

QUod, Iſaia prophetante, prænunciavit olim Deus Optimus Maximus: *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* in Beato Felice, cujus hodie adornantur præconia, feliciter videmus impletum, BEATISSIME PATER: Verè enim ſuſcitavit Altiſſimus de Terra inopem, & ſuſtulit eum de gregibus Ovium, ut æternum Solium gloriæ teneat, ſedeatque cum Principibus Populi ſui. Cùm verò, ſicut ſcriptum eſt, *facile Deo ſit ſubitò honeſtare pauperem*, illum propterea miris undequaque virtutibus inſignivit, donis cœleſtibus auxit, ſignis, atque prodigiis illuſtravit. Miramur profectò in hoc Viro ſanctiſſimo arctiſſimam paupertatem, ſiquidem Franciſci Patriarchæ Pauperum egregius æmulator à pecunia fugit tanquam à colubro, itaut unius aliquando denarii nummi clam ſibi manticæ impoſiti onus divinitùs aggravatum, validis licèt humeris, ſuſtinere nequiverit. Miramur maximam, & diuturnam quadraginta, & ampliùs, annorum ſpatio non interruptam vivendi auſteritatem in multa patientia, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate, in plagis ſupra modum, quas, deficiente tortore, quotidie uſque ad ſanguinem ſibi ipſe acerrimus hoſtis inflixit. Miramur denique, tanta inter eximiæ ſanctitatis merita, majorem animi demiſſionem, quâ viliſſimus ſui ipſius æſtimator ab omni ſemper gloria abhorruit, neque contemni modò, ſed & ſpernere ſe ſperni in vera Chriſtianæ humilitatis palæſtra perfectè didicit, Sancto Philippo Nerio in hominum affectanda deſpicientia æmulus, & adjutor. At verò ſupernæ charitatis, & beneficentiæ oculis humilitatem Servi ſui reſpexit Altiſſimus, eundemque mira, ac penè incredibili divinorum Chariſmatum affluentia cumulavit, in curandis, videlicet, ſigno Crucis, impoſitione manus, vel ſolius etiam vocis imperio ægrotis, gratiâ ſanitatum; in vino, oleo, cæteriſque rebus

 multi-

multiplicandis, defuncti Pueri ad vitam revocatione, aliisque mirabilibus, operatione virtutum; in futuris prænuntiandis, & secretis cordium penetrandis, Prophetiâ, & discretione spirituum; repetitâ demum Deiparæ Virginis, cujus eximius cultor extitit, & ipsius Pueri Jesu visitatione, & alloquio, cæterisque innumeris supernæ dignationis argumentis.

Itaque, Beatissime Pater, dignum planè arbitror, ut Beatus iste Vir, qui Mundo despectus, terrena despiciens, Christo Cruci confixus, à Domino etiam in Terris gloriâ, & honore cœlestium gratiarum, signis quoque, & prodigiis mirificè est exaltatus, & sacri honoris primitias jampridem, annuente Sede Apostolica, ritè est assequutus, ascendat, Sanctitate Vestra decernente, superiùs Sanctis annumeratus; ut Congregationi Fratrum suorum, quibus olim in ministerio fuit, vertatur in gloriam, proficiat in exemplum, statuatur in patrocinium; omnesque indè per universam Ecclesiam Christifideles magis, ac magis Institutis Christianæ Sapientiæ confirmentur, quâ docemur immarcescibiles paupertate divitias, abstinentia delicias, veram humilitate celsitudinem comparari.

BENEDICTUS S. Mariæ in Via lata Diac. Card. Pamphilius.

Roma, Beatissime Pater, [1] *cùm penè omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium serviebat erroribus*; Cives tamen illius moderatioris animi, non extollebantur in prosperis, nam debellatis fortiter hostibus, humiles *redibant ad Boves, vomere laureato, triumphales Agricolæ*; Sed quæ humilitas, quæ fortitudo, ubi vera fides non est, vera Religio? Per Martyres, per Confessores postquàm Romæ Euangelium Christi resplenduit, [2] *quæ erat magistra erroris, facta est discipula veritatis*. Felix à Cantalicio, sed longâ sede Romanus, non victos Reges, non spolia gemmis, & auro contexta secum trahebat, ut tumidus Capitolium ascenderet, sed humilis, novus [3] *Eliseus, relictis statim bobus, currens post* Seraphicum *Eliam*, de Aratro ad triumphum ducitur, vexillo Crucis, Fide duce, animante Spe, inflammante Charitate, aliisque virtutibus, seu proximè, seu remotè Triumphum comitantibus. Justitia heroicum implementum communis, & privatæ legis, Fortitudo ardua opera, Tolerantia labores, Temperantia jejunia, Modestia compositos mores, Humilitas honorum contemptum, Paupertas laceram vestem, nudosque pedes, Triumphatore renuente, demonstrant. Sic Deus, qui [4] *humilia respicit, & alta à longè cognoscit*, [5] *infirma Mundi eligit, ut fortia quæque confundat*. Prædicant publicæ Urbis viæ, quibus laboribus inter seculi commercia, [6] *Vir simplex, & rectus, & timens Deum*, aliorum commodis, & Animarum saluti studuerit. Prædicant privatæ Domus, quot Infirmos sanaverit, quale solamen afflictis præbuerit, qualis fuerit cum Divo Philippo Nerio quasi Cœlestis consuetudo. Prædicant tot de eo scripta monumenta, quàm [7] *mirabilis fuerit Deus in Servo suo*; Obitu enim suo præsignato, quem & Virgo Deipara, Angelicis circumdata Choris, aspectu suo suavissimum effecit, [8] *Arator* Felix, *qui comprehendit Messorem*, cui *montes stillavere dulcedinem*, ultimum clausit diem, [9] *pauper, & humilis Cœlum dives ingreditur*, & Cœlesti honoratur Corona; At percrebrescente post mortem fama sanctitatis, famam miraculis comprobantibus, superest, Beatissime Pater, ut [10] *Agricola expectans pretiosum fructum Terræ*, adscribatur Fastis Sanctorum. Hoc Urbs devota requirit; Principum officia expetunt; Vota Piorum efflagitant; Seraphicus Ordo humiliter postulat, vehementer exoptat: sic Triumphus admirabilis Servi Dei plenè complebitur in Terris.

PETRUS S. Laurentii in Damaso Diac. Card. Otthobonus.

Beatum Felicem, qui omni virtutum usu in Christiana Militia diù, multùmque promeruit, publicis Aris admovendum esse, ut novo auctum cultu Intercessorem habeamus apud Dominum, nil dubito, Beatissime Pater; Siquidem ille asperam vitæ rationem blandâ adeò, dulcique comitate delinivit, ut in mentis recessu, & per carnis tormenta perfectus Anachoreta; in Urbe verò, cœtuque Populorum, & in conversatione gentis, effusæ charitatis officiis, in singulorum commoda factus videretur. Miscuit igitur, nexuque mirabili composuit difficillimas virtutes, & austeriorem sanctitatem non in abscondito, aut solâ animi tristitiâ coli posse demonstravit.

Nullum tamen apud me pro decernendis

[1] *S. Leo serm. in Fest. SS. Petri, & Pauli.* [2] *S. Leo ubi supra.* [3] *3. Reg. 19. 19. & 20.* [4] *Ps. 137. 6.* [5] *1. Cor. 1. 27.* [6] *Job 1. 1. & 8.* [7] *Ps. 67. v. 36.* [8] *Amos 9. 13.* [9] *In Miss. Sancti Francisci.* [10] *Jacob cap. 5. 7.*

dis Servo Dei Cœlestibus honoribus gravius momentum accedit, quàm Sancti Philippi Nerii cum Viro eximio familiaris, ac domestica consuetudo, atque præclarum de illius sanctitate judicium. Quam itaque Nerius hisce Comitiis rogatus sententiam ferret, hanc ego humillimè sequor, & Patroni mei amantissimi, ac Largitoris beneficentissimi testimonio libens acquiesco.

CAROLUS S. Agathæ Gothorum Diac. Card. Bichius.

BEATISSIME PATER: Divina Providentia, quæ in sui dispositione non fallitur, & plerumque infirma Mundi eligit, ut fortia quæque confundat, Beatum Felicem à Cantalicio elegit ex pauperibus, & contemptis hominibus, humili, & obscuro loco natum, nullis artibus, nullâque eloquentiâ instructum, & constituit super eo molem heroicarum virtutum, culmen scientiæ Dei, sublime Regularis perfectionis ædificium, altissimum humilitatis fundamentum, ac validum propugnaculum extremi gaudii, in sancta paupertate Domini sui Sponsa charissima, quam Beatus diligentissimè custodivit, omnia arbitratus, ut stercora, ut Christum lucrifaceret; istaque scientia imbutus pauper, & humilis Vir Dei, in sancta Fratrum Capuccinorum Religionis professione Laicus, & eleemosynarum Collector, scienter nescius, & sapienter indoctus, quemdam suæ tempestatis doctrinâ insignem prævenit, doctèque monuit, inutilia esse librorum volumina, nisi inserviant, ut Jesum Christum discamus, & mandatis ejus fideliter obtemperemus. In charitate in Deum, & Proximum, in humilitate, in rerum Divinarum ferventi meditatione, in simplicitatis, & innocentiæ candore, & in corporis sui assidua afflictatione, Seraphici Patris fuit imitator fidelis, usque adeò, ut sibi Mundum, seque Mundo reddiderit Crucifixum; Martyrum quoque merita verè dici potest eum obtinuisse, quem, non modò ex fideli, & exacta, verùm etiam (ut constat) ex longè supereroganti observantia sui asperrimi Instituti, tam longum, patet, duxisse martyrium; Ex his igitur gloriosis meritis, re, & nomine Felix, Regnum Cœlorum rapuit violenter, & Sanctus est apud Deum, quem Pater misericordiarum, oculis superioris ætatis, & Parentum nostrorum, videndum, & admirandum dedit in hac eadem Alma Urbe Roma. Hunc, BEATISSIME PATER, pro Sancto laudari, tuoque Decreto, hoc est Divinitatis oraculo, ab hominibus in Terris venerari par esse videtur: Quod opus erit Deo Optimo Maximo gratum, Sanctitati Vestræ gloriosum, & nobis perquamsalutare.

JOSEPH RENATUS S. Georgii Diac. Card. Imperialis.

HOnorificari vult Deus Amicos suos, BEATISSIME PATER, eosque præsertim, qui se præ cæteris humiliaverint. Ejusmodi profectò fuit Beatus Felix à Cantalicio, qui inter cæteras virtutes, quas sublimi gradu adeptus est, humilitatem summoperè coluit, atque contemptum sui singulari semper studio quæsivit. Æquum igitur est, Servo Dei jam demortuo, & inter Cœlites cooptato, laudem decerni, à qua ille, dum vixit, adeò abhorruit, ejusque nomen, quod multis prodigiis Deus celebre reddidit, juxta vetus, piumque Ecclesiæ Institutum, Sanctorum fastis inscribi.

FRANCISCUS S. Angeli in Foro Piscium Diac. Card. Barberinus.

BEATISSIME PATER: Mirandam profectò, atque insperatam conditionis vicissitudinem exhibet nobis sacra Esther historia in Mardochæo, qui in præmium fidei suæ erga Regem Assuerum pro vilissimo, quo induebatur sacco, purpureo refulsit paludamento; pro cinere, quo sibi consperserat caput, Regium accepit diadema; & pro cæteris mœstitiæ, atque amaritudinis animi sui argumentis, super Equum Regum more equitavit, primo de Regiis Principibus proclamante: *Hoc honore condignus est quemcumque Rex voluerit honorare.*

Non absimile, BEATISSIME PATER, immò nobilius, immò sublimius, immò desiderabilius, diviniusque spectaculum intuemur hodie, Beatum scilicet Felicem, quem rerum omnium corruptibilium, suique ipsius contemptorem, sacco, & cilitio coopertum, semperque mortificationem Jesu in corpore suo circumferentem, suspexit olim Roma; nunc verò incorruptibilem, & incontaminatam, ac immarcescibilem hæreditatem consequutum, gloriâ, & honore coronatum universus Christianus Orbis veneratur.

Æquissimum ergo est, ut quantò in oculis hominum abjectior fuit, dum mortaliter viveret fidelissimus, & dilectissimus Christi famulus, tantò gloriosior in immortalitate omnibus appareat.

Fremat quantumlibet igitur Lucifer superborum Princeps, audiatur tandem in

Terra

Terra nostra, & sonet in auribus nostris vox tua, BEATISSIME PATER, illa, inquam, Apostolica vox, vox veritatis, & fidei, quâ Beatus Felix virtutibus conspicuus, atque miraculis inter Sanctos connumeretur, & plaudente militante Ecclesia, ac triumphante simul concinente, ab omnibus conclametur: Hoc honore condignus est B. Felix.

LAURENTIUS S. Nicolai in Carcere Diac. Card. de Alteriis.

BEATISSIME PATER: Beatus Felix, ut virtutis, & meriti ascenderet fastigium, cogitavit priùs de fundamento humilitatis. Factus igitur Agricola, vulgari illo in exercitio, quò humilior, eò perfectior fuit; sed advertens Operariis abundare carnales agros, in agro verò Domini messem quidem esse multam, & pretiosam, Operarios verò paucos: & insimul recogitans, & agnoscens, quàm sordeant viles illæ deliciæ, & commoda, quæ in Mundo tam perditè amantur, & quæ si amittere metus est, amisisse gaudium erit, & lucrum, exultavit ut Gigas ad currendam viam, quam Dominus illi monstravit, semitam, quam docuit in Familia Capuccinorum; Fortitudinem Christi, & humilitatem imitatus terrena bona omnia contempsit, mala omnia alacriter sustinut, paupertatis ærumnas, tam suam, quàm communes strenuè pertulit, per longos annos pium illud exercens officium petendæ eleemosynæ, laudabilem profitendo fatuitatem in mira planè humilitate, & simplicitate, quæsivit, adamavit, amplexus est irrisiones, & contumelias. A Sancto Philippo Nerio eximiè fuit dilectus, edoctus, exemplo sanctificatus; Literarum licèt rudis, excellens tamen in scientia Sanctorum, Animarum saluti assiduus incubuit omni studio, labore, profectu, & tandem omnibus vitæ suæ diebus Jesum quæsivit, & hunc Crucifixum in labore, in paupertate, in angustiis, per infamiam, & bonam famam Servi Dei. Has, omnesque alias virtutes, & in gradu heroico micantes, & præclara miracula Sac. Rituum Congregatio discussit, & admisit. Nihil igitur deest, immò omnia suadent, & impellunt, ut Beatus hic Vir in Sanctorum Album referatur, si ita Sanctitati Vestræ placuerit, ut illum advocare possimus Patrem, & Patronum inter gravissimas, quibus circumquaque premimur ærumnas.

CAROLUS S. Mariæ de Scala Diac. Card. Columna.

BEATISSIME PATER: E Seraphici Francisci schola prodiit Felix à Cantalicio, tam humilitatis, omniumque virtutum splendore, quàm prodigiorum gloriâ conspicuus, tanto sub Magistro non impar Discipulus. Hic serius Christi Passionis Contemplator, & Imitator, ejusdemque continuò addictus Cruci, culpâ nullâ admissâ, sed pœnis ultrò susceptis, in afflictatione sui corporis tam multus fuit, ut cruciamenta delicias reputaret, & delicias cruciamenta. Hunc ergo Virum justum, & Deo amabilem Sanctorum fastis adscribendum quis dubitet, quem tot insignia prodigia, unanimes Populorum voces, & tot viva Summorum Pontificum oracula Sanctum corpore, & spiritu proclamarunt?

NICOLAUS S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. Grimaldus.

ROma vidit, & probavit, BEATISSIME PATER, Beatum Virum Fratrem Felicem à Cantalicio Laicum Capuccinum pauperem spiritu ob Christianam humilitatem, cruciamentis, oratione, vigiliis, perpetuisque jejuniis corpus suum macerantem, Claustralis vitæ disciplinam exactissimè observantem, ac eximia erga Deum, & Proximos charitate ardentem; nec fuit unquam, qui in eo scandalizatus sit, ac de eo quadraginta annos eleemosynas in Urbe pro Fratribus quæritante suspicari, aut malè obloqui auderet. Illius in humanis versantis sanctitatem Divus Philippus Nerius intimè cognovit, & non una in re nobis indicavit; ac, post mortem, ejusdem sanctitatis argumentum fuit fama constantissima, quâ apud omnes per seculum, & ultra floruit; ipseque Deus vitam innocentem acceptam habens, ejus intercessione, articulorum, pedum, oculorumque officia amissa incontinenti restituit; Quare censeo illum Sanctorum numero solenni ritu adscribendum, ut Populus Christianus majori fiducia ejus auxilium imploret.

ANNIBAL S. Eustachii Diaconus Cardinalis Albanus.

FElicem à Cantalicio, BEATISSIME PATER, sacræ Capuccinorum Familiæ eximium decus, & ornamentum, Sanctum etiam, dum viveret, oculata testis jamdudum Roma

ma nuncupaverat: diuturno enim annorum ſpatio, nudis ferè ſemper pedibus, humeriſque ad emendicandam quotidianam Fratrum ſtipem manticâ gravatis, ſuas vias terentem aſpexerat. Illuſtre inſuper de ejus ſanctimonia teſtimonium ſæpè ſæpiùs protulerat Sanctus Philippus Nerius, ſolidæ virtutis acerrimus æſtimator: Frequentiſſimæ ſiquidem familiaritatis experimento probaverat, quæ, & quanta fuiſſet illius planè Cœleſtis animi demiſſio, quâ omnibus omnia factus, ſe jumentis inſipientibus comparabat. Sanctum denique illum apertiſſimè aſſeruerant tres Summi Pontifices, Sixtus nempè, & Paulus, uterque hujus nominis V. & Urbanus VIII. quorum primus ante Felicis vix tumulati cineres, pronis in terram genibus, preces effudit; alter eundem paucis ab illinc annis è vivis ereptum, non ſinè interno auræ Cœleſtis afflatu, Sanctum corpore, & ſpiritu vulgo appellandi poteſtatem fecit; tertius demum debito Beatis cultu proſequendum fore decrevit. Quid ergo reliquum eſt, Beatissime Pater, quàm ut Sanctitas Veſtra ſupremam tanto operi manum imponens, Beatum Felicem à Cantalicio Sanctorum numero adjungat, & ſolenniori ritu militanti Eccleſiæ publicè imitandum proponat?

LUDOVICUS Picus de Mirandula Patriarcha Conſtantinopolitanus Aſſiſtens.

Beatissime Pater: Eccleſiam Dei, quæ tamquam Regis Æterni filia in veſtitu deaurato circumdata varietate novo in dies ſanctitatis decore illuſtrata procedit, & regnat, Beatus Felix à Cantalicio ita Euangelicæ ſtolâ ſimplicitatis ornavit, ut ſplendiorem exinde viderint omnes populi gloriam ejus. Sapiens ille non apud ſemetipſum, ſed apud eum, cujus eſt ſermocinatio cum ſimplicibus, pauper, & humilis, in virtute dives, in generationibus gentis ſuæ verè glorioſus apparuit; dedit namque illi Dominus, qui in humilitate noſtra memor eſt noſtri, ſcientiam Sanctorum, & intellectum; ut viveret: eumque replevit multitudine miſericordiæ ſuæ, ut quò demiſſior humilitas, eò ſublimiùs ipſi cooperaretur in benedictionem, & laudem. Jugis ideo in ejus vultu ex conſortio Domini ſpecies erat ſanctitatis, quâ ſtipem in Urbe corrogans pro Fratribus in Chriſto ſuis, cœleſte centuplum retribuebat terrena largientibus, & Seraphicæ, quâ ipſe flagrabat, charitatis ardore alios ſatagebat incendere, & incendebat. Quis verò innocentiam, paupertatem, abſtinentiam, orationis aſſiduitatem, & Regularis, ac ſeverioris diſciplinæ ſtudium tantùm enarrare poterit, quantùm ipſe eam coluit, cùm ſit omnis gloria filiæ Regis ab intus; neque humanæ mentis pervia ſint oculis, quæ mirabilia operatur ſpiritus per dilectionem in penetralibus cordis? Lætatus ſuper eloquia Dei, ſicut qui invenit ſpolia multa, quia in pauca fidelis fuit, ſupra multa dextera Domini, quæ facit virtutem, conſtituit eum; & prophetiæ dono, gratiâ ſanitatum, præclariſque ſignis Servi ſui ſanctitatem teſtatam ubique gentium, atque mirabilem voluit, ut ſcilicet nomen ejus, qui conſummato curſu, fide ſervatâ repoſitam ſibi coronam juſtitiæ adeptus triumphantem Eccleſiam cum omni populo acquiſitionis exornat, jam in Sanctorum faſtis intelligamus inſcriptum, & tamquam militantis præſidium, decus, & gaudium, in lætitia, & exultatione invocemus in Templo Regis, & veneremur in Terris.

JOANNES Patritius Archiepiſcopus Seleuciæ Aſſiſtens.

Beatissime Pater: Mirabilis Deus, qui fortia quæque confundens Beatum Felicem de Cantalicio exaltavit de plebe ſua, & verè juſtum adhuc adoleſcentem deduxit per vias rectas, & elegit, ut in fertiliſſimo Franciſcanæ Religionis agro fructus honoris, & honeſtatis tempore ſuo daret. Vir fuit Seraphici ſui Patris imitator exactus, profundiſſimæ humilitatis, miræ ſimplicitatis, innocentiæ illibatæ, continentiæ incomparabilis, & ita ut dignum Superiores exiſtimarent, qui quotidie Angelico reficeretur pane; In oratione ſedulus, in operoſa vita, cui addictus erat, aſſiduus, carnem ſuam quotidianis abſtinentiis, ciliciis, repetitis flagellis excrucians, in ſervitutem redigebat; ſed quò magis anguſtiabantur vaſa carnis, eò plus dilatabantur ſpatia charitatis. Otii infenſiſſimus erat hoſtis, ſolitudinis amantiſſimus, tunc in ſe ipſum magìs ſecedens, cùm eſſe cogeretur in turba, quam innocentiſſimâ, & jucundâ converſatione piè recreabat, æternæ ſalutis ſubſidia erogans iis, à quibus pro Fratribus eleemoſynas colligebat. Ex tot ergo virtutibus poſt ejus obitum adeò ſanctitatis ejus fama, & populorum devotio percrebruit, ut etiam ante Beatificationem à Summis Pontificibus, vel illi cultus exhibitus fuerit, vel permiſſus, non obſtantibus in contrarium Pontificiis decretis. Supereſt igitur, Beatissime Pater, ut Virum hunc eximiis virtutibus, & miraculis

lis insignitum, quem Urbanus VIII. Beati titulo condecoravit, in Sanctorum numerum referas, ut quemadmodum vivens in Terris Sancto Philippo Nerio conjunctissimus fuit, sic in Cœlis inter Sanctorum Choros cum eo consociatus, in multitudine Electorum habeat laudem, & inter Benedictos benedictionem.

PHILIPPUS Anastasius Archiepiscopus Surrentinus Assistens.

BEATISSIME PATER: Verè postremis hisce seculis, *sapientiam Sapientium perdere, & Prudentium prudentiam reprobare* visus est Deus, quòd Beatum Felicem à Cantalicio Virum humilem, & obscurum ad eximiam gratiam, & Christianarum virtutum fastigium prædestinaverit, atque evexerit. Is enim uni Jesu Christo studens, *qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio*, tranquillam sibi vitam, pretiosam mortem, æternam felicitatem, gloriam apud homines miraculis, apud Deum Mundi despicientiâ comparavit: & manifestissimæ insaniæ eos redarguit, qui inanes scientias, & fluxa bona affectantes, vanis, ac fallacibus studiis tempus, & operam conterunt. Itaque tam præclarum absconditæ sapientiæ exemplar turbulentissimis nostris temporibus à Divina providentia excitatum, Sanctorum laudibus, & honoribus ab universa Ecclesia, te jubente, SANCTISSIME PATER, meritò efferendum esse crediderim.

NICOLAUS Caracciolus Archiepiscopus Capuanus Assistens.

BEATISSIME PATER: Humilium est exaltator Deus: maximè igitur decet, ut Beatitudo Vestra, quæ Jesu Christi Domini Nostri vices in Terris gerit, eos potissimùm cœlestibus honoribus augeat, qui dum viverent, insigniori humilitatis laude claruerunt. Censeo igitur Beatum Felicem Laicum è Religiosa Capuccinorum Familia in Sanctorum Album esse referendum, ut Sancta hæc Civitas, & Sanctorum Parens, quæ profundissimam hujus Viri animi demissionem, & religiosissimam simplicitatem, cæterasque ejus virtutes longo quadraginta annorum decursu admirata est, nunc demùm ejus Cœlestem gloriam suscipiat: pretiosa suffragia abundantiùs experiatur: & in Dei Omnipotentis laudes erumpat, qui de humili elevat pauperem, ut Solium gloriæ teneat.

FERDINANDUS Nuptius Archiepiscopus Nicænus Assistens.

BEATISSIME PATER: Tot, & tanta heroicæ pietatis, pœnitentiæ, & omnium virtutum charismata sub ipso Summorum Pontificum, & universæ hujus Urbis aspectu Beatum Felicem dilectum Deo, & hominibus glorificaverunt, ut Sanctitatis Vestræ animum nihil diutiùs remorari debeat, quò minùs eumdem in Sanctorum Album referat. Siquidem sive in Cœnobitis Claustris, sive in Urbis frequentia Felicem consideremus, Virum secundùm legem, & præordinatum à Deo undequaque agnoscimus, qui præcepta Patris sui Francisci in asperrimo Sacri Ordinis Instituto fideliter obeundo, non tantùm implevit, sed in Cruce Domini semper gloriari gestiens, etiam alia plurima sibi ultrò superimposuit, precibus, jejuniis, vigiliis, & cruciatibus omnia membra in servitutem redigendo.

Quamvis autem Viri hujus perfectissimi vita omnis prodigium fuerit, geminum tamen illud singulari admiratione dignum est: Primum, quo hic verus Israelita agresti loco natus, & hujus Mundi scientiæ omnino rudis, cor adeò sapiens obtinuit à Domino, ut mortalium cogitationes noverit, & coram omnibus, ipsisque etiam Principibus, circumiens Civitatem in modestia, & simplicitate, exemplo, & verbo loqueretur sapientiam, de gravissimo æternæ salutis negotio sermonem habens cum uberi etiam Animarum profectu.

Alterum B. Felicis prodigium est quod, per quadraginta, & ampliùs annos copiosis eleemosynis ipsi uni Urbem quotidie circumeunti erogatis, tanta de consuetis cibariis numerosæ Familiæ suorum Fratrum portio superesset, ut illâ Familias integras, Superioribus annuentibus, Vir piissimus aleret, interim ipse absynthio pœnitentiæ, & pane lacrymarum sustentari solitus.

Hæc, BEATISSIME PATER, communem rerum modum adeò supergressa mihi videntur, ut Beatum Felicem aliis etiam prodigiis, & miraculis post obitum illustrem publicis Aris imponendum esse censeam, quo simul dives, & pauper ad tantarum virtutum imitationem inflammentur; pauper quidem spem suam in Deo ponens; dives verò, ut opes suas in cœlestes thesauros transferendas egenis impertiatur.

Demum palàm est, Servum Dei cum Sancto Philippo Nerio, dum in humanis age-

agebant, innocentiâ, & humilitate certasse, ipsumque etiam unâ Fidelium voce Sancti præconio honestari meruisse, quodam velluti vaticinio supremi hujus honoris, quo Vir Beatus Sanctitatis Vestræ ore celebrari debuerat.

PETRUS Corradinus Archiepiscopus Athenarum Assistens.

BEATISSIME PATER: Arabat Felix in agro, cùm Boves funibus casu implicitos quantocitiùs absolvere volens, ab iisdem actis in fugam humi supinus sternitur, atque per ejus ventrem, & faciem aratrum cum vomere violenter raptatur, divinitùs tamen ereptus, atque incolumis servatus, actis humillimè Deo gratiis, plena spiritus libertate cœlestibus inhærens Seraphicum Institutum amplexus est. Cecidit, ut erigeretur; raptatus est, & sic humiliatus, ut extollatur: Planè Divinam visionem Danieli oblatam contemplari hinc liceat: *Audivi* (Propheta ait) *vocem verborum ejus, & audiens jacebam consternatus super faciem meam, vultusque meus hærebat terræ, & ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & dixit ad me: Daniel, Vir desideriorum, intellige verba, quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo; cùmque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens, & ait ad me: Noli metuere*: Consternatus jacuit Felix Vir in seculo desideriorum, meditabatur namque Divini Amoris flammâ succensus, & terrena fastidiens, Cœlestia sequi: Hærebat, differebat, & præ angustia gemebat. Prostratus est, terræque hæsit, & ecce manus Domini tetigit illum, erexitque eum, ut verba, quæ Deus loquebatur, & ordinem sui profectus intelligeret. Adstitit tremens Dominicâ internâ voce erectus, cogitans à terrenis desideriis perfectè sublevari, plusque timuit, quia plus tunc cognovit se contempsisse vocem desideriorum suorum. Vidimus Felicem prostratum, & dein erectum; videamus nunc eum in Seraphica Religione stantem in gradu suo, & sic de virtute in virtutem ambulantem, & Deum in gradibus suis dignoscentem, & per quosdam velut ascensionis gradus ad altissimum perfectionis meritum pervenientem. Primo mane aspectus ejus fuit quasi carbonum ignis ardentium; simplex nempè, innocens, & occultus, ut vix ejus vita ab aliis agnosci posset: extuabat flamma ignis Divini, nec ignis apparebat: macerabat carnem jejuniis, cilicio, & panem mortificationis edebat, mentemque contemplatione Cœlestium accendebat, flamma tamen latitabat in carbonibus; Vespere autem aspectus ejus fuit Lampadarum; quippè qui spiritu prophetiæ, verbo doctrinæ, & miraculorum gratiâ pollebat, unde ejus opinio longè, latèque ut Lampas præfulsit, & lumen ex se veritatis multis ostendit, universamque Ecclesiam replens, in Electorum cordibus flammam Divini Amoris projecit. Stetit in gradu suo, & per singulos gradus pronunciabat Deum. Quandoquidem, dum ostiatim victum pro Fratribus emendicaret, & sic quotidie cum Hominibus, & Mulieribus frequens esset, cùm potuisset facilè transgredi, non est transgressus, immò exempla virtutum auxit. Stetit in gradu suo humilitatis, & castimoniæ rigidissimus Custos, adeòque innocens, & submissus, ut prodigium factus sit multis, quia & ipsi Sancto Philippo Nerio, qui spiritum Felicis multifariam probasse narratur; Quo factum est eò Felicem apud Deum altiùs virtutum dignitate profecisse, quò ille subtiliùs indignum se esse foris demonstravit; Stetit, inquam, in gradu suo habens, ut Divi Gregorii Magni verbis utar, fidem in porta, quæ introducit ad intelligentiam, charitatem in atrio, quæ mentem dilatat in Amorem, spem in loco, dum per desideria, atque suspiria animum ad secreta gaudia quietis elevabat, patientiam in penetrali, quia ipsum amabat, quem portabat. Hunc igitur Beatum Virum, quem Roma humilem excepit, Curia Sanctum cum mortalibus agentem evulgavit, Sanctissimi Viri, præsertim Sanctus Philippus, tunc Romæ viventes ad perfectionis apicem pervenisse testati sunt, Deus prostratum erexit, & humiliatum extulit, fecitque in vita, & post obitum prælucere miraculis, non dubito, quin possit, si Sanctitati Vestræ placuerit, Sanctorum fastis adscribi.

DOMINICUS De Zaulis Archiepiscopus Theodosiæ Assistens.

BEATISSIME PATER: Respexit Dominus humilitatem Servi sui Beati Felicis, & fecit illi magna, qui potens est extollere de pulvere egenum, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Vir iste fuit ab infantia simplex, rectus, ac timens Deum: pepigit fœdus cum oculis suis, ut nè cogitaret quidem de Virgine: Literarum rudis scientiam Sanctorum hausit de fontibus Salvatoris, quem de Cruce pendentem in Magistrum elegit, & exemplar: Scilicet ab eo didicit mitem esse, & humilem corde; ca-

ſtigare corpus ſuum, ac in ſervitutem redigere: per patientiam currere ad propoſitum ſibi certamen in jejuniis, in laboribus, in vigiliis, in ſuavitate, in charitate non fictâ: denique Mundi confuſionem contemnere, ut mereretur coronam immarceſcibilem, & immortalem. Hanc fideli Servo Dominum reddidiſſe teſtantur mirabilia, ipſo intercedente, patrata; Unum ſupereſt, ut Sanctitas Veſtra Apoſtolico confirmet oraculo, definiens Beatum Felicem ab univerſa Catholica Eccleſia colendum.

ALEXANDER Bonaventura Archiepiſcopus Nazianzenus Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER: Beatus Felix Vir ſimplex, rectus, ac timens Deum, in carne poſitus menſuram carnis egreſſus, pepigit fœdus cum oculis ſuis, ut nè quidem de Virgine cogitaret. Caſtitatis pollebat vigore, quia abſtinentiæ gloriabatur anguſtiis, menſque ejus Cœleſti ſemper deſiderio fulgebat: Totus ille Deo, totus illi Deus. Similitudo Chriſti Franciſcus; ſignaculum Franciſci Felix, qui Seraphici Parentis æmulatus eſt chariſmata meliora. Cùm unus igitur ſpiritus, & una fides fuerit in eis, unus quoque, BEATISSIME PATER, ſit eorum cultus, nec impar veneratio, ſi Sanctitati Veſtræ placuerit; Et qui Philippo Nerio ſitienti potum tribuit ad ſolatium in Terris, nobis è Cœlis aquas torrentis æterni propinet ad ſalutem.

SINIBALDUS De Auria Archiepiſcopus Patracenſis Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER: Angelicæ ſuæ integritatis, & in omni virtutum genere præſtantiæ Beatus Felix locupletiſſimum teſtem habet Sanctum Philippum Nerium, cum quo excellentium ſimilitudo morum, & voluntatum, conſiliorumque ad Chriſtianam perfectionem conſenſio arctiſſimâ illum junxerat amicitiâ; Sed & publica heroicæ humilitatis, contemptuſque humanæ exiſtimationis experimenta, mutuo pii amoris certamine, in Philippo, & Felice hæc Civitas admirata fuit, communi utrique repenſâ eximiæ ſanctitatis prædicatione. Hæc itaque cùm ita ſe habeant, & certiſſimis monumentis uberrimè jam fuerint comprobata, reliquum eſt, ut Beato Felici virtutum, & miraculorum gloriâ cumulatiſſimo Sanctorum honores à Sanctitate Veſtra decernantur.

Fr. JOANNES FRANCISCUS De Nicolais Archiepiſcopus Myrenſis Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER: Dominus Deus Noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in Cœlo, & in Terra, ſuſcitavit à terra inopem, nempe Beatum Felicem à Cantalicio, ut eum collocaret cum Principibus populi ſui: Etenim hujus Beati vita, virtutes, miracula debito jam examine approbata, non ſolùm ſufficiunt ad illum ter, quaterque veraciter felicem appellandum, ſed etiam ad ipſum maximè dignum oſtendendum, qui à Sanctitate Veſtra univerſo Orbi, uti verè Sanctus, colendus, & imitàndus ſolenni Canonizationis ritu proponatur, & infallibiliter declaretur. Illud præſertim probatum habetur, Beatum Felicem Sanctiſſimi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, ad quem in numero Converſorum admiſſus fuit, integrè, inviolabiliterque Inſtituta ſervaſſe, votaque ſolennia, quæ voverat, fideliter, perfectèque Domino reddidiſſe; Crucis mortificationem, tanquam verum Seraphici Franciſci filium, & Crucifixi Jeſu ſectatorem eximium, jugiter, hilariterque in ſuo corpore pro Dei amore, & honore portaſſe; Spreviſſe mundum, ſpreviſſe ſeipſum, ſpreviſſe ſe ſperni; Charitatem, humilitatem, cæteraſque virtutes in gradu heroico poſſediſſe, & in earum ſublimi exercitio uſque ad ultimum ſui Incolatus terminum perſeveraſſe, ejuſque mirabilem ſanctitatem miraculis, & ſignis plurimis à Deo comprobatam fuiſſe. Quâpropter dignum cenſeo, inſtanterque rogo, Sanctitatem Veſtram, ut hunc Beatum Felicem in Terris aliquando pauperem, & humilem, in Cœlis modò divitem, ac regnantem, Sanctorum faſtis adſcribere, & univerſæ Eccleſiæ ſua infallibili auctoritate, tamquam verè Sanctum, veræque ſanctitatis normam, imitandum, & colendum proponere dignetur ad majorem Dei gloriam, totius Seraphici Ordinis, ſignanterque Religioſorum Capuccinorum decorem, communemque Fidelium utilitatem, ac fœlicitatem.

PHILIPPUS MICHAEL Ellis Epiſcopus Signinus Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER: Quod ſtultum eſt Deo ſapientius eſſe Hominibus, nunquam luculentiùs, quàm in vita Beati Felicis à Cantalicio innotuit. Ejus inſipientia Sapientes erudivit, inſipientes ſimplicitas; Ut ſemper eſſet apud Deum, ut Jumentum factus

eſt

est apud Homines. Dum se non tantummodò similem, verùm ipsis & Animal dici, & credi voluit, Angelis simillimus factus, & creditus est. Cum seculo quotidie tractans, quadraginta annis functus officio quærendi eleemosynas, seculum prorsus ignoravit: In hoc quidem plerisque Sanctis illustrior, qui sibi virtutes ex fuga seculi compararunt. Panem quotidianum dum Fratribus quæreret, sibi supersubstantialem invenit. Vir ditissimæ paupertatis, sui persecutor indefessus, aliorum perpetuus consolator, literas ignorans humanas, sed divinas inter paucos egregiè instructus, atque (ut ait de Divo Benedicto Patriarcha meo adhuc puero, se Mundo abdicante Gregorius ille Magnus) scienter nescivit, & sapienter indoctus, effectus est Urbis deliciæ, & Orbis stupor. Cœli in Terris Civis, Angelorum Sodalis, ipsius Christi Infantis Gerulus, & Paranymphus, virtutibus omnibus etiam in gradu heroico locupletatus, miraculis quamplurimis, & quorum nonnullo etiam à me recognito, & probato fulgens, meritis, quàm annis gravior, apud omnes mortales sui desiderium reliquit, cùm ad immortales transiret; cui apud utrosque nil deest, nisi ut utrisque, illis quidem devotionis, & præsidii, his autem gaudii accidentalis augmentum conferre dignetur Sanctitas Vestra, inter Sanctos viventi Sanctorum honores decernendo, quod, ut præstare dignetur, non solùm censeo, verùm etiam humillimè, & suppliciter exoro.

ANTONIUS Fonseca Episcopus Tiburtinus Assistens.

BEATISSIME PATER: Nullis humanæ doctrinæ præsidiis instructus Beatus Felix à Cantalicio Romæ scholam omnium virtutum, & Christianæ inprimis demissionis aperuit. Ad annos quadraginta magisterium perduxit auspiciis Euangelicæ simplicitatis. Cibaria pro sui Ordinis Religiosis quæritans ostiatim sic egit in Urbe, ut Roma illi Cœnobium fuerit, sic repetere Cœnobium solitus, ut ex urbano convictu nihil illuc præter seculi contemptum inferret. Stipem erogantibus pretiosiores reddebat thesauros, monita salutaria, exempla sanctè vivendi, Cœlestium donorum charismata. Ex iis, quæ in dies congesta deferebat ad socios, vix levissimam ipse particulam delibabat. Verè bonus Christi odor, quem nimirum alii gestant, alii sentiunt. Sancti Philippi Nerii veræ virtutis optimi æstimatoris amicissimus fuit. Qui se usque adeò in conspectu hominum humiliavit, æquum est, à Te, BEATISSIME PATER, inter Sanctos exaltari.

SEBASTIANUS POMPILIUS Bonaventura Episcopus Montisfalisci, & Corneti, Assistens.

BEATISSIME PATER: Infirma, & abjecta eligit Deus, ut fortia confundat. Familia Felicis, quæ humilitate illius crescere novit, pusillam, & minimam se dicit in Tribu sua; minor adhuc esse voluit Felix in domo Patris sui Divini, & humilem, & pauperem spiritum suscepit gloriosè, eo præ cæteris nomine, quod elegit abjectus esse in domo Dei. Vitæ asperitas, virginitas illibata, summa charitas, nuda paupertas faciunt, ut tutò adscribi possit numero Sanctorum, in quo benè probatis argumentis certissimè constat eum inveniri. Divini muneris nedùm Symbolum, sed etiam Instrumentum est oleum, quod ad illius Aram ardet in nutrimentum ignis: Oleum profectò letitiæ, quod non semel posuit fortitudinem lugentibus in Sion, & depulsâ morborum tristitiâ multorum facies exhilaravit. Habet à nobis unanime de sua sanctitate suffragium, qui jam olim à Sancto habuit omni exceptione majus testimonium: arcta consuetudo, quæ illi cum Divo Nerio intercessit, arguit similes mores. In Cœlo igitur sociatos manifestet Petrus ore CLEMENTIS, quos in Terris copulavit charitas, quæ est vinculum perfectionis.

Fr. PETRUS LAMBERTUS Le Drou Episcopus Porphyriensis Assistens.

BEATISSIME PATER: *Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis*, inquit humilitatis exemplar Sanctus Augustinus. Fecit hoc fundamentum in humili Patrum Capuccinorum Religione Beatus Felix à Cantalicio, cui excelsam virtutum molem quadraginta quatuor annorum spatio superædificaret: Inde factum, ut qui sibi erat minimus, virtutum heroicarum laude evaserit maximus, & ferventissimâ in Deum, & proximum charitate, inviolabili Institutorum Ordinis observantia, assiduo orandi studio, singulari morum, & inprimis pudicitiæ integritate, vixque imitanda carnis suæ crucifixione eò altius surrexerit Christianæ ejus perfectionis ædificium, quò altius jecerat humilitatis fundamentum. Pergit idem Augustinus: *Sed quod est fastigium construendæ*

fabricæ, quam molimur? quò perventurum est cacumen ædifitii? citò dico, inquit, *usque ad conspectum Dei*. Nec istud abs re. Ut enim Divino declaratum est oraculo, complacuit Patri Cœlesti dare pusillo gregi Regnum suum. Pervenit igitur usque ad conspectum Dei Beatus Felix, æternæ felicitatis coronâ ibi major, quo sancta humilitate fuit hic parvulis similior. Nam, ut asserit Christus apud Matthæum, *quicumque humiliaverit se sicut parvulus, hic est major in Regno Cœlorum*. Porrò, ut Beatus Felix suo quoque in Ecclesia militante non destituatur præmio, æquissimum est, BEATISSIME PATER, ut suprema Beatitudinis Vestræ authoritate adscribatur Sanctorum fastis, eique decernantur honores, quos Beatis Cœlestibus exhibere consuevimus.

LAURENTIUS Gherardus Episcopus Lauretanus, & Recanatensis, Assistens.

BEATISSIME PATER: Moysem describens Spiritus Sanctus paucis verbis elogium grande comprehendit. Inquit: *Dilectus Deo, & hominibus Moyses*; Quæ verba nisi jam prius de Moyse Scriptura dixisset, nunc primùm dici de Felice jure optimo possent. Privatis ille virtutibus amorem sibi meruit Dei, qui, cùm hominum corda scrutetur, falli non potest amando: publicis verò virtutum exemplis, & morum suavitate hominum sibi conciliavit dilectionem, qui raro inter se, cùm ament, non possunt, nisi in optimum, communi benevolentiæ consensione conspirare; & quod Paulo non contigit, ut Servus Dei esset, & hominibus placeret, dilectus Deo, & hominibus Felix obtinuit. At quibus hominibus? in qua Urbe placuit? Romæ placuit; illi nimirum Urbi, cujus judicium limatissimum, cujus censura severissima. Hoc unicè deest, BEATISSIME PATER, ut carum hominibus Felicem, cariorem Deo, Sanctitas Vestra, toti Ecclesiæ faciat Canonizationis honore carissimum.

VINCENTIUS de Aptis Episcopus Urbevetanus Assistens.

BEATISSIME PATER: Dominus in Felice à Cantalicio claustralem Laicum eligendo, infirma, ignobilia, ac contemptibilia seculi hujus elegit, & delicias suas cum filiis hominum esse demonstravit, illum comprehensoribus penè æquando beatissimâ Jesu sub pueri specie præsentiâ.

Venerunt illicò pariter omnium virtutum bona cum illo, quibus, sicuti censeo sibi Felicem comparasse immensâ Dei gratiâ æternum gloriæ pondus in Cœlis, sic & in Terris insignem sanctitatis titulum suprema tui Apostolatus auctoritate promeruisse censerem.

FABRITIUS Pignatelli Episcopus Lyciensis Assistens.

BEATISSIME PATER: Templum toto terrarum Orbe celeberrimum, usque modo Majestate tam splendida nunquam exornatum, post unum, & alterum, Pium, & Andream, pulvinaribus consecrandos, tertius ingrediatur, seseque præbeat celebrandum Felix à Cantalicio; & vel in hoc uno altissima Dei judicia dignoscantur, qui infirma Mundi eligit, ut fortia quæque confundat. Felix in Oppidulo Regni Neapolitani in lucem editus, sive inter sylvas adolescens, sive juvenis in villulis, agrorum culturæ ex Patris opificio addictus, veræ virtutis mirificum exhibuit exemplar. Asperrimum Capuccinorum Institutum trigesimo ætatis anno amplectens, abstinentia admirabili, admirabili charitate, & admirabili obedientia semper enituit. Vir planè rudis, Fratribus quamplurimis, ope Divina quotidie enutriendis, constitutus, victum in Urbe Roma ostiatim quæritabat, quod munus quadraginta annis insigni patientia exolvit, atque ea prorsus jucunditate, & morum candore, ac præstantia, ut Philippum Nerium suavitate, & hilaritate comitem habuerit, ipsumque per Urbem piè, sanctèque cogeret simul insanire; Sic enim, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii, hi computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Hâc in Urbe Urbium Regina, & veræ Religionis sanctissimâ Sede, incolæ ipsi Felicem etiam in humanis agentem virtute penè Divinâ conspicuum semper suspexere, ipsique Romani ejus abstinentiam ab omni prorsus alimento integris diebus admirati sunt, atque ejus obitum integræ Patritiorum familiæ proprio Felicis ore prænuntiatum testatæ sunt. Quorum singula, ut illum Sanctorum coronâ redimitum fidelibus populis adorandum proponas, Sanctissime CLEMENS, satis esse planè sentirem; & quem Roma ipsa habuit multis lustris pro se deprecantem in Terris, habeat apud Deum per secula interpretem in Cœlis.

CARO-

CAROLUS Maigrot Episcopus Cononensis Assistens.

BEATISSIME PATER: Magnum excellentiæ Christianæ specimen in Beato Felice proponitur, cujus gloria, & unicum decus est à Christo didicisse mitem esse, & humilem corde. Nulla seculi, aut Ecclesiæ dignitate felix iste Christi Discipulus commendatur: Non est eruditione, aut eloquentia celebris; sed candore animi, beata simplicitate, paupertate rigida, & vita in Christo abscondita conspicuus est, & eo dignus nomine, quem, in qua latuit sacra Familia, ubi tot pietate insignes Viri floruerunt, Deus elegerit, ut aliis esset norma sanctitatis: & Beatum quidem hunc Virum summis ab Apostolica Sede honoribus decorari vix Ecclesiæ quicquam utilius esse putem, & honorificentius; Sic enim omnes intelligent, suos Religionem Christianam Heroes, non laude, sapientia, aut rerum gestarum magnitudine, & splendore metiri, sed humilitate cordis, mundi contemptu, perfecta sui abnegatione: Qui verò in alto positi sunt, docebuntur æmulari meliora charismata; seque, tametsi linguis hominum loquantur, & Angelorum, & noverint mysteria omnia, & omnem scientiam, ut minimos reputandos esse in Regno Cœlorum, nisi efficiantur, sicut parvulus iste: parvulus coram hominibus, sed magnus coram Domino, literarum rudis, & super senes intelligens, quia mandata Dei meditatio illius: pauper, & in rerum omnium Domino omnia possidens; & omnis lingua confitebitur Domino, qui mirabilis in Sanctis suis pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat, & de pulvere suscitat egenum, ut sedeat cum Principibus, & Solium gloriæ teneat.

BERNARDUS MARIA de Comitibus Episcopus Terracinensis Assistens.

BEATISSIME PATER: Præclara Beati Felicis gesta in tabulis publicis relata, in Sacrorum Rituum Congregatione examinata, & fideli compendio ad nos transmissa unâ cum multiplici miraculorum serie, quæ Deus hujus Beati intercessione operari dignatus est, in eam me adducunt sententiam, ut absque ulla censeam hæsitatione illum in Sanctorum Confessorum non Pontificum Album esse referendum. Erit ille exemplo pœnitentibus; erit ille exemplo Viris simplicibus, & Deum timentibus; erit ille tandem exemplo Fratribus Minoribus, quos dicimus Capuccinos. Quisque denique deprehendere poterit, non esse abbreviatam manum Domini, cùm nostris ferè temporibus mediâ hâc in Urbe viderimus hominem austeros Eremitarum antiquorum mores inter Cœnobitas sanctissimè renovantem.

PROSPER Marefuscus Episcopus Cyrenensis Assistens.

BEATISSIME PATER: Proponit Sanctitas Vestra in Canonizatione Beati Felicis cunctis Fidelium cordibus pervium ad Cœlum iter; Proponit hominem literarum rudem per Divinas semitas Euangelicâ simplicitate feliciter incedentem, non alta sapientem, sed humiliter sentientem, & inter Proximos comitate in Cœlis conversantem, castitatem asperitate vitæ, & rigidâ oculorum custodiâ servare doctum: alimenta Fratrum ex Superiorum obedientiâ ostiatim quæritantem, ita tamen, ut non quæreret, quæ sua essent, sed quæ Jesu Christi: immaculatæ Deiparæ, Supernorumque Spirituum aspectu dignatum, Cœlestis Sponsi gratiâ extremum suæ vitæ diem præsagientem, ornatum signis, miraculis illustratum. Hæc igitur præclarissima Canonizatio, BEATISSIME PATER, franget superbas mentes, & aperto Divinæ dispensationis Sacramento erudiet, non illum perfectiùs intueri Divinam Majestatem, cui intellectus à natura sublimior, sed cui perfectius Dei lumen effulget; lætificabit humiles Animas, ut non ad altiora elatæ, sua sint vocatione contentæ; & universo innuet Catholico Orbi, Ecclesiam Dei, quæ est Corpus Christi, multimoda esse varietate contextam, ut in unum decorem etiam imparia concurrant, & de omni genere hominum, de omni gradu officiorum, de omni mensura operum, de omni qualitate virtutum fiat totius ædificationis inseparabilis connexio, & indifferens pulchritudo.

Ես Մատթէոս կաթուղիկոս որդի սանուկպալի Պետրոս կոստանդինուպօլսոյ .

Նէր Պատրիարգն մեր Ֆրանչիսկոսն էրօրինակ շնորհաց խոնարհութեան կարգն քափուչինոցն և հիմն այս ինքն շնորհքն դնանէլի որ Տէմարիտէ. երանէլի հայր որ առաջինն այս կարգէն որ դնէն իւր այլոց որէ երանէլին Ֆէլիչն որէր որդի պօրուէ դաւանօղ խոնարհուէ աւելորդով որ ի միասին իյսատիձան բարձրացեալ . որոր մուի

մուծի առածծ կառըցնկերս եւ խնձը հոգւոյ ընդ արձակութի. Ես. ամ յորժամ ապրե-ցաւ ունէր լաւ հաստատ համարութեն սր-բութե:

MATTHÆUS Sanuchbalì Patriarcha Constantinoplitanus Nationis Armenæ.

BEATISSIME PATER: Profundissimam humilitatem, quam Divus Franciscus, velut suæ Familiæ fundamentum, Capuccinis mandavit exercendam, & mandatam præ omnibus exercuit, tanta sui dejectione professus est Beatus Felix, ut rationi consentaneum videatur, BEATISSIME PATER, eumdem filiorum Francisci inter Capuccinos primum sacris Altaribus imponi, qui supra cæteros tanti Patris virtutes eximiè coluit, & exæquavit. Humilitati comitem habuit charitatem, quæ erga Deum, & homines tanta fuit, ut media in Urbe, quotidianam inter populorum frequentiam, quadraginta annorum spatio, dilectum Deo, & hominibus se præbuerit: dignum propterea, ut ejus memoria in benedictione sit.

Ὀνούφριος Κωνσταντῖνος Μητροπολίτης Δεβρῶν, καὶ Ἔξαρχος Δευτέρας Μακεδονίας.

Ὁ μακάριος Φέλιξ (μακαριώτατε Πάτερ) ἐν μέσῳ τῆς πολιτείας τῶν ῥωμαίων ἐφάνη ἀσκητὴς δοκιμώτατος, ὃς εἰ καὶ τὰ γενέθλια, καὶ τὴν τύχην ἰδιώτης, καὶ εὐτελὴς τυγχάνων, τὴν ἀρετὴν ὅμως, καὶ θεοσέβειαν, καὶ ἁγιωσύνην μέγα κλέος καὶ μέγιστος ἥρως· προσέτι τῇ νηστείᾳ, τῇ ἀγρυπνίᾳ, καὶ τῇ προσευχῇ αὐτομοίως περιβόητος ἦν, λαμβάνων οὐράνια χαρίσματα, καὶ ἔνθεον δόξαν, καὶ ταπεινοφροσύνην ἀσύγκριτον· ὅθεν οἴομαι (εἰ τῇ σῇ μακαριότητι δοκεῖ) τοῦτον τὸν μακάριον τῷ ἀπείρῳ πλήθει τῶν ἁγίων ἀσφαλῶς προστεθῆναι.

ONUPHRIUS CONSTANTINUS Debrarum Metropolita, & Inferioris Macedoniæ Exarchus.

BEATISSIME PATER: Beatus Felix in media Civitate Romanorum visus est Asceta probatissimus, qui, etsi nativitate, & fortuna idiota tenuis erat, at virtute, religione erga Deum, & sanctimoniæ splendoribus maximus Heros erat, jejuniis, vigiliis, & oratione similiter celebratus, recipiens cœlestia charismata, & cœlestem gloriam propter suam incomparabilem humilitatem. Unde puto (si Sanctitati Vestræ videtur) hunc Beatum in innumero Sanctorum cætu securè posse reponi.

ܒܣܝܠܝܘܣ ܐܝܣܚܩ ܡܛܪܢܐ
ܕܢܝܢܘܐ . ܡ .

ܡܟܝܟܐ ܗܘܐ ܡܢܗ ܘܡܫܬܡܥܢܐ ܗܘܐ ܦܫܝܛܐ ܘܕܟܝܐ ܒܚܝܐ ܡܫܒܚܐ ܕܒܝܬ ܢܨܝܚܐ ܒܚܘܒܐ ܕܐܚܐ . ܠܗܢܐ ܠܛܘܒܢܐ ܦܠܝܟܣ ܡܢ ܦܠܚܘܬܐ ܕܚܩܠܐ ܐܝܟ ܦܛܪܘܣ ܡܢ ܝܡܐ ܘܦܘܠܘܣ ܡܢ ܐܘܪܚܐ . ܓܒܝܗܝ ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ . ܡܢ ܡܟܝܟܘܬܐ ܠܫܘܒܚܐ ܐܪܝܡܗ ܡܪܝܐ ܠܡܣܟܢܐ . ܘܗܟܢܐ ܐܥܠܝܗ ܕܐܦ ܪܫܐ ܟܘܡܪܐ ܣܓܕܘ ܠܡܫܪܝܬܗ ܘܬܐܓܝܗܘܢ ܣܡܘ ܥܠ ܩܒܪܗ ܘܛܘܒܢܐ ܐܟܪܙܘܗܝ . ܟܕ ܚܝ ܗܘܐ ܚܙܐ ܠܡܪܝܡ ܘܠܡܠܐܟܐ ܘܠܩܕܝܫܐ . ܘܫܥܬܐ ܕܡܦܩܢܗ ܐܣܬܟܠ . ܒܬܪ ܕܐܙܠ ܠܘܬ ܡܪܗ ܬܕܡܪܬܐ ܣܓܝܐܐ ܣܥܪ . ܡܛܠ ܗܢܐ ܒܝܬ ܩܕܝܫܐ ܠܡܬܡܢܝܘ ܫܦܝܪ ܚܙܐ ܐܢܐ ܐܢ ܫܦܪ ܩܕܡ ܛܘܒܢܘܬܟ . ܠܘܬ ܪܓܠܝ ܩܕܝܫܐ ܢܦܠܬ ܘܒܥܐ ܐܢܐ ܕܬܦܣ ܠܝ ܕܐܩܥܐ ܢܩܘܫ ܩܕܝܫܐ ܦܠܝܟܣ ܨܠܝ ܚܠܦܝܢ .

BASILIUS ISAAC Archiepiscopus Ninives.

BEATISSIME PATER: Humilis, & obediens, simplex, & purus, vitæ austeritate celebris, & Fratrum amore admirabilis fuit Beatus Felix. Eum à cultura agrorum, velut Petrum è mari, & Paulum è via, Spiritus Sanctus elegit. Ab humilitate ad gloriam Dominus pauperem erexit, adeòque exaltavit illum, ut Summi Pontifices ejus adoraverint habitaculum, & diademata sua super ejus sepulchrum posuerint, Beatumque declaraverint. Hic vivens præsentiam Virginis Mariæ, & Angelorum, & Sanctorum meruit videre, & exitus sui horam prænoscere; postquàm verò ad superos evolavit, multa patravit prodigia: Propterea inter Sanctos adnumerandum existimarem, si Beatitudini Vestræ placuerit. Ad Sanctos pedes cadens efflagito, BEATISSIME PATER, ut mihi permittas exclamare: *Sancte Felix ora pro nobis.*

[illegible]

GREGORIUS JOSUE Archiepiscopus Hierosolymitanus Nationis Syriacæ.

BEATISSIME PATER: Accuratum illud, ac severum, quod à Sacra Rituum Congregatione, Spiritu Sancto dirigente, adhiberi solet, examen, in iis præsertim rebus, quæ ad Viros in Album Sanctorum adscribendos pertinent, nemini dubitandi locum relinquit, quin ea omnia, quæ circa virtutes, ac miracula Beati Felicis ex Familia Capuccinorum enarrantur, sincera prorsus sint, atque omni fide digna; Ac proinde magnus ille Christi m les, re, & nomine felix talis fuit, qui vitæ sanctimoniâ, impiis, ac flagitiosis hominibus, probaverit: *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum*. Ob rarum hoc Euangelicæ perfectionis exemplar, & toti Seraphico Ordini suo, & universæ Ecclesiæ gratulor, Teque, PATER BEATISSIME, cum, ut in Sanctorum tabulas referre velis, rogo, obtestorque.

JOANNES De Lerma Archiepiscopus Sipontinus.

BEATISSIME PATER: Seraphici Spiritus asseclam Beatum Virum Felicem oculis mortalium despectum, & humilem, uberem fecit Dominus divitiis bonitatis suæ, quas non obtinuerunt abundantes in seculo. Tenuit enim manum dexteram ejus, deducensque per semitas justitiæ ad apicem charitatis, stravit ei prava blandientis ætatis in directa timoris sui, & aspera rigidioris Instituti mollivit in vias planas. Indè, reprobatis humanæ sapientiæ documentis, revelata sunt ei mirabilia de lege Domini, cujus sermocinatio cum simplicibus, flagrantique contemplationis studio concredita Altissimi eloquia, abscondita quidem à Sapientibus, & prudentibus seculi, quorum obscurati sunt oculi, nè videant, & aggravatæ aures, nè intelligant. Inter actuosæ quoque vitæ discrimina servatus animi candor, & compositi ad innocentiæ tutelam ingenui mores; alacre ad consummationem cursus ingenium; ardens omnigenæ virtutis desiderium, nec ætate remissum, nec laboribus intercœptum, admirationi fuerunt. Ea tandem, quæ hujus Mundi lucra censentur, & ipsas cogitationes victus, quæ spinæ sunt Fidei, convertens in obedientiæ emolumentum, cùm mendicitatis consortes Fratres aleret, majorem sibi quæstum retinuit pietatem. Hæc nimirum eximia virtutum, & supremæ sanctimoniæ monumenta, quæ Sanctum Philippum Nerium probatissimum animarum censorem ad Beati hujus amorem, & venerationem adegerunt, quæque jamdudum promeruerunt coronam justitiæ, ac mercedem laboris; quæ demum diuturno Sanctæ Sedis judicio perpensa sunt, congruum censeo, ut publico honestentur cultu, ut lapis, quem reprobaverunt ædificantes seculi, fiat Ecclesiæ Dei in caput anguli.

Հայոց Չորհացս Հնազանդ-աղուսեղծա_ուայ վեհափառին հռոմայ ՍՐԲՈ դրեդոր ՍՔՐԵպիսկոպոս եղեսիւոյ.

Սքյն է բուն նշան ուղղափառ եկեղե_ցւոյն. Թէ յամ ժամանակս և յամ տեղիս զոքս ուսն և զվարդապետս : յորքան ժա_մանակ արևելից երկիրն ս.Թողոյն հռո_մայ հնազանդ եկաց, ունէրնա և ս դբաղ_մութիւն յոյժ սրբոց և վարդապետաց : բայց յորմէ հետէ բաժանեցաւ ի միա_նոր_

նորդէն յին քէ, հեռացաւ եւս 'ի քէ, որ է ինքնին սրբութիւն, եւ անեղ իմաստութիւն. զուգեալս ունիլ միշտ ընդ միմեանս զգիտութիւն եւ զսրբութիւն, բունէ եւ յատուկ շնորհքն եկեղեցւոյն հռոմայ; ուստի անլուր բղխմամբքն եղանեն միշտ եւ անդադար 'ի նմանէ նորաբոյս սրբքն եւ վարդապետքն. Որք թէպէտ յաշխարհի մերում չեն ծնեալ սակայն հանդուցեալ են յերկինս, որ է հայրենի մեր հասարակ։ Երանելին Ֆելիքսէ ցորքան եկեաց իմայրաքաղաքիս յայսմիկ հռոմայ, ամենեցուն ամ ինչ եղեւ, յազագս որոյ խնդրեմ 'ի վեհանձնութենէ քումէ երանելի հայր. զի արասցես զնա համարիլ 'ի թիւս սրբոց, զամ ինչ ամենեցուն իբովանդակ աշխարհի, հուչակելով զնա պսակեալ թագաւորական փառօք յարքայութեան։

GREGORIUS Archiepiſcopus Edeſſæ Armenus.

BEATISSIME PATER: Nullus eſt in Terris locus, ex quo non pateat ad Cœlum via; nulla conditio, quæ Sanctos efficere non poſſit. Alii relictis Urbibus eremum coluere, ut animum à ſecularibus ad Cœleſtia colligerent; alii in Urbibus eremum experti ſunt, ut clauſi in Cellulis, non in Urbe, ſed in deſerto eſſe viderentur: Sed Beatus Felix, BEATISSIME PATER, ita eremum cum Urbe conjunxit, ut hominum familiaritas familiaritatem Dei non tolleret; ita Urbem cum eremo ſociavit, ut religioſam auſteritatem nunquam intermitteret: Omnibus proinde hominum conditionibus ſanctitatis ſpeculum in ipſo dabitur ſi à Sanctitate Veſtra in Sanctorum numerum Felix admittatur.

Ես յովակիմ արք եպիսկոպս էջմիածնայ այս վերոյ գրեալս կու հաստատեմ. այս իմ ձեռացս գիրսէ.

Երանելի սէ Ֆելիքսն որոյ եսդ զվարս իւրոյ առաքինութեն աշխարհի թէ ոփ կարողէն կենցաղավիլ սրբակացութբ իմէջ աշխարհիս. այս երանելի հայրս սէ Ֆելիքս էր մէկ նշանաւոր այր 'իմէջ հռոմայ. իւր սրբութեն որ քանէր կենդանի. եւ յետ մահուան իւրոյ. փառաւորեաց զինքն երանելին ԱԾութիւնն հրաշիւք եւ սքանչելեօք. այլ ոչ մնաց բան հարկաւոր բայց միայն քո երանելութեն. ոփ հին սովորութիւն է առնել զնշխարհս սրբոց եւ գրել 'ի վարս հարանց. Այլ եւ սորա զատա-

նեմք յիշատակն 'իմէջ սէ գրոց յեշեալ սէ զանուն սորա եւ դիր երկրպագելի. ամենայն ուղղափառաց.

JOACHIM Armeniæ Majoris Archiepiſcopus.

BEATISSIME PATER: Solitudinem media etiam in Urbe facilè adhibendam Beatus Felix ſui ipſius exemplo docuit, & monſtravit. Rarum quidem ſanctitatis genus. Virtutum famâ, quoad vixit, enituit; & poſt mortem miraculis præclarum nedum Roma ipſa, ſed finitimæ venerantur Civitates: Quibus omnibus ritè examinatis, id ſolùm reſtat, BEATISSIME PATER, ut eumdem in Sanctorum Confeſſorum non Pontificum Albo notari decernas.

Ես Յուրուն Անաստաս արհեպս կեսարիա պաղեստինոյ ձեռամբ իմով գրեցի.

Ոչէ' տեղի իմն 'իյերկրի. յորմէ ոչ կարիցէ ոք ձեմել 'ի յերկինս. եւ ոչ գտանի կացութի իմն. եւ հասակ որ ոչ կարիցէ շարագուգել զինքն ընդ սրբութե. Ոմանք հրաժարելով իքղէ. ընտրեցին զկեանս անապատականս եւ միայնարանս սակս ամենեւին պարապելոյ 'ի յերկնայինս. Այլք 'իքղէ 'ի կիրարկին զանապատականութին. կենցաղավարելով առանձնականութբ. 'ի սենեկի 'ի ւրեանց. Բայց երանեցեալն Ֆելիքսէ ՅԻ. երջանիկն այնպէս համագուգեաց զմիայնակեցութին ը քղէ. մինչ զի ընտանեկցուբ մարդկանց. ոչ կորոյս զընտանեկցութին այ. ոչ յարակայական սովորութբ թուլացոյց զկրօնաւորական խստութին. Երոցէ ուրեմն հայելի ամենեցուն կենաց. եթէ քո սրբութին հաճեցի կարգիցես իթիւ սրբոց.

ANASTASIUS Cæſareæ in Palæſtina Archiepiſcopus.

BEATISSIME PATER: Ea eſt Catholicæ Religionis teſſera, ut & multiplicitate Doctorum, & varietate Sanctorum ſemper, & ubique floreſcat. Dum Oriens paruit Occidenti, ſuos quoque ipſe edidit Doctores, ſuos habuit, eoſque excellentiſſimos Sanctos; At ubi ſeſe à Chriſti Vicario ſejunxit, à Chriſto quoque, qui vera Sapientia, & Sanctitas eſt, receſſit. Romanæ Eccleſiæ, in qua Chriſti Sedes, hæc ſervata fuit prærogativa, ut doctrinam cum ſanctitate conjunctam haberet. Novos proinde Doctores quoti-

quotidie parit, novos Sanctos quotidie enititur; Verùm, quos Terra nostra non edidit, communis Patria recepit. Omnibus omnia factus in Urbe Beatus Felix, dum viveret in Terris, fac, Beatissime Pater, ut omnibus omnia fiat in Orbe, dum regnare declaratur in Cœlis.

JOSEPH Crispinus Episcopus Amerinus.

Beatissime Pater: Beatus Felix à Cantalicio cogitans magnam virtutum fabricam erigere, fundamentum jecit humilitatis. Ordinem proinde Fratrum Minorum Capuccinorum, in quo humilitas cum paupertate triumphat, amplexus est, humillima, & abjecta officia exercens. Quòd, si Sancta Francisca Romana, quia propter humilitatem asellum lignis onustum per Urbem agebat, ab Ecclesia celebratur, non minùs celebrandus est Beatus Felix, qui, nulla resonante querimonia, quadraginta annis super humeros suos onustos portavit cibaria Fratribus suis. Respexit enim Dominus ex hoc humilitatem Servi sui, & propterea Beatum illum dicunt omnes generationes, & ut dicant Sanctum suadent hæroicæ virtutes ejus miraculis comprobatæ. Equidem fuit pauper, humilis, & pudicus, factus obediens usque ad mortem, & Apostoli imitator egregius ad domandum corpus suum, & in servitutem redigendum cilicio ferreo membra domabat. In multa patientia fuit, in suavitate, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, sæpè solo pane, & aquâ contentus, quotidianæ mentali orationi intentus in frigore, & nuditate. Quòd, si in resurrectione carnis, Corpus, quod Beatus Felix reliquit in Terra, erit cum anima gloriosum in Cœlo, æquum videtur, ut sicut ab Urbano VIII. fuit Beatus Felix insignitus nomine Beati, ita ex noviter deductis, & ritè probatis, à Sanctitate Vestra insigni nomine Sancti decoretur. Expectans expectavit, & expectat Beati Felicis Canonizationem Roma, ubi diu conversatus quamplurima sanctitatis suæ specimina dedit tamquam Romanus Civis effectus. Expectat Seraphicus Ordo de Ecclesia summopere benemeritus, & cum eo Turba magna Devotorum Seraphici Fundatoris. Expectat Catholicus Orbis habiturus præsertim in præsentibus necessitatibus novum hunc Intercessorem in Cœlis apud Deum. Expectant Cœlestes Cives, & præcipuè Divus Carolus Borromeus, & Sanctus Philippus Nerius, qui cum Beato Felice tres in personis, fuerunt cor unum, & anima una. Exaudire dignetur Sanctitas Vestra cumulata vota, & supplicum preces, ut omnes sentiant juvamen, quicumque Sancti Felicis Confessoris celebraverint commemorationem, & imploraverint auxilium.

ܝܘܣܦ ܟܪܝܣܦܝܢܘܣ ܡܣܟܢܐ ܘܐܦܣܩܘܦܐ
ܕܡܕܝܢܬܐ ܕܐܡܪܝܢ .

ܛܘܒܢܐ ܠܠܒܝܬܐ ܕܒܪ
ܒܪ̈ܘܢܐ ܡܫܝܢܐ ܐܢܛܘܢ:
ܐܬܒܪܝܢ ܠܗ
ܒܒܨܘܬܗܘܢ ܒܢܝ̈ܢܗ
ܕܡܬܠܒܒܢ ܒܫܡܒܐ
ܘܒܫܝܢܐ ܠܒܪܘܬܗܘܢ
ܐܬܪܘܚܝܢ ܠܗ
ܘܠܘܡܒܠ ܟܠܗܝܢ
ܫܘ̈ܡܠܝܢܝܐ
ܐܫܬܠܝܡ ܠܗ. ܐܝܟ ܐܢܒܝܐ
ܠܐܬ̈ܠܝܢܐ
ܕܫܘܠ ܐܢܒܝܢ ܫܡܠܝܢ
ܠܗ ܒܪ ܗܘ ܐܒܪܝܢܐ
ܕܗܘܐ ܐܒܘܗ ܘܒܪܨܗ
ܒܒܫܪ ܨܒܪ ܐܒ̈ܠܘܬܐ
ܕܬ̈ܠܒܗ ܘܡܨ̈ܝܢܐ ܐܝܟ
ܡ̈ܒܬܝܢܐ ܠܒܒ̈ܝܐ
ܦܘܡܢ ܠܗ ܫܡ̈ܠܝܢܐ
ܐܒ̈ܝܢܐ ܕܒܫܠܘܗ
ܒܗ ܫܠ̈ܘܬܐ ܐܫܢ̈ܘܢܝܐ
ܐܬܚܬܒܠܫ .
ܐܬܚܬܘܡܫܐ ܐܒܢܝܢܐ
ܕܫܠܘܬܐ

[illegible]

TIMOTHEUS Carnuch Episcopus Mardinensis Chaldæus.

BEATISSIME PATER: Felix Ecclesia, quam in calamitosissimis temporibus constitutam regnantes in Cœlo filii precibus sublevant, patrocinio fovent, & contra adversa omnia munitam reddunt. Quomodo enim portæ Inferi adversùs eam prævalere possunt, cujus portarum seras Dominus ipse ejusdem Pater,& caput confortavit,& quam Sancti, velut strenui milites, impugnando Tartareas virtutes, acriter propugnant? Crescit militum supernorum numerus, quoties novus Sanctus in Cœlestis militiæ Albo describitur. Opportuna sanè præsentibus nostris calamitatibus Canonizatio est, ut quæ propter peccantium reatus pœna infligitur, ea Sanctorum meritis tollatur. Has ob causas, & propter singulares Beati Felicis virtutes, & frequentia miracula, existimarem, BEATISSIME PATER, inter Sanctos eundem referri debere, ut novus miles Sanctorum militiæ adscribatur, & ut felicitas per Felicem cunctis Fidelibus affulgeat.

[illegible]

GEORGIUS Benjaminus Episcopus Edenensis.

BEATISSIME PATER: Virtutibus clarus, & miraculis Beatus Felix, videtur tandem in Sanctorum numerum solenniter referri debere, ut qui in hac totius Orbis Principe, & Matre Ecclesia mira edidit humilitatis, obedientiæ, integritatis, ac ferventissimæ devotionis exempla, ab eadem inter

inter Sanctos descriptus, omnibus, qui sub Cœlo sunt, Fidelibus ab Urbe ad universum Orbem invocandus transmittatur, & imitandus proponatur:

ܐܬܢܐܣܝܘܣ ܨܦܪ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܡܪܕܝܢ
ܣܘܪܝܝܐ ܡܫܝܚܝܐ .

ܐܘ ܐܒܐ ܩܕܝܫܐ ܬܕܡܪܬܗ ܕܛܘܒܢܐ ܦܠܝܟܣ ܐܝܟ ܡܐܡܪܐ : ܘܐܒܐ ܬܕܡܪ ܒܟܠܗ ܘܒܡܝܢܐ ܘܗܘܐ ܠܗ ܠܘܩܕܡܬܗ ܒܫܡܝܐ ܘܒܐܪܥܐ ܡܢ ܕܟܠ ܐܬܪܘ ܘܒܢܝ ܥܡܡܐ : ܘܡܛܠ ܗܢܐ ܠܐ ܙܕܩ ܠܐܝܟ ܕܢܬܟܠܐ ܒܩܕܝܫܘܬܗ . ܘܢܬܬܣܝܡ ܘܐܬܠܟܠܗ ܦܘܩܕܢܗ ܘܐܬܚܙܝ ܠܢܝܫܐ ܢܦܫ ܩܕܝܫܐ ܒܟܠ ܚܕ ܡܢ ܦܠܚܘܗܝ ܕܐܦ ܘܠܐ ܗܘܐ ܒܫܡܝܐ ܘܒܡܕܝܢܬܐ ܐܬܚܙܝ ܠܟܘܠܗܘܢ ܐܘ ܐܝܟ ܡܕܒܪܢܐ ܘܪܥܝܐ ܕܥܠܡܐ ܘܐܬܠܒܫ ܠܗ ܒܚܘܒܐ ܕܩܘܕܫܐ ܘܐܦ ܒܥܒܕܐ ܡܫܝܚܐ ܐܒܘܢ ܠܟܠܗܘܢ ܘܐܬܚܙܝ ܐܒܘܗܘܢ ܘܐܬܩܪܝ ܠܗ ܒܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܐܠܗܐ ܕܝܠܗ ܘܪܘܡܗ .

ATHANASIUS Safar Episcopus Mardinensis Syrus.

BEATISSIME PATER: Tanta sunt Beati Felicis Capuccini merita, & tam clarè probata miracula, quæ tam intrà, quàm exrra suam Religionem Divina per ipsum patravit clementia, ut de sanctitate Viri, etiam Sancto Philippo Nerio ejus familiari non incognita, dubitari non possit; ut meritò precibus totius Ordinis Fratrum Capuccinorum pro ejus Canonizatione meas etiam apud Vestram Sanctitatem adjungam.

MATTHÆUS Galliani Episcopus Soranus.

BEATISSIME PATER: Virtutum omnium, & miraculorum Felicis è Cantalicio gloriosa monumenta recensere superfluum est, cùm illa hæc Alma Urbs tanti Viri ditata gloriâ admiranti lumine perspexerit. Ejus vitæ Innocentiam, morumque candorem, Divi Philippi Nerii familiaritas abundè testatur. Humilitatis exemplar, Pœnitentiæ martyr, Castitatis pervigil custos, Felix tamquam lucerna super Candelabrum posita in Urbe cunctis enituit. Clypeo Fidei munitus, de sua spe securus, mira ergà Proximum, ineffabili erga Deum charitate flagravit. Quæ si omnia ad eum Sanctorum cœtui per Sanctitatem Vestram adscribendum non satìs essent, ut sunt, hoc tamen unum sufficeret: Felix è Cantalicio sacri Capuccinorum Ordinis Instituti perpetuus, & diligentissimus Observator. Dignum arbitror ergo, qui inter Sanctos connumeretur; ut quem Deus tot decoravit miraculis, novo erga nos patrocinii vinculo obligetur, ad Ecclesiam illustrandam, ad Hæresim profligandam, ad pacem obtinendam: Sit ipse nobis lux in tenebris, veritas in via, arcus in nubibus. Suscipiat vota hæc misericorditer, qui dat omnibus affluenter.

Fr. OCTAVIUS Spader Episcopus Assisiensis.

BEATISSIME PATER: Si lapis lydius morum est animorum societas, jam constat Franciscani Felicis Capuccini nedùm sanctitas, verùm eximia sanctitas ex Divi Philippi Nerii necessitudine. Illuc ea processit, ut de sycomoro sanctæ fatuitatis attigerint ambo sapientiam, atque cum Zacchæo se supra turbam extulerint. Quis porrò nunc recenseat Felicis austeritates? Quis vigilias, orationes, jejunia, quibus hic Francisci filius Patri Seraphico se similem præbuit? Est peculiare huic meo Parenti Sanctos dare Cœlo, etiam ex iis, qui Clericali Ordine non insigniti, Religiosi appellantur Laici; Cumque feliciter sit ejusmodi Felix, exinde crescet Francisco gloria, si dignetur Sanctitatis Vestræ Apostolatus illum solenni ritu dicere Sanctum. Ita precor.

MARCUS ANTONIUS Chenevix Episcopus Minervinensis.

BEATISSIME PATER: Potestate Tibi à Christo tradita in Petro, ut Petri legitimo hæredi, tuum est, quinam sint solenniter canonizandi, decernere, ac definire. Hodie tamen nostras dignaris audire sententias, num Beatus Felix de Cantalicio, jam in æterna felicitate locatus, locandus quoque sit in numero Sanctorum. Ex omnibus ritè peractis, juxta sanctiones Apostolicas, emicat in Beato Felice excellentia vitæ: emicant signa supra naturam. Edoctus à puero timorem Domini plurima præsetulit exempla virtutum, & futuræ sanctitatis præludia. Fodit altissimæ fundamenta humilitatis, adeò ut nullum, quod propriam laudem quidquam saperet, verbum proferre sit auditus

ditus, & de laboribus multis, & assiduis coram nemine conquestus fuerit. Ut in diem magis veram sanctitatem indueret, vias, & semitas Domini, dilatato corde, currere satagebat, Seraphicum Patrem imitatus, & Sanctissimi Ordinis, quem profitebatur, Instituta integrè, & inviolabiliter servans; Singulariter in fide, spe, & sanctitate à Domino constitutus, singulariter ad sacram Synaxim Laicis Capuccinis semel in hebdomada præscriptam, quotidie per annos quindecim ante mortem fuit admissus; Hæc singularitas, singularem Beati Felicis sanctitatem proclamavit; proclamavit adstantis populi multitudo, cùm Sancto Philippo Nerio lagenam à collo subductam, ut biberet, ministravit, dicens: Sanctus Sancto propinat: Proclamata fuit in vita, proclamata fuit in morte Beati Felicis sanctitas; ideo per Beatitudinem quoque Vestram esse proclamandam sentio.

JOSEPH De Carolis Episcopus Aquinas.

BEATISSIME PATER: Beatus Felix à Cantalicio Laicus Minorum Capuccinorum Professor, mirus Seraphici Patris Imitator, licèt ab adolescentia rusticus, adeò super senes intellexit, ut heroicæ humilitatis, obedientiæ, & ferventissimæ devotionis exemplar, in morum candore insignis, sanctâ in simplicitate conspicuus, cunctis evaserit; laborioso in munere pro Patribus quæstuandi quadraginta annorum curriculo usque ad obitum admirabili patientia, modestia insigni, tota die in medio Mundi gentium conversatus, absque minimo alterius offendiculo, sed apud omnes semper Christi bonus odor reputatus, noctes penè totas in sacris vigiliis, corporisque flagellis exercens, perpetuum otio bellum indixerit; charitate flagrans eloquia in Dei, ejusque Proximi amorem directa, diù, noctuque præmeditando, ita mancipatus usque in senectam, & senium, usque ad mortem factus fuerit obediens.

Effulgente itaque, BEATISSIME PATER, tot virtutum heroicarum luce, & resonante jamdudum miraculorum plausu, ut mercedem plenam accipiat: exaltetur humilis Felix: & in Sanctorum numero conscribatur, humillimè deprecor Sanctitatem Vestram, & firmissimè censeo.

VICTOR FELIX Coucci Episcopus Fundanus.

BEATISSIME PATER: Deus, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam, prævenit in ipso vitæ exordio Beatum Felicem de Cantalicio in benedictionibus dulcedinis, ita, ut Abel innocens, Terram coleret, & Cœlum respiceret, hominibus corpore serviret, & Deo corde inhæreret. Capuccinorum Institutum Professus, vitam activam, & contemplativam, (quod à SS. Patribus difficillimum existimatur) indissolubili nodo conjunxit, & inter homines semper versatus, à Cœlo nunquam discessit, quoniam invento immensæ Divinitatis thesauro, ubi, & thesaurus suus, ibi & cor suum erat. Victum pro suis Religiosis toto suæ vitæ decursu emendicans, dantibus corporales eleemosynas, verbo, & exemplo spirituales eleemosynas rependebat: Semper agens, semper orans, nec Proximos propter Deum, nec Deum propter Proximos relinquens, cunctis, qui eum cognoverunt miraculo fuit; ex quo, quæ cum eo ortum habuit fama sanctitatis, in dies incrementum cœpit. Additis itaque probatis miraculis, aliisque gratiis, quas egomet ipse virtute olei lampadis, quæ in ejus tumulo ardet, in meis morbis expertus sum, Sanctitatem Vestram etiam, atque etiam rogo, ut quemadmodum Beatus Felix accepit Regnum decoris, & Diadema speciei de manu Domini, ita de manu Vestræ Beatitudinis in Terris sanctitatis coronam accipiat.

ALEXANDER De Calvis olim De Organis Episcopus S. Severini.

BEATISSIME PATER: Clarissima hodie Felicis Anima ab ipso penè vivendi exordio admirabilia præbuit super hoc pretioso Ecclesiæ lapide triumphaturæ sanctitatis indicia. Quousque adhuc in seculo se in agrorum cultura exercuit, non Villicum in Campis, sed Anachoretam inter beatas solitudinis umbras repræsentavit. Francisci vexilla secutus irretractabilem austeritatis legem sibi servandam proposuit. Humus strata ciliciis lassatos artus, ac incensissimæ, & nunquam interruptæ in Deum preces caligantes oculos recreabant. In eo summa humilitas, summa paupertas. Jejuniis, vigiliis, aliisque asperrimis afflictationibus se se reficere consuevit, omnia abhorrens, quæ possent vel minimum afflicto corpori levamen afferre. Tot inter pœnitentiæ spinas, donec

donec permansit in Terra Viator, virginitatis lilium semper emicuit, ut Cœlesti placeret Agno, qui pascitur inter lilia. Vigilantissimus obedientiæ Custos, & magnus inanis gloriæ inimicus, famam, humanasque laudes in summo habuit contemptu, ac sibi adversa, nedum æquo animo tulit, sed expetivit. Quemadmodum fidelis servus Dominum suum ex toto corde dilexit, ita etiam proximum suum diligere non prætermisit; Sub ingemiscenda Dæmonis servitute degentes ad filiorum Dei felicissimam sortem traduxit; Philippo Nerio Christi glutine, & intima familiaritate conjunctus, unâ cum tanto Ecclesiæ milite, ad majora qualibet die progredi curavit incrementa virtutum; Adhuc in humanis agens Purpuratorum Ecclesiæ Principum, ac totius Urbis, ipsorumque Summorum Pontificum admirationem; & post felicissimum ex hac mortali vita discessum, à Paulo hujus nominis V. ad illius sepulchrum provoluto, Sanctus corpore, & spiritu appellari promeruit. Majora tamen dicenda occurrunt, dum illum in extremis laborantem Angelicis associata spiritibus Augustissima Cœlorum Regina aspectu jucundissimo recreavit.

Hoc unum superest, Beatissime Pater, ut Divino dictante Spiritu Sanctitas Vestra Felicem in Sanctorum Albo describi mandet.

ONUPHRIUS Elisei Episcopus Balneoregii.

BEATISSIME PATER: Dei Providentia, quæ sapienter omnia disponit, quandoque, teste Apostolo, infirma, & ignobilia Mundi eligit, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus, hoc implevit in Beato Felice à Cantalicio, quem in humili Castro natum, & ex parentibus agrorum culturæ addictis, adeò tamen Cœlestis gratia prævenit, ut ab ineunte ætate non exigua sanctimoniæ luce coruscaverit. Ordinem Capuccinorum ingressus in statu Laicali, & ad humile munus quæritandi per Urbem victum Fratribus deputatus, tot à Deo eximiis virtutibus in gradu heroico, & insignibus miraculis decoratus fuit, ut Templum factus Spiritus Sancti, tamquam Sol refulserit in medio Terræ. Quæ omnia, cùm apud Sanctam Sedem fuerint juridicè comprobata, hæsitandum minimè putarem, quin illi in cœtum Sanctorum Confessorum relato, Aræ, & supplicationes à Sanctitate Vestra decernantur.

SERGIUS Pola Episcopus Famagustanus.

BEATISSIME PATER: Si de iis etiam, qui præclara humilitatis laude apud Deum, & homines conversati sunt, intelligere voluerimus illud: *simile est Regnum Cœlorum Thesauro abscondito in agro*, hoc in Beato Felice contigisse quis neget? Thesaurus nempè charismatum fuit in longa vitæ paupertate, asperitate, humilitate propemodum delitescens. Proferat igitur Sanctitas Vestra de Thesauro Ecclesiæ nova, & vetera, addens Sanctorum Albo recentissimè hunc etiam, in quo habemus thesaurum non deficientem in Cœlis.

FABIUS De Mancinfortibus Episcopus Eugubinus.

BEATISSIME PATER: Beatus Felix à Cantalicio humili loco natus, humiliori genere exortus, magnus tamen coram Domino, pauper fuit, & in laboribus à juventute sua. Agricolturæ primò operam dedit, deinde sacram Capuccinorum Familiam ingressus, diuturno quadraginta annorum curriculo, quo eleemosynas alendis Fratribus ostiatim quæritavit, laboriosissimo muneri jejunia, vigilias, assiduum orandi studium, aliasque permultas sui corporis afflictationes superaddens, æmulatus est Monachos Nitriæ, atque Thebaidis. Rigidissimus sui Censor, in alios verò semper mitis, ac patiens, & blandè etiam quandoque conversari non abhorrens, ubi necessitas, vel utilitas id postularet, ita ei dictante eximiâ, quâ pollebat, charitate virtutum Regina. Literarum omninò expers mirificè profuit opportunitate verborum, quibus saluberrima pietatis monita sæpè spargebat: semper profuit exemplo sanè irreprehensibili, tam in Cœnobio, quàm per omnes amplissimæ hujus Urbis vicos, & plateas discursans. Mira ejus vitæ sanctitas, non sinè prævio experimento, satis perspecta fuit etiam Divo Philippo Nerio, quocum frequenter, ac familiarissimè versabatur. Ita Beatus hic Vir per arctam Domini viam incessit; ita cucurrit; ita cursum feliciter consummavit: Nil mirum itaque, si labores manuum suarum, quia manducavit, Beatus est, & benè illi erit in perpetuas æternitates, clarificante Deo etiam gloriâ miraculorum Servum hunc suum fidelem, ut eidem non deesset corona in Terris, quem jam glorificaverat coram Angelis suis, & coronaverat in Cœlis. Quæ cùm ita sint, & infallibili hujus

hujus Sanctæ Sedis judicio comprobata, reliquum est, ut Sanctitas Vestra, per solennem Beati hujus Viri Canonizationem, novum militanti Ecclesiæ Patronum, & exemplar adnumeret, ut nempè tantus Patronus, & acceptissimus Dei famulus efficaci suo præsidio respiciat ad Apostolicam Sedem tot calamitatibus hodie concussam, & impetitam; utque in tanto humilitatis, cæterarumque insignium virtutum exemplari habeant literarum rudes, ac imperiti in quo confortentur; Sapientes hujus Mundi, dum cernunt surgere indoctos, & Cœlum rapere, habeant, quod jugiter pertimescant, nè cum suis doctrinis mergantur in profundum: habeant Religiosi inferiora munia obeuntes exemplum, quo animentur ad pugnam, coronam, quâ invitentur ad palmam: habeant denique, quod Præsules omnes continuò meditentur, & avertere satagant, nè videlicet fiant primi novissimi, & novissimi primi.

JOSEPH Guerra Episcopus Alatrinus.

BEATISSIME PATER: Magnum, immò veriùs necessarium perfectionis fundamentum humilitas: non tamen, quæ nativitate contrahitur, sed quæ pio, & sincero animo concipitur, & exactè moribus excolitur, ut Christum Dominum sequatur. Beatus Felix à Cantalicio, quam à nativitate contraxerat, ut perficeret, & proficeret, atque Dominicæ humilitatis speciem circumferret, humilitati Regularem obedientiam, & castigato etiam habendi desiderio summam consociavit paupertatem, ut verè pauper spiritu evaderet, sicque depressus usque ad ima fundamentum defodit, super quo non paucis superimpositis heroicis virtutum actibus, & meritis (de quibus in ejusdem vitæ compendio dato) ceù cæmentis, & tignis, charitateque, (nè ruinam timerent) compaginatis, excelsum construxit ædificium, cujus fastigio Cœlum pertingente, facilis inde in beatam, & perennem requiem, pauperibus spiritu promissam, patuit ingressus, quâ ipsum frui, etiam subsequuta testantur miracula, quorum aliqua, cùm post ejusdem Felicis fastis Beatorum adscriptionem contigerint, solenni Canonizatione in Sanctorum numero referendum esse censeo, si tamen ita Sanctitati Vestræ placuerit.

JOANNES BAPTISTA Bassus Episcopus Anagninus.

BEATISSIME PATER: Beatus Felix à Cantalicio: felix quidem, quia à teneris annis rectâ vivendi formâ cœpit indicia sanctitatis præbere. In simplicitate enim cordis, & corporis deambulans, præsidio Beatæ Virginis (cujus devotione jugiter flagrabat) ab omni labe, immò occasione peccandi abstinuit: fuit sanè rudis literarum, sed tamen studiosus perfectionis vitæ, sicut probavit eventus, quoniam humilitatis, patientiæ, charitatis, & obedientiæ virtute suffultus, solis jejuniis à regula præscriptis non contentus, aliis ultrò sæpissimè susceptis, pane tantùm, & quandoque fragmentis, quæ de mensa supererant, corpus suum, tametsi vel flagellis diverberatum, aut laboriosis per Urbem cursitationibus quæstuationis causâ fessum, & fatigatum, dulcissimoque orationis pabulo nutriebat, & recreabat. Tantusque in eo fuit rerum Divinarum fervor, tantusque castitatis, & innocentiæ candor, ut spatio quadraginta circiter annorum (ò res admiratione digna!) cum utroque sexu indiscriminatim officii sui Collectoris eleemosynarum causâ conversando, nunquam oculos in mulierum vultus conjecerit; unde in hujusmodi puritatis præmium, morte sibi non semel, sed bis prænunciata, Angelorum Reginam Angelicis Choris comitatam, quasi obvenientem illum benignè excepturam, inspicere meruit. Multis præterea miraculis ex unctione olei lampadis ad ejus sepulchrum accensæ, pluribus ægrotis penè desperatis, & in proximo morituris sanitatem, & cæco visum restituendo, patratis, jam gloriosus triumphat in Cœlis. Idcircò nil superest pro judicii mei modulo, nisi ut Sanctitas Vestra eundem hujus Ecclesiæ militantis fastis adscribere dignetur.

VINCENTIUS Episcopus Sutrinus, & Nepesinus.

BEATISSIME PATER: Loricâ fidei induit Dominus Beatum Felicem literarum penitus rudem, & Charismatum donis ornavit eum, adeò ut, sive quis in teneris eum aspiciat, sive Religiosæ Familiæ Laicum consideret, hominem sinè querelâ, verum Dei cultorem, similem hominibus expectantibus Dominum suum, in omni genere virtutum excellentem habebit; nam idem terrena despiciens, Capuccinorum Regulam amplexus,

plexus, non aurum, non argentum, neque pecuniam in zonis suis, neque duas tunicas, neque calceamenta possedit, sed Seraphici Patris Francisci verus factus Imitator, austeros Eremitarum mores inter Cœnobitas continuis jejuniis, solis leguminibus, & aquâ contentus renovavit; Anachoreticæ solitudinis Amator corpus ciliciis, aliisque cruciatibus,etiam nudis pedibus incedendo quotidie affligere non cessavit: Egregia, & incredibili charitate semper exarsit, & eâ motus in proximos salutis monita, & Cœlestis semina pietatis abundè dispersit; In humilitate profundus, in obedientia exactissimus fuit, & ad tantum gradum perfectionis ascendit, ut non posset absque uberrima lacrymarum profusione quotidie summo devotionis æstu mira panis Angelici suavitate recreari; Meruit tandem miraculis multis à Domino mirificari, & exaudiri clamans ad ipsum. Ex cumulo igitur tot eximiarum virtutum, & miraculorum gloriâ, eumdem valde dignum existimo, qui inter Sanctos colendus in Terris referatur, ut qui in diebus suis placuit Deo, in Cœlis pro populo Intercessor existat.

FRANCISCUS XAVERIUS Guicciardus Episcopus Narniensis.

BEATISSIME PATER: Beati Felicis exordia, & incrementa, vitam, & mortem, abjectionem, & gloriam cogitanti mihi, exclamare libet: O altitudo divitiarum scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, qui eligit infirma, ut confundat fortia; abscondit sapientibus, & parvulis revelat; esurientes implet bonis, & divites dimittit inanes. Hæc providentiæ Cœlestis exempla, vel caligine temporum, vel obscuritate locorum fermè sepulta, innovat Felix pauper, & humilis, rudis, & simplex, non in montibus, non in solitudinibus, aut speluncis, sed in hac ipsa Romana luce, Orbisque Terrarum Regia simul & Patria, ut, in propria veluti sede, terreni honoris apex Euangelicæ humilitati cedere discat, ubi Sapientiæ principatus, ubi nomen Imperii, & Sacerdotis dignitas in æternum effulget. Electum suum Deus per Urbem omnium celeberrimam annis quadraginta circumduxit, non secùs ac populum Israel per desertum,in ostensione spiritus, & virtutis: Circumduxit eum, & docuit, & custodivit quasi pupillam oculi sui; ac peregrinationis cursu feliciter consummato,in promissionis terram lacte, ac melle fluentem, inter paucos, admisit. Erit igitur non hominis tantùm, sed virtutis ipsius triumphus, si Minorum minimus cum Maximo majorum, Felix cum Pio, venerationi Fidelium unâ proponantur, ut aliquando noscamus, acceptionem Personarum non esse apud eum, qui æquat ima summis; adeóque diligentibus Deum omnia in bonum cooperari, ut ejusdem gloriæ coronâ donetur Pius in summa rerum affluentia ex Apostolico Throno jura populis ferens, quæ Felicem exornat victum sibi, suisque, in baculo, & pera quæritantem.

NICOLAUS MARIA Tedeschi Episcopus Liparitanus.

BEATISSIME PATER: Nobile Urbi spectaculum, gratum quidem Deo, Angelis verò, ac hominibus admirandum, semetipsum exhibuit Beatus Felix à Cantalicio, cùm in eo datum fuerit prudentissimam simplicitatem, sanctimoniam officiosam, innocentiam pœnitentem modis omnibus intueri. Ad sui seculi gloriam humili loco in lucem editus, & ad labores à pueritia pius Agricola destinatus, perfectionis tyrocinium vel à rure inchoavit. Regularis observantiæ semitam ingressus, ac abstinentiæ, vigiliis, & orationi diù, noctuque intentus, solo quandoque Eucharistico pane reficiebatur, veras Animæ suæ delicias in eo nactus, & omnem saporis suavitatem. Ostiatim ad quadraginta annos pro alendis Fratribus victum quæritans, nudis pedibus offendiculo cruentatis, cilicioque indutus incedens, rigidus sibi, aliis verò comis, ac blandus mirum Christianæ hilaritatis, ac Religiosæ mortificationis exemplar evasit. Publicis in Plateis Philippo Nerio comes adjunctus, sive Rosam auriculæ impositam, sive pileum gestans, in id vicissim intendebat, ut vel populorum ludibria avidiùs exciperet, vel nova daret videntibus humilitatis eximiæ documenta. Sacras cantiunculas sæpè canere summa simplicitate, & innocentia solitus, cælestem vitam in terris agens, Angelorum choros æmulabatur, quorum agminibus sociatus in Domini sui gaudium ingressus est: Verè felix, quia ita cœpit; felicior, quia ita se exercuit; felicissimus, quia ita complevit. Hæ Angelicæ ipsius vitæ rationes sunt, BEATISSIME PATER, quæ, uti Felicem Cœlo intulerunt, sic, ut Sanctorum fastis adscribatur, verè dignum efficiunt; ut qui tot eorum virtutes in se uno complexus est, ipsorum nunc Aureolis coronetur.

BER-

BERNARDINUS ÆGIDIUS Recchi Episcopus Aquipendii.

BEatissime Pater: Beatus Felix à Cantalicio, quem Deus elegit pauperem in hoc mundo, divitem in fide, & hæredem Regni, quod repromisit Deus diligentibus se, Christianæ perfectionis exemplar, etiam inter assiduos labores, quos in præclarum obedientiæ signum maxima hilaritate sustinuit, consurgens laudabat Deum in principio vigiliarum, & media nocte confitebatur Deo super judicia justificationis suæ. Perfectus ergo in omni virtute, mirabilis in sanctitate, & non minùs exemplo vitæ, quàm probatis miraculis clarus, Sanctorum cultum, & venerationem consequi à Sanctitate Vestra meretur: Sic enim Filii Dei fiunt de paupertate divites, de patientia fortes, & de humilitate sublimes.

ANTONIUS Vaira Episcopus Parentinus.

BEatissime Pater: Viam sanctitatis in simplicitate cordis ingressus Beatus Felix à Cantalicio, Christo & huic Crucifixo conformis, in societate passionum illius configuratus morti ejus, meruit virtutem glorificationis, coronam adeptus, quæ manet in Cœlis veros Christi imitatores. Ex rudi statim sapiens ad Christi imaginem docentis ex Cruce, tactus intimè Christi doloribus aspexit scilicet, ex Divi Pauli monito, *in Auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta*; & ad imitandum sic exarsit, ut in omnibus viis suis cogitaret illum, abnegaret semetipsum, tolleret Crucem suam, sequeretur eum. Quia verò, *non est dolor sicut dolor meus*, de Christo dolente dicitur, quippe *tota Divinitatis gloria militavit ad pœnam*, ut ait D. Laurentius Justinianus, abiit ille per Christi vestigia, quanta virtute homini licet, virtute heroica, heroicè humilis, patiens, obediens, vitâ Jesu manifestatâ in corpore suo mortali, quantum mortale corpus manifestare potest in se vitam, fortitudinemque Divinam. Rigidissimum, asperrimumque Capuccinorum Institutum cùm amplexus esset, minimum fuit, quidquid austeritatis, quidquid pœnarum Ordo ille sacra severitate conspicuus præcipit: auxit durissima quæque duritie alia acerbiore quæsita: jejunia jejuniis, vigilias vigiliis, flagellis sæviora flagella cumulavit: in pœnitentia, maceratione, oratione perpetuus: inter assiduos corporis angores, quos avidissimè venabatur, unâ Cœlestium rerum meditatione, unis quotidianæ Eucharistiæ deliciis recreatus: Quòd illi vivere Christus esset, & mori lucrum, annis quadraginta lætus in eo, quod mortis instar est hominibus, ostiatim emendicare non erubuit, & vorare ludibria emendicantibus ferè parata, dum interim Christum sibi, Christo proximum lucraretur. Beati Felicis bonitatem heroicam viventis adhuc sensit homo ille Cœlestis D. Philippus Nerius illi conjunctus benevolentiâ Sanctorum: Experimentis etiam absolutissimam sanctitatem probantibus pertentavit; ad contumeliam non semel pro Christo patiendam in Urbe media, frequentissimo populo, fortem, & hilarem nactus, eadem illâ constantiâ, quâ Cardinalis Sfortia obedientem habuit, cùm per multitudinem jussit incedere, rosâ auriculæ impositâ, malum persicum odorantem in delicatuli morem. Ejus sanctitatem quoque testatus est Deus, donis collatis singularibus, impertita facultate beneficiorum, gratia curationum, data præsertim olei virtute ante illum ardentis, cæcitatem, languores, infirmitatesque comploratas repentè sanantis: ut jure de illo, quod est Proverbiorum cap. 22. *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo justi*, dici possit.

Hunc, Beatissime Pater, Christianorum votis, & precibus expetentibus, inter Sanctos infere, quem integerrimum, innocentissimum Christi Crucifixi imitatorem, spe, & operibus in vita immortali perpetuò defixum, nunc compotem beatitudinis, Spiritus Sanctus videtur ore Ecclesiastici designasse, *Beatus Vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, & non est stimulatus in tristitia delicti. Felix, qui non habuit animi sui tristitiam, & non excidit à spe sua.*

GEORGIUS Cattaneus Episcopus Viglevanensis.

BEatissime Pater: Beatus Felix de Cantalicio infimo loco natus accessit ad cor altum, & inter angusta detentus Capuccinorum claustra de virtute in virtutem latè, heroicè, & generosè didicit properare. Stultus propter Christum effectus, acceptis à Cardinali Sfortia rosâ, & malo persico, per publica incedens compita, floruit ante Dominum, & fructus edidit honoris, & honestatis. Pileo D. Philippi Nerii numeroso coram populo caput contexit, ut innocentiæ incontaminatæ thesaurum, quem palàm deferebat in via, humilitatis reconditum umbraculo, nequiret ambitio deprædari. Panis

nis sæpè contentus fragmentis jejuno ventre longo orationis pabulo epulabatur. Eucharistici cibi fame stimulatus pluribus annis primo quovis diluculò impatiens sacro insiliebat convivio nuptiali veste brevissimo somno, flagris, lacrymis, aliisque ingeniosæ pœnitentiæ, & vehementissimæ charitatis operibus comparatâ. Dives in misericordia, collectas eleemosynas de Superiorum licentia pauperibus cōmunicans, ægris nobilibus, atque plebeis salutem Animæ, & corporis frequenter elargitus, ante oculos Deiparæ Cœlestes inter exercitus coruscantis, ab hac luce migravit. Pauperem igitur electum à Deo, & humilem exaltatum, inter Filios Dei computare Sanctitas Vestra non ambigat, præsertim cùm miracula exquisitè examinata, aliaque Divina virtute peracta, inter Sanctos sortem illius esse contestentur.

Omnium suffragiis singillatim auditis, Sanctitas sua sequentia addidit verba.

VENERABILES FRATRES: *In illum, qui Noster jam erat, sensum suffragia vestra plenissimè conveniunt: Ut Sancti scilicet nomen, & cultus Beato Felici à Cantalicio Apostolicâ authoritate decernatur, adeoque ejus gloriam nunciare possit Ecclesia, cujus laudes jampridem omnes, ac præsertim hujus Almæ Urbis nostræ populi enarrabant. Tantæ itaque, ac tam expetitæ celebritatis diem in sequenti Consistorio, adjuvante Domino, indicemus; à Vobis interim petentes, ut (quod in ejusmodi negotiis Ecclesiæ solenne est) assiduis precibus, aliisque præscriptis piis operibus, eo potissimùm tempore, quo advenientis Paracliti Spiritus memoriam anniversariâ supplicatione recolemus, auxilium Nobis de Sancto impetretis, ut rem in Terris Cœlestem, juxtà Divinum beneplacitum omninò conficere valeamus.*

Tunc D. Procurator Generalis Cameræ Apostolicæ, submisso priùs erga Sanctitatem suam genu, stans juxtà Solii gradus versùs ad Protonotarios Apostolicos, eos, stantibus adhuc Prælatis, altâ, & intelligibili voce, ut omnium Actorum fidem facerent, ita rogavit.

Ego Nicolaus Jacobatius Sanctissimi Domini Nostri, & Cameræ Apostolicæ Procurator Generalis rogo Vos omnes Protonotarios, & Notarios Apostolicos hìc præsentes, ut de sententiis, consilio, & unanimi consensu Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, deque Summi Pontificis oratione, ac deliberatione præhabitis super solenni Canonizatione Beati Felicis à Cantalicio, unum, vel plura, publicum, seu publica conficiatis Instrumentum, vel Instrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Exinde R. P. D. Prosper Columna Protonotariorum Apostolicorum Pro-Decanus, sui Collegii nomine, Cubicularios Papæ Assistentes, Cæremoniarios, & Sacri Collegii Ministros testes adhibuit his verbis: *Vobis Testibus*, atque ita Conventus dimissus est.

Obierat antecedenti nocte, apoplexiam passus, Eminentissimus Andreas tit. S. Mariæ de Populo Cardinalis Sanctacrucius Romanus, Episcopus Viterbiensis, & in crastinum vesperi in Ecclesia Deo dicata in honorem S. Caroli, *ad Catinarios* vulgò dictâ, supra ejusdem corpus erant celebrandæ vigiliæ, frequenti amplissimi Purpuratorum Patrum Senatus interventu; Instabant Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum Generalia Comitia, quibus proxima fer. 6. celebrandis præesse debebat, uti illius Ordinis Protector, Eminentissimus Acciajolus Sacri Collegii Pro-Decanus: neque Justitium erat à consuetis Congregationibus; quocirca Clementissimus Pontifex, nè ultra modum Patres defatigarentur, quinimò ut in imminenti sacro Pentecostes die quietè animum intenderent ad se novo Cœlestis

gaudii rore, ac omni charismatum abundantiâ perfundendos, quartum, & ultimum de Beata Catharina de Bononia Consistorium semipublicum distulit in fer. 4. sequentis hebdomadæ; eos tamen præmonitos voluit de solenni Supplicatione ab Ecclesia Vaticana ad alteram S. Spiritus in Saxia fer. 2. post Pentecosten ab universo Clero, & suiipsius, Sacri Collegii, ac omnium Prælatorum interventu celebranda, ad Divinam opem in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus implorandam; cujus quidem sub titulo haud minimè comprehendebatur futura Canonizatio, ut ex edicto plenariæ Indulgentiæ, & ex versiculis, ac oratione de Spiritu Sancto additis à Sanctissimo Patre post Sanctorum Litanias: Quocirca placuit Sanctitati Suæ, ut DD. Cardinalibus, dimisso Consistorio; Episcopis verò, post latum ab unoquoque suffragium, exemplaria distribuerentur tum Indictionis prædictæ Supplicationis, tum Indulgentiæ, quarum tenor est hujusmodi.

Feriâ secundâ die 16. currentis mensis Maji erit solennis supplicatio cum universo Clero è Basilica Vaticana ad Ecclesiam Sancti Spiritus in Saxia, ad Divinum auxilium in præsentibus necessitatibus implorandum.

Sanctissimus Dominus Noster horâ duodecimâ in Choro Canonicorum dictæ Basilicæ Vaticanæ Missam celebrabit, eâque absolutâ, supplicabundo ritu ad ipsam Ecclesiam S. Spiritus procedet.

Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales induti super Rocchettis Mantellettis, & Mozzettis coloris rubei, ad præfatum Chorum accedent.

Ideo intimentur omnes, & singuli Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales, Episcopi Assistentes, Gubernator Urbis Vicecamerarius, Principes Solii, Episcopi non Assistentes, Conservatores, Oratores Civitatum subditarum, & Magister Sacri Hospitii.

Intimentur etiam Decani Collegiorum omnium, tam Prælatorum, quàm Officialium; ut Collegas suos admoneant. Prælati usum Rocchetti habentes, cum Rocchettis, & Mantellettis: reliqui quotidiano indumento amicti erunt.

De mandato SS. D. N. Papæ.

Candidus Cassina Mag. Cæremoniarum.

INDULGENZA PLENARIA.

GASPARO per la misericordia di Dio Vescovo di Sabina della S. R. C. Cardinal di Carpegna della Santità di N. S. Vicario Generale &c.

La Santità di Nostro Signore considerando con suo estremo dolore le innumerabili sciagure, fra le quali da sì lungo tempo si trova involta l'afflitta Cristianità, e specialmente risentendo quelle, che vanno direttamente a ferire l'autorità sagrosanta della Chiesa, e la purità della Religione Cattolica, che tanto hanno sofferto, e soffrono, massime per cagione di sì aspra, e sanguinosa guerra fra Principi Cristiani: nè lasciando inoltre di seriamente riflettere il pericolo di altre gravissime calamità per l'occasione, che tali discordie posson dare a gl' Infedeli pur troppo attenti ad ogni congiontura di loro vantaggio, di rivolgere le proprie armi a' danni de' Paesi Cattolici; Sicome sempre più brama in contingenze di tanto bisogno di essere incessantemente assistita dalle Orazioni de' Fedeli nella Chiesa militante, così va cercando di conciliarsi il patrocinio, e l'ajuto di validi, ed efficaci intercessori nella trionfante, meditando a tal effetto di fare la solenne Canonizazione delli Beati Pio Quinto, Andrea Avellino, Felice da Cantalice, e Catarina di Bologna.

Approfittandosi perciò la Santità Sua del tempo, in cui si solenniza la memoria della venuta dello Spirito Santo, e conoscendo quanto possa riuscire opportuno d'invocarne in maniera speciale l'ajuto con pubbliche, e communi preghiere, come è stato sempre costume della Chiesa in somiglianti gravi occorrenze: Ha la Santità Sua determinato di andare a questo effetto con solenne Processione, ed accompagnamento, conforme al solito di altre funzioni simili, dalla Basilica di S. Pietro in Vaticano alla Chiesa di S. Spirito in Sassia la mattina del secondo giorno di Pentecoste; concedendo perciò Indulgenza plenaria, e remissione de' peccati a tutti li Fedeli dell' uno, e dell' altro sesso, quali veramente pentiti, e nello stesso giorno, o nell' antecedente confessati, e communicati in qualsivoglia Chiesa, con dare in oltre a' poveri qualche limosina, secondo che a ciascheduno suggerirà la propria pietà, accompagneranno divotamente la detta Processione, o pure si troveranno nel tempo di essa in una delle suddette Chiese, ed ivi pregheranno S. D. M. perche si degni di assistere con l'abbondanza de' suoi lumi alla Santità Sua nella grave deliberazione, che è per fare della suddetta Canonizazione

de'

de' Santi: perche voglia per sua infinita misericordia disporre i cuori de' Principi Cristiani ad una stabile, e vera pace, dalla quale in conseguenza non solo non sia per risentire alcun danno la nostra santa Religione, ma per il contrario sia per riceverne ristoro, e vantaggio: ed in fine perche si compiaccia di riguardare con occhio di clemenza tutte le altre presenti, e pur troppo note necessità della Chiesa, ed insieme di allontanare dalla medesima quei flagelli di nuove sciagure, che pur troppo sarebbero meritati dalle nostre colpe, e di dare a Sua Beatitudine quell' Apostolico spirito, che gli è necessario per ben governarla in tempi sì difficili, e calamitosi.

La stessa Indulgenza acquisteranno quelli, che nel medesimo giorno, o nel Martedì, ovvero Mercordì susseguenti, confessati, e communicati, come sopra, visiteranno ambedue le dette Chiese, ove starà esposto l'Augustissimo SAGRAMENTO, ed in esse faranno orazione, e limosina nella forma di sopra espressa.

Vuole in oltre la Santità Sua, che le Monache, ed Oblate, e le Zitelle, ed altre Donne secolari, che dimorano ne' Monasterj, o Conservatorj approvati, come anche tutti quelli Fedeli dell' uno, e dell' altro sesso, che ritenuti nelle Carceri, o da infermità impediti non potranno personalmente conferirsi alla detta Processione, o visita di Chiese, possino conseguire la medesima Indulgenza, se confessati, e communicati, come si è detto, faranno orazione le Monache, ed Oblate nella Chiesa interiore delle loro Clausure, o Conservatorj respettivamente, e gli altri nella loro Carcere, o letto, a qualche divota Immagine, per li fini menzionati, e secondo la mente di Nostro Signore, dando qualche limosina, come sopra.

Il tutto si deduce a notizia del Clero tanto Secolare, come Regolare, affinche si disponga ad intervenire alla detta Processione Pontificia con tutta quella modestia, pietà, e divozione, con cui tanto interiormente, quanto esteriormente deve accompagnarsi un' azione sì sagra: come anco di ogni altro del Popolo, affinche ciascuno possa convenientemente prepararsi all' acquisto di un tanto tesoro, ed insieme unire le sue particolari alle communi orazioni, per ottenere dalla Divina Bontà le grazie desiderate. Dato in Roma dal Palazzo della nostra solita Residenza questo dì 10. *Maggio* 1712.

G. Card. Vicario.

N. A. Canonico Cuggiò Segretario.

Porrò supplicatio hæc non semper, nec ab omnibus Summis Pontificibus post suam institutionem habita est, sed juxtà occurrentes Ecclesiæ necessitates: Illam siquidem de anno 1678. hâc ipsâ indictâ die (licèt expost celebrata aliquando fuerit fer. 3.) cùm Turcarum Imperator Epidaurum (Ragusiam vocant) obsidere minaretur, Ven. servus Dei Innocentius XI. primùm instituit, nequaquam immemor quanti olim Ragusiam fecerit Pius II., qui (1) Anconæ degens, Nunciis, ac literis certior factus, Turcas magno exercitu non longiùs triginta millibus passuum à Ragusia consedisse, Triremibus mox paratis, ad eam Civitatem appellere, ac obsidionis periculo sese tradere constanti animo, quamvis infirmo corpore, deliberavit.

Interea Sabbato vigilia Pentecostes in Sacello Sixtino decantatæ fuerunt ex veteri instituto primæ Vesperæ sequentis magnæ festivitatis, illisque consuetâ Pontificiâ Benedictione absolutis, dignata est Sanctitas Sua ad pedum suorum oscula beatorum Fratres Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum admittere, qui (solent enim Summi Pontifices, electo in Comitiis generalibus in Urbe habitis Superiore Generali, hanc publicam paterni amoris sui significationem præbere cuique Ordini Fratrum Mendicantium) ritu processionali è sui Conventus Ecclesiâ, prælatâ Cruce, longo agmine (erant ferè sexcenti) bini, & bini solâ tunicâ manicatâ induti usque ad Constantini gradus perrexerunt: Ibi dimissâ Cruce, vultu ad assuetæ modestiæ normam composito, ad Sacellum Pontificium ad pedes Sanctissimi, quos exosculati sunt, processerunt: Inde reversuri, nè succedentibus impedimento essent, & offensioni, per Januam Sacrarii transmissi sunt, sedente interim in Solio super scabello Presbyteri assistentis Eminentissimo Acciajolo Episcopo Cardinali eorum Protectore. Omnium novissimus, etsi primus, constitit ad pedes Sanctissimi Fr. Michael Angelus à Ragusio pridie electus in hujus conspicui Ordinis Ministrum Generalem, quem de se humiliter sentientem, & demississimè loquentem Sua Sanctitas emeritâ laude suscepit unâ cùm Exvicario Generali, cujus imitanda vestigia proposuit, & Indulgentiis discriminatim omnibus, & juxta gradus impertitis, eum dimisit. Ita in eodem Sixtino Sacello sequenti mane pro sacra anniversaria Spiritus Sancti celebritate Missam decantavit Eminentissimus Astallius

[1] *Ex literis Jacob. Card. Papièn. ad Franciscum Piccolomineum Card. Senensem de infirmit., ac morte Pii II. impressis post Comment. ejusdem Pii edit. à Gobellino fol. mihi* 652.

lius Presbyter Cardinalis pro Eminentissimo Spada Episcopo. Interfuit Summus Pontifex maximâ Cardinalium, & Prælatorum frequentiâ.

Sanè ad indicatæ Processionis institutum revertendo, statâ horâ mane fer.2. Pentecostes in Basilicam Vaticanam convenit uterque Clerus; sub suo quisque Crucis vexillo ibi constitit: Basilicæ nimirum sub Cruce, & Campanulis ante tentoria loco classicorum (1) *ad imitationem Israelitici Populi ante conductionem Arcæ proficiscentis*: Convenerunt etiam in ejusdem Ecclesiæ Chorum DD. Cardinales, Præsules, Officiales Curiæ; Ipse Summus Pontifex Cruce præcedente, & stolâ rubrâ phrygio opere, & auro contextâ in eandem Basilicam è Patriarchio descendit, receptus ab Eminentissimo Archipresbytero Albano, qui cum suo numeroso Clero ei occurrit, & juxtà majorem Portam ministravit aspergillum aquæ piacularis. Pontifex ante Altare Sanctissimæ Trinitatis, in quo perpetuò asservatur Venerabile Eucharistiæ SACRAMENTUM Fidelibus distribuendum, effusis precibus, & ante Confessionem B. Petri, ad idem Chori Sacellum perrexit, ubi super frequenti Sacro Senatu, & magnâ Præsulum, ac Officialium multitudine producto Crucis signo, confestim genibus flexis super faldistorio juxtà inferiores Altaris gradus posito, præparatorias ad Missam preces perlegit. Interim, Arâ maximâ Canonizationis Theatro conclusâ, super Altare B. Mariæ Sacelli Gregoriani è conspectu alterius Magni Gregorii fuit expositum spectabili facularum ornatu Augustissimum SACRAMENTUM. Clerus, Eminentissimi Vicarii Cursoribus, monitu Cœremoniarii Pontificii, longum agmen dirigentibus, cœpit rectà procedere ad confessionem usque SS. Apostolorum, à sinistris ingredientis Ecclesiam ad dexteram tendens, Sacram Eucharistiam publicè expositam veneraturus. Pontifex de solennitate currentis feriæ Sacris operatus est. Cùm ad Offertorium, & ad Missæ Canonem pervenisset, Cantores Sacelli Pontificii sacras modulati sunt cantiones. Faces consuetas prægrandes, depictas, auroque illitas per totam actionem usque ad sanguinis sumptionem sustinuere Ceroferarii ejusdem Sacelli magni Pontificii. Pacem cum instrumento detulit DD. Cardinalibus in ordine prioribus Præfectus Cœremoniarum. Mantilia Pontifici manus abluenti ministravit Cardinalis Archipresbyter, etiamsi ultimus Diaconorum, quinimo deponendi, & inde imponendi stolam Sanctissimo Patri, & Patruo munus obivit; cæterùm in suo stetit ordine Promotionis. Patres Purpurati, qui ex devotione frequentiores adfuere, Canonicorum stalla occuparunt; Beneficiatorum, & Clericorum, Prælati, & Officiales Curiæ, illi scilicèt, qui officium tenent in Curia: Hinc Episcopi, & Presbyteri Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Protonotarii in cornu Euangelii; illinc in cornu Epistolæ Diaconi Cardinales, Clerici Cameræ Apostolicæ, Votantes Signaturæ, & cæteri Officiales. Porrò Auditores Rotæ, utì Cappellani Papæ, in plano juxtà superiores Altaris gradus laterales æqualiter partiti, locum tenuere. Omnes rei Divinæ assistebant in genua provoluti, si Euangelii tempus excipias, quemadmodum Romanæ postulat ritus Ecclesiæ. Sacro Missæ peracto, dum Pontifex super faldistorio de genu constitutas Deo gratias agebat, Cardinalibus, Prælatis, aliisque copiosè distributi sunt libri Litaniarum, his papyraceo involucro depicto, illis pergameno cooperti. Tanta fuit Prælatorum frequentia, ut nemo talem se in Urbe vidisse recordaretur; Permulti, cùm stalla capere tot non possent, per intervalla Chori, & extra detinebantur. Gratiis Deo peractis, toto jam Clero ad S. Spiritus in Saxia ritè, & ordine contendente, Sanctitas Sua ad Sacellum Gregorianum progressa est: ibi super scabello ad genua submittenda formato de consuetudine parato, Augustissimum SACRAMENTUM adoravit super argenteo, & eminenti Throno collocatum. Id ipsum præstiterunt DD. Cardinales super scamnorum gradibus, & Prælati super nudo pavimento à tergo Pontificis per intervallum advoluti. Tum duo Cantores Pontificii Sacelli, nutu Cœremoniarii, cecinere Antiphonam sequentem.

Sancta Maria, & omnes Sancti tui, quæsumus Domine, nos ubique adjuvent: ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus; & pacem tuam nostris concede temporibus, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam.

Quâ finitâ inchoarunt Sanctorum Litanias in cantu, & prosequuti sunt usque ad invocationem: *S. Maria*: eorum Choro, ut in Litania majori, respondente. Tunc surrexit Sanctissimus Pater, & ad eandem Ecclesiam suo cum Augustissimo Clero processit hoc ordine.

Post Clerum tum Regularem, tum Secularem,

[1] *Hierolex. Macr. v. Processio.*

cularem, videlicet post novissimum Basilicæ Lateranensis præstantiorem locum tenentem, incedebant bini Consistorialis Aulæ Advocati à junioribus inchoando; sequebantur similiter bini, & aliquando terni, juxtà numerum Officialium Collegiorum, Cappellani Papæ Secreti, Cubicularii Honoris, & Secreti, Cantores Cappellæ Papalis, Abbreviatores de Parco majori, Acolythi Apostolici, Votantes Signaturæ Justitiæ, Clerici Cameræ, Magister S. Palatii à sinistris unius ex junioribus Rotæ Auditoribus, Auditores Rotæ Subdiaconi Apostolici Cappellani Papæ, Orator Bononiæ à sinistris Prioris Capitum Regionum Urbis, Conservatores Urbis, Philippus Comestabilis Columna, R. P. D. Bernardinus Scottus Gubernator Urbis, & Vicecamerarius, Auditor Rotæ Papalem ferens Crucem, Sanctissimus D. N. Clemens Papa XI. Militibus Helvetiis, & Servientibus armorum stipatus; inde Purpurati Christianæ Reipublicæ Senatores, ordine à senioribus incedendi desumpto, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi in Solio Pōtificio Assistētes, & non Assistentes, Protonotarii Apostolici, & demum Referendarii utriusque Signaturæ. Itum est per magnam Porticum dextrorsum à fronte Basilicæ, latumque per Intercolumnium ad Suburbium vetus, ad Cœnobium Sacræ Pœnitentiariæ, & hinc converso à dextris itinere ad insigne Nosocomium S. Spiritus in Saxia. Mirum quantus Populi concursus, quanta omnium devotio, præcipuè Cardinalium, & Prælatorum, & quanta in Summo Pontifice Pietas, & Religio. Vidisses illum Camelaucio tectum, submisso vultu, pedibus incedentem; vidisses, post perlectas Sanctorum Litanias, precariam quoque Beatæ Virginis, quam lævâ manu gestabat, Coronam recitare, & Populo dexterâ benedicere: Vidisses, inquam, illum, sicut & nos pluries conspeximus, veluti omnium Ducem, omnes ad Religionem provocare, & inflammare. Ita sanè superioribus annis Octavâ Sanctissimi Corporis Christi recurrente, dum moraretur in Vaticano, passus non est, sinè suo interventu Processionem à Clero Basilicæ celebrari. Etenim censuit idem Venerabile Sacramentum, jam à se ipso in ejus festo confectum, & solenni pompa per vias delatum, subindeque in eadem pretiosissima Custodia, quâ ipse inclusum gestaverat, publicæ venerationi expositum, & peculiari assistentiâ per totam Octavam à suis familiaribus Cubiculariis, & Scutiferis in Missis, & Vesperis de ipsius mandato excultum, non esse tandem, nisi eo ipso interveniente, reponendum. Quocircà per idem tempus, cùm instrueretur à Clero Basilicæ Supplicatio, descendit in Ecclesiam, & in genua provolutus; Sacratissimam Eucharistiam thure ab ipso in thuribulum injecto, Cardinale Archipresbytero ministrante, thurificavit, (cultum hunc absolutâ supplicatione iteravit) illamque per amplum Aræ Vaticanæ circuitum ab Episcopo Beriti Capituli Vicario, & quandoque à Canonico Archiepiscopo delatam, post umbellam, cujus octo hastas à suis totidem intimis Cubiculariis deferri mandaverat, pedibus proximè sequutus est, nudato capite, vultu ad obsequium composito, suâ ipse manu dexterâ quatrilibrem præferens facem accensam, spreto more eam præferentis Pincernæ, & sinistrâ percurrens precariam B. Virginis Coronam, raro quidem moderationis, & pietatis exemplo; quo permotæ nobiliores Matronæ præter consuetudinem è curribus desilientes, demissis in terram genibus, Augustissimum, dum transiret, veneratæ sunt Sacramentum: Quod non semel fecisse conspeximus, rejecto etiam pulvinari, Serenissimam Mariam Kasimiram Poloniæ Reginam, clarissimum Urbis decus, & ornamentum, ac ætate nostrâ firmissimum in Conjuge Joanne III. Christianæ Reipublicæ præsidium, ac munimentum.

Cæterum, ut unde digressus fueram, revertar, Sanctitas Sua, cùm pervenit ad Ecclesiam Sancti Spiritus, intrà Januam demissis super pulvinar stratum genibus, oblatam sibi Crucem exosculata est; tum surgens, immisso in Thuribulum thure, aspergillo aquæ benedictæ se ipsam, & circumstantes aspersit, & continuò fuit thurificata ab Eminentissimo Astallio ex præsentibus Presbyteris Cardinalibus antiquiore, qui & in cæteris minister erat: Dein ad faldistorium ante majorem Aram paratum rectà procedens, super eo procubuit nudato capite, ac Sacratissimam Hostiam magno Cereorum apparatu publicæ venerationi expositam adoravit. Idem subsequentes fecerunt Patres Purpurati in genua super pulvinaribus antea comparatis provoluti apud scamna tetragonismum efformantia extra gradum, quo ad Aræ majoris balaustium ascenditur, Episcopis intervallum ejusdem tetragonismi occupantibus. Duo antiquiores Episcopi Assistentes ad latera Pontificis ascenderunt, librum, & candelam ministraturi, & cùm Cantores pervenissent ad finem Litaniæ, Sanctitas Sua adhuc genibus positis dixit in cantu: *Pater noster* &c. secretò, deinde: *Et ne nos* &c.

Tum

Tum Cantores alternatim cantarunt Psal. 90. *Qui habitat* &c. Quo absoluto Sanctitas Sua cecinit sequentes preces:

℣. *Exaudi Domine supplicum preces.*
℟. *Et confitentium tibi parce peccatis.*
℣. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur.*
℟. *Et renovabis faciem terræ.*
℣. *Rogate quæ ad Pacem sunt Hierusalem.*
℟. *Et abundantia diligentibus te.*
℣. *Fiat Pax in virtute tua.*
℟. *Et abundantia in turribus tuis.*
℣. *Deus nè elongeris à me.*
℟. *Deus meus in auxilium meum respice.*
℣. *Fiat misericordia tua Domine super nos.*
℟. *Quemadmodum speravimus in te.*
℣. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*
℟. *Et salutare tuum da nobis.*
℣. *Respice Domine ad humilitatem nostram.*
℟. *Et non deseras nos in tempore tribulationis.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Et surgens prosequuta est in cantu feriali.

OREMUS.

Deus, qui nobis sub Sacramentō mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue, quæsumus, ita nos Corporis, & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus.

Deus, qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum: concede plebi tuæ piæ petitionis effectum; ut quibus dedisti fidem, largiaris & pacem.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram: ut nos, & famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Deus refugium nostrum, & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse pietatis, & præsta; ut quod in præsentibus necessitatibus fideliter petimus, efficaciter consequamur.

Deus, à quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera, da servis tuis illam, quam Mundus dare non potest Pacem; ut corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tuâ protectione tranquilla.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere mihi indigno famulo tuo, & dirige me secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ: ut te donante, tibi placita cupiam, & totâ virtute perficiam.

A cunctis nos, quæsumus Domine, mentis, & corporis defende periculis: & intercedente Beatâ, & Gloriosâ semper Virgine Dei Genitrice Mariâ, cum Beatis Apostolis tuis Petro, & Paulo, & omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus, & pacem: ut destructis adversitatibus, & erroribus universis, Ecclesia tua securâ tibi serviat libertate. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia secula seculorum.
℟. *Amen.*

Demum duo Cantores cecinere: ℣. *Exaudiat nos Omnipotens, & misericors Dominus.* ℟. *Et custodiat nos semper. Amen.* genua interim submittente iterùm Summo Pontifice, qui deinde, duobus Cœremoniariis tantùm inservientibus, demisso reverentiæ causâ, effusoque in terram Pontificiæ Vestis syrmate, ascendit ad Altare, ex quo debito in Eucharistiam cultu solennem super Populum effudit Benedictionem; ac postmodum descendens, postquam adhuc per modicum temporis intervallum, omnibus præbens pietatis exemplum, de genu supplex oravit, per lateralem Portam, quæ ducit ad Atrium Palatii Præceptoris Ordinis Sancti Spiritus, per quam & Clerus universus Ecclesiam ingressus recedens transierat, curru vectus, singulari Fidelium pietate contentus, in Vaticanum remigravit.

Postridie sequenti formulâ denunciatum est Consistorium semipublicum pro Canonizatione Beatæ Catharinæ de Bononia.

INTIMATIO

Per Cursores facienda, Domi quoque dimissâ copiâ.

Feriâ quartâ, die 18. *currentis mensis Maji, horâ duodecimâ cum dimidia, in Aula Ducali Palatii Vaticani erit Consistorium semipublicum, in quo Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales, necnon Reverendissimi Domini Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi Romæ degentes, Sententiam ferent super Canonizatione B. Catharinæ de Bononia Ordinis S. Claræ; eamque singuli divisim scriptam, & subscriptam consignabunt Domino Secretario Congregationis Sacrorum Rituum.*

Eminentissimi Domini Cardinales erunt cum Cappis violaceis ex Camelotto: Reverendissimi verò Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, duo Auditores Rotæ, necnon Procurator Fiscalis Cameræ Apostolicæ induti

duti erunt Cappis, quibus uti solent in Pontificia Cappella.

Iidem Eminentissimi Domini Cardinales singillatim assurgent detecto capite, cùm suas incipient ferre Sententias, easque sedentes tecto capite prosequentur.

Reverendissimi Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, ferentibus Sententias Eminentissimis DD. Cardinalibus, sedebunt tecto capite: Stabunt verò, cùm Sanctissimus Dominus Noster loquetur; Antequam eorum quisquam loqui incipiat, & similiter postquam proprium suffragium tulerit, genuflectet; Assurgent autem singuli statim ac primus Patriarcha Sententiam laturus assurget, sicque stabunt, donec ultimus Episcoporum Sententiam ferre desierit.

Ideo intimentur omnes, & singuli Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales, necnon Reverendissimi Domini Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi in Urbe præsentes, ac Domini Protonotarii Apostolici, duo antiquiores Rotæ Auditores, Secretarius Congregationis Sacrorum Rituum, Promotor Fidei, & Procurator Fiscalis Cameræ Apostolicæ, relicto etiam cuique eorum exemplari præsentis Schedulæ.

De mandato SS. D. N. Papæ.

Candidus Cassina Magister Cæremoniarum.

Horâ præstitutâ Eminentissimi Patres, & Reverendissimi Præsules in ejusdem Beatæ Catharinæ Canonizationem suffragaturi, ad Aulam Ducalem, ut in superioribus Consistoriis semipublicis ornatam, convenere etiam numero adaucti; Sanctissimus Pater, qualem decet Summum Pontificem, cæteris vigilantior, diluculò in Basilicam Vaticanam descenderat, ubi ad Aram juxtà sepulchrum Apostolorum in subterraneis positam Sacro confecto, novas, & solito diuturniores pias ad Deum preces adhibuit, animum etiam intendens in ea, quæ acturus erat post Consistorium, facto postmodum comprobata; ut scilicet in Albo Cardinalium S. R. E. descripturus Viros doctrinæ, muneris, pietatis, ac Religionis excellentiâ præstantes, Divino mereretur lumine illustrari: reversusque ad Apostolicas Ædes hinc ad Aulam Paramentorum descendit, & sacris indutus, exiit in Consistorium, quod ex more frequentissimum celebratum est.

Verba, quibus usa est Sanctitas Sua pro exquirendis suffragiis DD. Cardinalium, & Episcoporum super Canonizatione Beatæ Catharinæ de Bononia, sunt hæc:

VENERABILES FRATRES: *Mulierem Fortem, non procul, neque ab ultimis finibus vocatam, sed Nostris in terris natam invenimus; quæ non modò præliando bella Domini insignes de humani generis hostibus victorias reportavit, sed os suum aperiens Sapientiæ, quibus armis iidem hostes vincantur, scripto hac de re volumine, mirabiliter edocuit. Benè jam intelligitis, Mulierem hanc fuisse Beatam Catharinam de Bononia, quæ ab ipsis ferè incunabulis manum suam misit ad fortia, dum adhuc puella consuetis illius ætatis illecebris perpetuum bellum indixit: adultior verò adeò levavit se supra se, ut infirmitatem sexus in prodigium fortitudinis converterit. Nihil in illa nisi sanctum, nisi mirabile. Innocentia nedum securioribus inclusa septis, sed etiam inter Aulæ pericula sanctissimè custodita: Virginitas illibata: paupertas arctissima: obedientia admiranda: abstinentia semper austerior: amor in Deum quotidiè intensior: charitas in proximos undique exæstuans: profunda humilitas: contemplatio sublimis: conversatio cælestis.*

lestis. Non est igitur quod miremur, Catharinæ, quæ non aliàs, quàm de Deo, vel cum Deo loquebatur, futuros rerum eventus, revelante Deo, innotuisse. Non est quod miremur, innocentem, ac pœnitentem Virginem, quæ Christi bonus odor fuit in omni loco, etiam in sepulchro reconditam perennem dedisse odorem suavitatis. Fuit hæc Virgo sapiens, quam Dominus in multa patientia, in tribulationibus, in laboribus, in castitate, in scientia, in Spiritu Sancto, semper vigilantem invenit. Verè de numero prudentum, quæ sumpsit oleum secum Divini Amoris, eoque refertam lampadem suam usque ad Sponsi Cœlestis occursum inextinctam gestavit, omnium virtutum meritis, omnium charismatum donis prælucentem. Hæc omnia satis, superque Nobis persuadent, ut peractis jam iis, quæ ad humanæ prudentiæ modum pertinebant, splendidam hanc sanctimoniæ lucernam, quam Deus ipse insignium miraculorum luce fulgidiorem reddidit, non in abscondito, neque sub modio, sed super candelabrum Ecclesiæ solenniter collocemus: adeòque Beatam Catharinam de Bononia Sanctæ appellatione, parique appellationi cultu, ac Sanctis Virginibus debito honorandam pronunciemus. Quia tamen de re statuendum est, quæ humana transcendit, divinam opem ferventiùs semper implorare non cessantes, maturiùs adhuc de eadem re cum Fraternitatibus Vestris deliberandum censemus. Vestræ itaque pietatis, ac sapientiæ erit edicere, quid in hac gravissima consultatione sentiatis.

His intensissimo animo exceptis, Eminentissimi Patres, dein Reverendissimi Præsules ordine, quo infrà notantur, consuetoque ritu suffragia protulere.

NICOLAUS Episcopus Portuensis Cardinalis Acciajolus.

BEATISSIME PATER: Beata Catharina Seraphici Ordinis professa, cui Bononia ortum, Ferraria Originem, utraque diuturnum domicilium præstitit, infallibili Sanctitatis Vestræ judicio Sanctarum Virginum fastis adscribenda proponitur. Quâ in re, cùm plura, & quidem præclara mihi suppetant argumenta virtutum, quibus veluti monilibus ornatam Sponsam suam Dominus concupivit, illa præ cæteris admiranda videtur humilitas, quâ nihil præstantius Catharina, nihil amabilius habebat. Per hanc, tametsi mirabilis in omnium oculis appareret, contemptibilem tamen adeò se reputabat, ut inter alia sui contemptus experimenta præclarissimum illud videatur, quod egregium à se scriptum de septem spiritualibus Armis volumen in odium Authricis flammis damnaverit. Facinus prorsus insigne, quod (jubente Deo, ut librum denuò scriberetur) divinitùs commendatum extitit, & emendatum. Respexit itaque Deus humilitatem Ancillæ suæ, & inter magna, quæ illi contulit ad sanctitatis manifestationem miraculorum dona, illud veræ admirandum

randum ad hæc usque tempora cernitur, quod non dedit Corpus suum videre corruptionem, itaut de hac etiam Virgine quasi dici posset: *Non est mortua Puella, sed dormit.* Propter hæc, & alia quamplurima, BEATISSIME PATER, Supremo Sanctitatis Vestræ Judicio comprobata Beatam Catharinam in Sanctarum Virginum Catalogum referendam & ipse censeo.

GASPAR Episcopus Sabinen. Cardinalis de Carpineo.

BEata Catharina Bononiensis, Alexandrinæ Virgini, Nomine, Doctrina, Virtutibus meritò comparanda, jure etiam, BEATISSIME PATER, est illi & gloriâ, & decretis de more publicis honoribus exæquanda. Si enim piè defunctas Sanctimoniales eo loco, quo Martyres, ad Altaris Sacramenta ex præclarissimo testimonio Ecclesiasticæ auctoritatis esse deputandas Sancti Patres perhibuerunt, quis hac gloria fraudandam esse nostram hanc Virginem dixerit, quæ ab ipsis innocentis Pueritiæ annis, gratiarum Dei, qui ubi vult spirat, dulcedine perfusa, illarumque æstu voluptatis abrepta, per omnes etiam altissimæ contemplationis virtutes exercita, nobis ostendit quantùm efficiat gratia Dei in iis Animabus, quæ Spiritui Sancto non resistunt, sed ipsum corde retinent, & complectuntur, dum per spiritualium donorum, atque gratiarum perennem influxum, suæ salutis opus perficiunt, quod ab iisdem præventæ incœperunt; Quod cùm vivens abundanter consecuta fuerit, & constanter perfecerit Beata Catharina, convenit quoque, ut ipsa, quæ ad Sanctorum gloriam ascendit, inter Sanctorum Cives decreto Sanctitatis Vestræ sanciatur.

FABRITIUS Episcopus Prænestinus Cardinalis Spada.

QUæ est ista, quæ progreditur septem spiritualibus armis præcincta, atque adversùs tenebrarum Principem strenuè dimicans, ut Castrorum acies ordinata? Hæc est, BEATISSIME PATER, Cœlestis illa Heroina non tam speciosa, quàm fortis inter filias Hierusalem, apud Deum nota, & apud homines, Beata Virgo Catharina de Bononia, quæ adhuc in Aula Principum seculo bellum indicens, blandissimum hostem Regulari deinde observantia, ac perfectioris vitæ studio penitùs profligavit: Quis verò enumeret tot illustria hujus Virginis trophæa, quibus interdum, vel contemplatione elevata, vel ecstasi rapta, inter Cœlites adesse, & Deiparæ frui consortio, mortali nondum exuta sarcina promeruit? Cùm itaque his præclara triumphis, ad Thalamum Divini Sponsi translata, in ipso gloriosè jam regnet; reliquum est, BEATISSIME PATER, ut à Sanctitate Vestra eidem Beatæ Virgini planè debiti Cœlestes decernantur honores, & novo hoc militans Ecclesia præsidio, ac munimento roboretur.

GALEATIUS Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyt. Card. Marescottus.

BEATISSIME PATER: Timoris Domini educata lacte Beata Catharina, ab ipsa ferè Infantia omnium virtutum rudimenta præsetulit, quæ charitate vivificante, simul cum ætate, uberrimum receperunt incrementum; liberalitatem nempe in pauperes, humilitatem, obedientiam, invictam in laboribus fortitudinem, contemplationis ardorem, & cætera spiritualia ornamenta, quæ in hac Virgine admiramur. His à Domino ditata, de manu ejus alia quoque dona suscepit, ut futura prædiceret, Cœlitum visione vivens frueretur, ac speciali prærogativa, ejus exanime Corpus incorruptionis dote, cum suavi ab ipso promanante odore, potiretur. Quæ maturè considerans, & respectivè propriis oculis cernens Clemens VII. Pontifex, ei primos Religiosi cultus concessit honores, quibus, novis deinde adjectis signis, & probationibus, ad Ecclesiæ triumphantis gaudium, & militantis præsidium, Sanctitas Vestra supremam imponet meritò manum, declarando Beatam Catharinam in numero Virginum prudentum esse, quæ veniente Domino introivit cum eo ad nuptias.

JO: FRANCISCUS Tit. S. Mariæ in Aracœli Presbyt. Card. Nigronus.

BEATISSIME PATER: Beata Catharina de Bononia jam inde ab ineuntis ætatis primordiis in omni virtutum genere ita floruit, ut meritò reliquis, benignâ præsertim in Pauperes misericordiâ, non solùm exemplo, sed senili quadam ætatem superante prudẽtiâ, admirationi fuerit. Sed quam Dominus elegerat sibi in Sponsam, à vanis Mundi illecebris, & seculi tumultu solutam, habitare fecit in Tabernaculo suo, ut reliquarum Virginum recrearetur consortio, futura deinde earundem Mater, & Magistra. Et profectò institutam perfectionis viam, & jam animo concupitam præclarè confecit,

charitate in Deum, quam sanctæ orationis, divinæque contemplationis studio fovebat; constanti humilitatis proposito, quod vilium ministeriorum exercitatione, & perpetuo sui ipsius contemptu enutriebat; obedientiâ in Prælatos, & Superiores suos, quorum non modò voluntati, sed etiam desideriis se integrè litaverat; voluntariè susceptis corporis afflictationibus, quibus carnem suam castigabat, & reliquarum virtutum usu, & ductu, quarum odore cunctas in sui venerationem sorores alliciebat, & in quarum proventum à Domino supernis donis, illustriumque gratiarum ornamentis meruit cumulari.

Quare, BEATISSIME PATER, justè retribuendus est illi honor, quæ tantoperè, dum vixit inter mortales, eundem refugit; & publico, solennique ritu referenda est in Canonem Sanctorum, quæ jam à Cœlesti Sponso in exultatione, & lætitia adducta in Templum Regis est, Sanctarumque Virginum Choro adscripta.

FULVIUS Tit. S. Petri ad Vincula Presbyt. Card. Astallius.

BEATISSIME PATER: Trina complentur jam secula ex quò Beata Catharina Bononiensis terris est nata; ubi medii sæculi spatium sanctè vivendo emensa, Cœlum meruit, ac Triumphantis Ecclesiæ Choris adscripta est. Quidni ergo putemus, advenisse jam plenitudinem temporum, ut militantis quoque Ecclesiæ fastis adnumeretur? ejusque mirandæ, colendæque virtutes ab universis Fidelibus nunc potissimùm celebrentur Festo quodammodo seculari? Fuit illa reverà *Virgo Sapiens*, & vigil, non sinè præsagio natales sortita in Civitate sapientiæ, & doctrinarum altrice. Sapientiam mente, & corde, manuque præsetulit; & juxtà Bernardi monitum, [1] *Cor ad Deum levavit cum manibus*. [2] *Os suum aperuit sapientiæ*, ut ostendit laudatissimum de vita spirituali, & perfectione volumen: *Manum suam misit ad fortia*, atque per gravissimas tentationes, voluntarias afflictationes, & adversitatum perpessiones perrexit ad Palmam. Ex Ambrosii sententiâ: [3] *De Cœlo accersivit* Angelicæ puritatis exemplum, *quod imitaretur in terris*; idque tam potenti candoris immaculati activitate, ut *ex anima redundaret in corpus incorruptionis vigor*. Sic illa, ad Domini sui præscriptum, semper secum detulit oleum, quin & balsamum charitatis, nè excluderetur à nuptiis. Sic eadem virtutum omnium fimbriis ornatam [4] *vestem sibi nuptialem* contexuit, ut in decore, & gratia [5] *intrare mereretur in gaudium Domini sui*. Verbo dicam: quod Cyprianus requirebat in Virgine, cumulatissimè illa explevit; [6] *Provecta annis junioribus præbuit magisterium, minor natu exhibuit majoribus ministerium, & comparibus incitamentum, atque ita agendo duravit fortiter, spiritualiter processit, pervenit feliciter.*

Censeo itaque, SANCTISSIME PATER, hanc quoque Beatam Virginem tribus aliis esse connumerandam, quibus dum Sanctitas Vestra solenni, & irreformabili sententia sua Sanctorum honores, & venerationem decernet, illustrem simul reddet hunc annum consignandum deinceps in Fastis titulo *Sanctorum quatuor in eo Coronatorum*: tùm accessione quatuor horum Syderum serenabit Ecclesiæ Cœlum, ac demum universis Fidelium ordinibus; Præsulibus nimirum in B. Pio: Sacerdotibus in B. Andrea: Religiosis in B. Felice: Mulieribus in B. Catharina: nova, eaque splendidissima virtutum omnium exempla, & fortia patrocinia comparabit.

BANDINUS Tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Panciaticus.

BEATISSIME PATER: Sacris tribus Heroibus adest socia, par singulis, Heroina. Mirabilis Deus in Sanctis suis, eligens infirma mundi, ut confundat fortia, in sanctitate nullam voluit inter utrumque sexum meritorum disparitatem; Hinc plures efformavit Deiparæ Matri Discipulas, ut adducerentur Regi Virgines post eam. Beata Catharina, has inter electa, generis nobilitatem nobilitate virtutum antevertens, Aulæ Estensis splendore, ubi educabatur, veluti tyrocinio Claustralis perfectionis, usa, cupientissimis votis cooptari inter Divi Francisci filias obtinuit. Ibi inter humiles humillima, inter Virgines Angelica præoccupavit, vel è terris, audire Angelicos cantus, & Cœlestium visionum, & Prophetici spiritûs particeps, abjectissimam tamen corde toto se reputabat. Dignitatem Abbatissæ, nonnisi coacta præcepto obedientiæ, acceptam, ex solo nutu charitatis administravit. Nunc quoque in virgineo incorrupto Cadavere, quasi superstitem, ut à labe culpæ Deus servavit immunem, ita à vermibus peccati filiis præservat incolumem. Dignissimam

[1] *Bern. de Div. am.* [2] *Prov.* 31. [3] *Ambros. de Virgin.* [4] *Matth.* 25. [5] *Matth.* 22. [6] *Cyprian. de habit. Virg.*

mam propterea reor, quâ, Sanctitas Vestra, numerum Sanctarum Virginum, Sponsarumque Christi adaugeat, & exornet.

FERDINANDUS Tit. S. Balbinæ Presbyt. Card. de Abdua.

BEATISSIME PATER: In Mundo penè sinè Mundo vixit Beata Catharina de Bononia. In ipso blandientis Aulæ sinu, inter gemmas, & sericum, inter exquisitas epulas Cœlestem sibi ædificavit solitudinem, ac talem vivendi rationem inivit, qualem postea Deo penitùs consecrata consummavit. Angelicas in se virtutes expressit, Angelorum Domino desponsata. Orationi jugiter intenta inter Cœlites potius, quàm inter homines versari visa fuit: unde & Choros Angelicos Divinum Trisagium dulciter canentes audire, & Deiparam ipsam Puerum Jesum in ulnis gestantem videre meruit, ut in hac etiam vita certam futuræ gloriæ, Divinæque visionis arrham acciperet. Datis egregiis divinarum virtutum exemplis, cursum suum implevit, fidem servavit, & nunc fruitur præmio Justitiæ, sequiturque Agnum quocunque vadit. Tutò itaque, BEATISSIME PATER, in Sanctarum Virginum Albo describere potest Sanctitas Vestra candidam hanc Sponsi Agnam, cui ob insignia probata virtutis documenta Coronam à Domino collatam credimus in æternum: ut cujus in Cœlis Anima Thronus est Divinæ sapientiæ, cujusque Corpus mirabiliter sedens vivum exhibet omnipotentiæ miraculum, ejus in Terris gloria stabilis permeneat, stetque Thronus ejus in Ecclesiæ auctoritate fundatus, quæ columna est, & firmamentum veritatis.

THADDÆUS ALOYSIUS Tit. S. Alexii Presbyt. Card. de Verme.

BEATISSIME PATER: Catharina Vegri de Bononia speciosa inter filias hominum, honestis Parentibus, Patre Ferrariensi, Matre Bononiensi orta, pietatem cum lacte visa est ebibisse. Puerile siquidem nihil habuit unquam præter ætatem. Literas latinas in Urbe scientiarum Magistrâ feliciter edocta, majores tamen in pietate progressus habuit: probè sciens maximam scientiarum esse scientiam Sanctorum. Indè duodennis Ferrariam translata, & inter nobiles Aulæ Principum Puellas adscita, Aulam in sanctitatis Lyceum penè transformavit: Ea nimirum modestiæ, & pietatis præbuit exempla, ut omnium animos facilè sibi devinxerit; omnium mores in melius immutaverit: Quia verò solitudinem amat Sponsus Animarum, ut ad earum cor securiùs loquatur; ideo Catharina multitudinem exosa, se piarum Virginum Cœtui Comitem adjunxit, & cum eis deinde Sanctimonialis habitum, & Regularem clausuram amplexa est, ubi liberiùs sibi, Deoque vacans, per quadraginta, & ampliùs annos Ferrariæ transactos, Cœlestibus pluries recreata visionibus, tam præclara ostendit sanctitatis documenta, ut Bononienses Cives de ea ad se revocanda deliberaverint. Eò igitur se contulit dolentibus, & invitis Ferrariensibus, quod sibi eximium decus, & pretium eriperetur, futurum tamen aliquando utriusque Civitatis ornamentum singulare. Bononiæ verò, postquam piarum Virginum Cœtum sanctissimè constituit, eisdem mox regendis est destinata, ut scilicet tanta virtus super candelabrum posita inter Claræ claustra clariùs emicaret, & cæteris utiliùs præiret exemplo. Præivit siquidem, & omnium virtutum usque ad mortem tam insignia dedit testimonia, ut etiam post mortem à Deo meruerit illustrari; nam cùm humatum corpus, octodecim diebus elapsis, è cœmeterio extraheretur, non solùm intactum apparuit, & usque dum perseverat, sed suavi fragrans odore, mira pulchritudine, & luce ornatum refulsit. Debebatur enim incorruptis moribus Catharinæ, ut corruptionis vulnera non sentiret corpus illud post mortem, quod vivens omnem à se vitiorum fœditatem propulsaverat, & post cineres quasi vivum appareret, quod, dum viveret, lilium candoris, & fructus fuerat honestatis.

Ut igitur suum virtuti sit præmium, & Bononiæ amatissimæ Urbi, Ferrariæque dilectissimæ Sponsæ, ego parens, & Civis hanc amantis animi significationem ostendam, Sanctitatem Vestram, Ecclesiæ Caput visibile Sancto Spiritu afflatum, ardentissimè deprecor, ut Beatam Catharinam Sanctorum numero dignetur adscribere, hoc ejusdem præclaris meritis exposcentibus.

FR. THOMAS MARIA Tit. S. Clementis Presbyt. Card. Ferrarius.

BEATISSIME PATER: Per Sancta, & Cœlestia quatuor animalia, quæ juncta simul Ezechiel Propheta vidit in spiritu mysteria futurorum, quamvis B. Gregorius omnes in via Dei perfectos significari docuerit, peculiari tamen quadam ratione præsignatos mihi videor intueri quatuor Beatos, quos non absque supremo ineffabilis Providen-

tiæ consilio cogitat Sanctitas Vestra una Canonizationis solennitate sociare. Per Leonem, nimirum, ob Regalis Sacerdotii dignitatem, atque impavidam animi fortitudinem Pius V. Per hominem ob singularem in conscientiis moderandis prudentiam Andreas Avellinus: Per animal Bovis habens similitudinem, ob indefessam onerum, ac laborum sub obedientiæ jugo tolerantiam Felix à Cantalicio: Per quartum tandem, cui vultus Aquilæ, Beata Catharina de Bononia præsignatur. Aquilæ sanè simillima, oculo, & pennis, sublimitate scilicet contemplationis, & volatu Cœlestium charismatum, & virtutum. Quæ postquam à primo rationis diluculo ad veri Solis radios cordis oculos erexit, æterni luminis amore succensa, à Mundi hujus tenebris prorsus abhorruit, nullisque sæculi laqueis, nullis carnis oblectamentis, nullis hostis insidiis præpediri, seu irretiri unquam potuit, nè ad sublimiorem Christianæ perfectionis apicem pervolaret. Ponens in arduis nidum suum, nempe terrena omnia despiciens, fide, spe, dilectione de Cœlestibus innutrita. Quàm altè in gratia sanctitatis felix Catharinæ spiritus ad superna semper intendens sese elevaverit; immo potius eum elevaverit Altissimus, quàm excelsum gloriæ gradum in Regno Cœlorum conscenderit, nemo novit, nisi qui nec Salomoni cognitam novit viam Aquilæ in Cœlo. At quantùm virgineum Catharinæ corpus ultra omnes humanæ mortalitatis terminos Divina Potentia elevaverit, totus Mundus videt, & obstupescit, nosque oculis nostris aspeximus, & manus nostræ contrectaverunt. A tribus circiter seculis corpore mortua Catharina est, & tamen quotquot eam vident, non est, inquiunt, mortua, sed dormit; imò nec dormit, sed Virgo Sacrarum Virginum Mater oculatissima vigilat ad custodiam horti Sponsi sui, nè à virore disciplinæ unquam deficiat, atque intacta serventur, inter quæ idem Sponsus pascitur, lilia pudoris. Quòd vivens mortua fuit Mundo consepulta cum Christo, mortua adhuc apparet vivens extra sepulchrum. Non jacet in tumulo, sed sedet, quasi in cathedra Doctrix disciplinæ Dei, Magistra fidei, custos integritatis; redolentque sacri corporis membra, ut Ambrosii verbis utar, fragrantiam resurrectionis: ejusque caro non vidit corruptionem, nec odore aliquo mortis emarcuit, æterni floris, & semper virentis odore perfusa. Quid igitur? Numquid (liceat mihi Divinum Oraculum apud Job Sanctitati Vestræ repetere) numquid ad præceptum tuum elevabitur Aquila? Ad Sanctorum, inquam, nomen, & cultum Catharina de Bononia elevabitur? Sanè quidni elevabitur? Quam Deus tam miris prodigiis, tam singulariter, ac sublimiter elevavit. Jungatur itaque Catharina Pio, Andreæ, ac Felici, compleatque illa Cœlestem quadrigam, quâ elevabitur gloria Domini, gloria Ecclesiæ militantis, ac triumphantis, eritque Christianæ Reipublicæ ex tot multiplicatis Intercessoribus nova, eaque potentissima super omnem gloriam protectio.

JOSEPH Tit. S. Mariæ Transpontinæ Presbyt. Card. Sacripantes.

BEATISSIME PATER: Dominus dedit benedictionem, & terra nostra dedit fructum suum, fructum quidem honoris, & honestatis in Beatæ Catharinæ de Bononia admirabili sanctitate, quæ merito virginitatis, & charitatis eximiæ Cœlesti Sponso juncta est in Terris, & pervenit ad nuptias Agni: Prudentes enim Virgines imitata, accepit oleum in vasis suis cum lampadibus, cùm abdicatis rerum humanarum curis, ut esset Sancta corpore, & spiritu, solùm quæ Domini sunt cogitavit, & Cœlestem planè vitam instituens de Cœlo arcessivit quod imitaretur in Terris. Fuit autem fortitudo, & decor indumentum ejus, nam contra Diaboli insidias, & impetus Mulierem ita fortem se præbuit, ut verè sit de ultimis finibus pretium ejus. Sanctis verò contemplationibus ita fuit intenta, ut tota ejus conversatio in Cœlis esse videretur. Hinc supernis illustrationibus, donisque Divinis affluenter cumulata, non solùm futura prædixit, sed Sanctos interdum præsentes habuit, & Deiparam Virginem cum Puero Jesu videre commeruit. Quamobrem, cùm inter Sanctimoniales tanto splendore sanctitatis prælucerct, Regularem inter Virgines disciplinam mirificè illustravit, & propagavit. Erant enim illius verba, & exempla lampades ignis, atque flammarum, quibus denique feliciter absumpta de terreno exilio migravit ad Patriam Beatorum, & Virginum Sponsum adepta est in Cœlis, quem in Terris posita tota dilectione quæsivit. Testis verò felicitatis æternæ miraculorum claritas affulsit, & perenni Divinæ Clementiæ signo corpus illius, velut induerit immortalitatem, mortalis corruptionis detrimenta non novit. Sanctarum ergo Virginum fastos exornet, & Vestræ Sanctitatis Oraculo prædicet Ecclesia immortalem memoriam

moriam illius, quæ apud Deum nota est, & apud homines.

JO: BAPTISTA Tit. S. Cæsarei Presbyt. Card. Spinula.

NIhil opportuniùs, Beatissime Pater, accidere poterat, quàm quod trium Virorum sanctitati publicis decretis honoribus, triumphalis gloriæ comes accedat & Femina, ut dum in omne hominum genus, in omnem personarum conditionem, & statum tam uber Divinæ gratiæ largitio spectanda proponitur, habeat etiam fragilis sexus unde & incendatur ad pugnam, & invitetur ad Palmam. Jure autem optimo honores in præstantioris sanctitatis testimonium institutos illustri Virgini Beatæ Catharinæ de Bononia deferendos existimo: Illa enim plusquam virili animo spretis paternæ Domus opibus, præclaræ Aulæ blandimentis, omniumque humanarum rerum illecebris, se ipsam Deo Optimo Maximo perjucundam Hostiam ad sacrificium præbuit; sub severioribus Divi Francisci legibus corpus suum in assiduam servitutem redegit; humilitatem singularem cum sacrarum literarum peritia, & admirabili Cœlestium charismatum affluentia conjunxit; tantâque demum spiritualis perfectionis excellentiâ enituit, ut aliis etiam ad eam comparandam Dux, & Magistra divinitùs data videretur. Postulant igitur tam eximiæ hujus Beatæ Virginis virtutes, ut ejus nominis memoria Sanctitatis Vestræ decreto ad ampliorem cultum, & venerationem consecretur.

FABRITIUS Tit. SS. Joannis, & Pauli Presbyt. Card. Paulutius.

BEatissime Pater: Perenne incorruptionis miraculum, quo famulæ suæ Catharinæ Bononiensis corpus mirabilis Deus in Sanctis suis illustrare dignatus est, perenne illius sanctitatis est testimonium, cui cùm eximiarum virtutum, ac illustrium miraculorum, quæ ritè, ac ordine probata sunt, certissima accesserint documenta, æquum planè, & opportunum existimo, ut Sanctitas Vestra præclaram hanc Virginem Sanctis ab Ecclesia colendis adnumeret.

FRANCISCUS Tit. S. Eusebii Presbyt. Card. Martellus.

BEatissime Pater: Beata Catharina Virgo ex Monialibus Ordinis S. Claræ, quam olim, veluti fulgentissimum Solem nascituram, patri Cœlestis visio prænuntiavit, duobus, & ultra seculis jamdiu elapsis post ejusdem excessum ad Superos, ritè nunc in Terris referenda videtur eos præsertim inter Justos, qui fulgent sicut Sol in Regno Patris eorum juxta Euangelicam sponsionem. Id enim à Sanctitate Vestra jure meritò exposcunt heroicarum virtutum, & miraculorum documenta quamplurima, quæ multo jam tempore maximè celebrantur, atque illius sanctitatem magìs, magìsque testatam faciunt: & tanquam scintillæ discurrunt in militanti Ecclesia, ut Pontificio superveniente Oraculo ejusdem Beatæ cultus ad Christifidelium utilitatem, ac majorem Dei Gloriam, qui mirabilis est in Sanctis suis, latiùs, firmiusque propagetur.

LAURENTIUS Tit. S. Susannæ Presbyt. Card. Corsinus.

PRiscarum Bononiensium Virginum mos fuit, Beatissime Pater, mundanis sese abdicando deliciis virginitatis Sacrarium fœderato agmine incolere. [1] *Sinè contubernali sexu, contubernali pudore, relicto Parentum hospitio, tendebant in Tabernaculis Christi indefessæ milites castitatis. Nunc personabant spiritalibus canticis, nunc exercebant victum operibus*, semper *Christo Sponso se amoris hostiam litabant*. Sic splendido laudum præconio eas efferebat Ambrosius.

In commendatissimis hisce Virginibus coloratam affabrè intueor clarissimam earum Concivem Beatam Catharinam de Vigriis. [2] *Desiderio Cœlestium nuptiarum declinavit* & ipsa *mortale Conjugium*, & caduci thori libamento ad Aras decreto *perpetuam Virginem se Virginis Filio spopondit*.

Hinc fluxarum rerum magnanimus ille contemptus, hinc speciosissimi sui Salomonis exæstuans illa dilectio. [3] *Ecquod orationis tempus, ecquis locus eam fefellit? Divinæ, nocturnæque Psalmorum cantioni, quæ se ipsam magìs affixit?* Et perdia, & pernox [4] *in Regis introducta Cellariâ*, aut [5] *floribus esset fulcita*, aut *malis stipata* amore inocciduo languebat.

Credi-

[1] *Ambrosius lib. 1. de Virgin. cap. 10.* [2] *Ex Leon. Magn. seu Prosp. Aquit. vel alio quicunque sit Auct. epist. ad Demetriadem.* [3] *Gregor. Nazianzen. orat. de funer. Patris, in vers. Bill. Prun.* [4] *Ex Cant. 1.* [5] *Cant. 2.*

Crediderim ego, PATER BEATISSIME, quòd ſicut olim Ambroſius prælaudatas Chriſti deſponſas ingenuo puritatis illicio in exemplar poſuit ſuæ Urbi; Sic Sanctitas Veſtra præclaro fœnore Eccleſiæ, [1] *ceu tabulam communem virtutis* objiciet eam toti Orbi. Inauguretur itaque Sanctarum Virginum faſtis, Cœleſtibuſque auctam honoribus, infallibili Sanctitatis Veſtræ decreto, thure, preceque excolamus.

FRANCISCUS Tit. S. Cæciliæ Presbyt. Card. de Acquaviva.

BEATISSIME PATER: Super gemina virtutum fundamenta magnum ſanctitatis ſuæ ædificium extruxit Beata Catharina, charitatis ſiquidem, & humilitatis; In prima verò Spiritus Sancti dictamine roborata in illis verbis: Qui miſeretur pauperi beatus erit, ab incunabulis vix egreſſa imbecilles manus in pauperum ſubſidio charitatis operibus exercuit. Creſcente verò ætate crevit etiam charitatis incendium, itaut exemplum omnibus plus admirandum, quàm imitandum ſe præbuerit. In humilitate verò exercenda devotiſſima Virgo gratiam Sponſi ſui, qui tam multa humilibus promiſit, plenè inveniſſe credendum eſt, nam (quod perfectius videtur) in jubendo potius, quàm in obediendo, veram humilitatem exercuit. Hiſce igitur fundamentis potuit enixè cogitare, quæ Domini ſunt, ut eſſet ſancta corpore, & ſpiritu, & à Deo obtinere gratias, quibus in Terris ſanctitas abundare ſolet; nam non adhuc mortalis carceris ſoluta vinculis, magnam Cœleſtis beatitudinis partem aſpexit, dum audire meruit Angelorum concentus, & Cœlorum Reginam Puerum Jeſum in ulnis geſtantem videre, & nequid Cœleſtis gratiæ ipſi deeſſet, etiam prophetiæ dono cumulata fuit. Hæc, dum vixit; poſt obitum etiam glorificavit Deus multiplicibus ſignis Ancillam ſuam. Quapropter Sanctitas Veſtra honores Sanctorum Beatæ Catharinæ, quæ tot virtutibus, & miraculis decorata gaudet in Cœlis, illi diutiùs differre non debet in Terris.

PHILIPPUS ANTONIUS Tit. S. Chryſogoni Presbyt. Card. Gualterius.

BEATISSIME PATER: Habemus in Beata Catharina de Bononia Virginis ſapientis, & prudentis exemplum undequaque perfectum. Habemus virginitatem non ſterilem, ſed heroicis virtutibus fœcundam. Habemus & flores, & fructus; Hæc enim Virgo lampade non vacuâ, ſed oleo charitatis plenâ in occurſum Sponſi Cœleſtis exivit. Facta perfectionis Magiſtra innumeras poſt ſe Virgines ad Deum adduxit, & Beatæ Claræ Inſtitutum fœtu novæ Prolis amplificavit; Igitur, BEATISSIME PATER, jure optimo poterit Sanctitas Veſtra in Sanctarum numerum referre Virginem Catharinam meritorum, & miraculorum teſtimonio longè, latèque celebratam.

JOSEPH Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyt. Card. Vallemanus.

CHriſti, BEATISSIME PATER, bonus odor, quem Beata Catharina de Bononia, & ſicut Lilium virginitate candidum, & ſicut Roſa charitate fervens, dum vixit, effudit, ita fragrans perſeverat, ut ex incorrupto corpore virtutes heroicas ab hac Virgine olim editas adhuc ſpirare, ac novos Virginum choros ad Cœleſtem Sponſum attrahere videatur. Æquiſſimum proinde exiſtimo, ut Sanctitas Veſtra Sanctarum Virginum laureolam eidem prudenti Virgini ſtatuat in Terris, quæ ſumpto ſecum oleo cum lampade, diù eſt, quod acceſſit ad nuptias Sponſi ſui.

RAYNUTIUS Tit. S. Agnetis extra mœnia Presbyt. Card. Pallavicinus.

BEATISSIME PATER: Da amantem, & ſentiat quid dicam de Sponſa Chriſti Catharina, tam in ſeculo, quàm in Clauſtris vias Domini adeò cuſtodiente, ut viſa ſit nè dum manu duci, ſed hodierno Euangelio ad Sponſum trahi; quippequæ ſemper cum Deo, & de Deo loquuta, cum eo voluit eſſe, quæ ſinè illo eſſe non potuit particeps Deitatis ejus, non de ſuo, ſed de ipſius, quem amando intellexit, quem intelligendo dilexit, quem auditis inter Miſſarum ſolemnia canentibus Angelis, viſâ cum Puero Jeſu Matre, viſo Thoma Cantuarienſi, & Franciſco Patre, mirificè expreſſit in libello ſeptem armorum, velut ſeptem ſigillis obſignato; et ſi humilitate ſuadente eundem in ignem projecerit, debuit Spiritu Sancto imperante reſcribi, ut apud Hieremiam: *Rurſus tolle volumen aliud, & ſcribe in eo omnes ſermones priores, qui erant in primo*: Scripſit, Directori tradidit, & à Clementibus VII., VIII., XI. virtutibus, & miraculis comprobata veritate geſtorum coram Apoſtolico San-

[1] *Gregorius Nazianzen. orat. in laud. Baſil. Magn. ex verſ. Jacobi Bill. Prun.*

Sanctitatis Vestræ Judicio, ad eandem fastis Sanctarum conscribendam sistit, trahitur, & Sapientum vota Fidelium attrahit, quæ amando sinè læsione corporis, & cordis vinculo ad se amorem Sponsi traxerat; & quia omne corruptum de Terra respuit, etiam corruptibile mortale ipsius super Terram induit incorruptionem, & immortalitatem.

JO: DOMINICUS Tit. S. Anastasiæ Presbyt. Card. Parraccianus.

BEATISSIME PATER: Amore erga Deum, charitate erga Proximum, Beata Catharina de Bononia Virgo sapiens, & una de numero prudentum optimo jure dici debet: Illibata enim castitate, invicta patientia, singulari vitæ sanctimonia, aliarumque virtutum varietate circumamicta se Cœlesti Sponso placituram exhibuit; Quid mirum, si amore sancto saucia, signa dederit vivens supra humanam conditionem, & post mortem Cœlesti corpus imbutum aromate corruptionem non patiatur? Meritò igitur Virginem adeò virtutibus plenam Cœlestis Sponsus solenni gaudio suum in Cœli thalamum recepit ad nuptias immortales; & meritò Sanctitas Vestra solennioribus gaudiis in Catalogo Sanctarum Virginum annunciabit in Ecclesia, ut ipsa, simulque cum ea Cœlestibus augendi honoribus Beati Pius, Andreas, & Felix, tanquam Agni novelli, stent ante Thronum Dei, & precibus, meritisque suis efficiant, ut Clementissimus Dominus Sanctitati Vestræ largiatur opportunam in præsentibus necessitatibus opem, Populumque suum ad se clamantem ab omni adversitate custodiat.

JOSEPH Tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio Presbyt. Card. de la Tremoille.

BEATISSIME PATER: Virorum sanctitate illustrium, quorum gloria gaudia nostra multiplicavit, coronat elenchum Virgo sapiens, & una de numero prudentum Beata Catharina de Bononia, quæ à prima usque ætate Cœlestis Sponsi nuptiis adspirans, non dormitavit, neque dormit, sed lampadem accensam oleo altissimæ meditationis, & ferventissimæ charitatis continuò paratam habuit. Sivè ageret, sivè contemplaretur, lucerna ardens fuit ornata charismatibus melioribus. Vivens promerita est videre Christum Dominum: moriens, bonum Christi odorem servavit; Cùm ergo oleum effusum sit nomen ejus, curramus in odorem unguentorum suorum, & vigili Sponsæ, quæ intravit ad nuptias, festivum canere liceat, Sanctitate Vestra jubente, Epithalamium.

CAROLUS AUGUSTINUS Tit. S. Augustini Presbyt. Card. Fabronus.

BEATISSIME PATER: Ecclesia Catholica, Sponsi Cœlestis, qui pascitur inter lilia, hortus irriguus flante Spiritu ejus, & Divinarum gratiarum fluentibus aquis assiduè fœcundatus, multiplices omni tempore emittit eximiæ sanctitatis flores, è quibus Christi bonus odor usquequaque diffunditur, & novi quotidie ad Divini nominis gloriam, & orthodoxæ Religionis decus erumpunt fructus honoris, & honestatis. Flos quidem inclytus, ac planè mirabilis, BEATISSIME PATER, extitit Beata Catharina Bononiensis Virgo clarissima, quam modò Sanctis adscribere meditatur Sanctitas Vestra. Floruit enim in agro seculi à primis annis tenerâ in Deum pietate, ac pronâ erga egenos miseratione, veluti primis futuræ sanctitatis erumpentibus gemmis; floruit inter secularis Aulæ blandimenta quasi lilium inter spinas, custodito innocentiæ candore; sed longè feliciùs, tanquam in horto concluso, floruit inter sacras Virgines collocata, immò sacris Virginibus in via Domini Dux, exemplum, & Institutrix. Nimirum, Sanctis Thoma Cantuariense, & Francisco Assisinate sibi à Deo Præceptoribus specialiter constitutis, perpetua sui ipsius, demissione contemptrix, abnegatione victrix, sacræ lectionis assiduitate, orandi studio, & rerum Cœlestium contemplatione adeò excelluit, ut aliis sanctè vivendi Magistra extiterit, & posteris etiam in Dei militia pugnaturis, non carnalia quidem, sed verè potentia Deo arma reliquerit. Deiparæ Virginis, & Pueri Jesu aspectu dignata, Angelicis cantibus ad superni Thalami delicias invitata, de instante sibi ad superos migratione præmonita, vocante Cœlesti Sponso, qui sacram Virginem tot meritorum ornatam monilibus jamdiù concupierat, introivit feliciter cum eo ad nuptias immortales.

Sanctis ergo adscribatur, universa plaudente Ecclesia, BEATISSIME PATER, Catharina Virgo sanctissima, quæ Sanctorum virtutibus floruit, Sanctorum miraculis claruit, & sanctitatis denique testimonium ab ipsomet Deo Optimo Maximo habere meruit, qui corpus ejus tumulo inter mortuos jacere non passus, odore latè manante, & gratiâ sani-

ſanitatum, Populis undique confluentibus patere voluit in admirationem, & cultum; Atque adhuc poſt tria fermè ſecula, nequicquam obſiſtente mortis injuriâ, integrum, & incorruptum (quod hiſce oculis egomet vidi) veluti prærogatis immortalitatis primitiis, mirabiliter cuſtodit, & ſervat; nolens videlicet ſanctam ſuam videre corruptionem: Porrò ſi teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt.

BENEDICTUS S. Mariæ in Via lata Diac. Card. Pamphilius.

BEATISSIME PATER: In illa Cœleſti Hieruſalem, in qua [1] *manſiones multæ ſunt*, & ſicut [2] *Stella differt à Stella in claritate*, ſic gaudium differt à gaudio; gaudeat Beatus Pius V., quòd, regali cura, invicto robore, Chriſtianæ libertati, juribus Eccleſiæ proſpexerit. Gaudeat Beatus Andreas Avellinus, quòd, arduis votis, abnegatione propriæ voluntatis, animarum Magiſtris, & ad ſublimia tendêtibus arctiſſimæ perfectionis exemplum reliquerit. Gaudeat Beatus Felix, quod, jucunda humilitate, operoſa ſimplicitate, ſanctæ conſuetudini, Euangelicæ paupertati conſuluerit. Exultet Beata Catharina Bononienſis, lilium [3] *Eccleſiaſtici germinis decus, & ornamentum gratiæ ſpiritualis*, quòd, opere, & exemplo, ſic Sponſo placuerit, ut quamplurimæ [4] *poſt eam Regi Virgines adducantur*; Gaudeat ſapiens Mulier, [5] *lætitia, & honorificentia Populi ſui*, quod, dum [6] *cogitavit quæ Domini ſunt*, ſeptem ſpiritualibus armis munierit propugnaculum, ex quo [7] *contra Rectores Tenebrarum mille pendent Clypei, & omnis armatura fortium.* At ſi tanto fruitur gaudio Beata Catharina Bononienſis in Cœlis, par eſt, BEATISSIME PATER, ut meritorum gloriâ, quaſi Stella coruſcans, per Te, nova gloriæ acceſſione donetur in Terris. Nihil in diſcuſſione Cauſæ ſupereſt deſiderandum; famam ſanctitatis miracula comprobavere. Mihi verò, piæ, & nobiliſſimæ Civitatis olim Legato, conſentaneum eſt inſigne, & perenne prodigium referre, quod oculis exploratum habui; non enim Beatæ Catharinæ corpus, more cadaverum, decumbit, ſed incorruptum, & ſedens, vultu ad hilaritatem compoſito, increati Spiritus Templum ſe fuiſſe demonſtrat.

PETRUS S. Laurentii in Damaſo Diac. Card. Otthobonus.

ADditam Sanctarum Virginum choro Beatam Catharinam, & Coronâ ſigno ſanctitatis decoratam, tuo, BEATISSIME PATER, hoc eſt Spiritus Sancti Oraculo, publicis adeundam ſupplicationibus Aris imponere maximè intereſt, nè lucernam, quæ virtus Sanctorum eſt, in abſcondito habeamus, & Eccleſia Mater novæ prolis exultet fœcunditate. Hæc enim eſt illa Virgo lectiſſima, & una de numero prudentum, quam Dominus in omnibus vitæ actis vigilantem invenit: quæ ſupra ſexum fortis virtutis exempla nobis reliquit; quæ demum exuta mortalitate, etiam in Terris ultra naturæ vires induit immortalitatem.

Habes itaque, BEATISSIME PATER, Cœleſtis gemmæ pretium, & decus, non procul, & de ultimis finibus quæſitum, ſed in florentiſſima ditionis tuæ Civitate, in oculis Italiæ, ac Urbis ipſius educatum, quod ſupra Candelabrum Fidelibus expoſitum, ſeculi tenebras plurima luce longè, latèque irradiabit.

CAROLUS S. Agathæ Gothorum Diac. Card. Bichius.

BEATISSIME PATER: Beata Virgo Catharina à Bononia, antea viſa eſt ſe Deo dicare, quam Deum poſſet per ætatem cognoſcere, quippe quæ, cùm præ tenera ætate vix incedere didiciſſet, mira in Pauperes charitate affecta, adhuc præbuit documenta pietatis. Senilis ejus pubertas mirabilem dedit odorem ſuavitatis etiam inter mundanas delicias Aulæ Ferrarienſis. Domum privatam, ſeu veriùs Gymnaſium Pietatis, mira pietate in rigoroſam convertit clauſuram, ſub Inſtituto Sanctæ Claræ, in qua cum choro Virginum ſolennem emiſit profeſſionem, nihil ibi magìs cupiens, quàm apud ſocias, & regularis diſciplinæ exactiſſima Cultrix, & magìs humilis, & abjecta videri; tantoque charitatis fervore operam ſuam Sororibus omnibus impendit, & præſertim ægrotis, ut à nullo unquam officio, quamvis ſordido, ac laborioſo, abhorrere viſa fuerit: Ad hæc noctis vigilias, poſt ſanctæ orationis, & Divinæ contemplationis pabulum, protrahebat, ad inſtar fortis illius Mulieris, quæ de nocte ſurrexit, deditque prædam Domeſticis ſuis. Omnis ſermo ejus

[1] *Joan.* 14. 2. [2] 1. *Cor.* 15. 42. [3] *S. Cyprian. tom.* 2. *de diſc. & habit. Virg. cap.* 2. [4] *Pſal.* 44. 15. [5] *Judit.* 8. 19. [6] 1. *ad Cor.* 7. 34. [7] *Ad Epheſ.* 6. 12.

ejus de pietate, de contemptu Mundi, ac de amore Dei, & Proximi: nemo ad eam accessit, qui non melior abierit. Mira ejus jejunia, vigiliæ, corporis afflictationes, etiam cùm diuturnis esset affecta morbis. Communis hostis tentationes, quibus assiduè vexabatur, fidei galeâ superavit; excelsâque doctrinâ quasi infusâ mirabile conscripsit volumen de septem spiritualibus armis, quo imbecillioribus præsentissima remedia præparavit. Omnibus omnia facta, omnibus profuit, omnium saluti consuluit, Præceptoribus Sancto Thoma Cantuariense, ac Seraphico Patre, quos semel, & bis habuit præsentes; & ipsam quoque Deiparam gestantem in ulnis Puerum Jesum. Tot, tantisque meritis plenam, ac signis, & miraculis claram Beatam Catharinam, dignam existimo, ut Sanctarum Virginum Albo adscribatur, non sinè Divino consilio, unà cum tribus aliis magnis luminaribus, ad hæc usque tempora reservata, Te, Beatissime Pater, Clemente authore, ut Mundus, qui modò maximè sentit Divinæ justæ ultionis flagella ex undique strepentibus, & vexantibus Bellis, hos triumphantes habeat apud Divinam clementiam validissimos Intercessores ad obtinendam Servis suis illam, quam Mundus dare non potest, pacem.

JOSEPH RENATUS S. Georgii in Velabro Diac. Card. Imperialis.

SAnctarum Virginum numero adscribenda meritò est, Beatissime Pater, Beata Catharina Bononiensis: Fuit enim illa verè Virgo sapiens, & una de numero prudentum, quæ Cœlestem Sponsum semper præ oculis habens, id unicè sibi proposuit, & eò vires omnes intendit, ut omni virtutum genere ornata, dilecto suo Christo placeret, eique vocanti ad nuptias, prompta, & alacris occurreret. Ejus sanctitatem Deus multis præter naturæ vires editis signis comprobavit, eoque in primis, quod sanè continui prodigii loco est, singulari ejus corpori dato privilegio, ut non modò à temporis injuria illæsum, sed etiam mirum in modum flexibile, perinde ac si vitam duceret, tribus ferè ab hinc seculis perseveret. Præstantissimam itaque hanc Virginem Sanctorum immortalitate donatam agnoscant omnes, ac venerentur, quæ in ipsomet corpore communia jam humanæ conditionis damna non sentit.

FRANCISCUS S. Angeli in Foro Piscium Diac. Card. Barberinus.

BEatissime Pater: Quamvis in Ecclesia docere, & loqui Mulieri non permittat Apostolus; quia tamen Sanctorum scientiâ præ cæteris excelluit Beata Catharina, solenniori quoque ritu post ejus mortem Magistrali sanctitatis laureâ inauguranda est, ut docendi habeat facultatem; eoque potiori jure honore isto decoranda, quo perfectiùs comprehendit cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, & sublimitas, atque profunditas Crucis Christi: Scivit etiam supereminentem scientiæ charitatem ejus, taliterque impleta est in omnem plenitudinem Dei, sicut optabat Apostolus, ut exactissimè in se ipsa formaverit Christum; & doctrinam ejus; efficacissimis bonorum omnium exemplis semper docuerit, ac mirificè propugnaverit. Humilitatis præsertim scientiam hæc vera Christi Discipula ita excoluit, ut per eam procul dubio in sublimitate æternum sibi gloriæ pondus operata sit.

Quid ergo restat, Beatissime Pater, nisi, ut Te comprobante, ac definiente, Beata Catharina Magistralem sanctitatis Cathedram ascendat, & quæ præclarissimis virtutibus, atque miraculis à Deo illustrata jam est, per irreformabile quoque Judicium Sedis Tuæ, quæ columna est, & firmamentum veritatis, constituatur nobis omnibus veluti norma probitatis, & Magistra publicæ disciplinæ.

LAURENTIUS S. Nicolai in Carcere Diac. Card. de Alteriis.

BEatissime Pater: Beata Catharina decus Bononiæ, ubi nata est: honor Ferrariæ, ubi per multos annos sedem fixit: Christifidelibus omnibus novum Divinæ, & erudientis sapientiæ, & virtutis documentum, in ipso suæ nativitatis exordio lucem diffundere cœpit futuræ sanctitatis; Patri enim Patavii moranti, cùm illa Bononiæ nasceretur, quibus à Domino exornanda erat, virtutes illuxerunt; multos propterea fuisse, qui in nativitate ejus gauderent, non est ambigendum; habet enim editio Sanctorum lætitiam plurimorum, nam commune est bonum. Proficiebat Beata Virgo ætate, & sanctitate coram Deo, & hominibus, nunc seculi illecebras, & oblectamenta contemnens, nunc dispergens, ut daret pauperibus, & innocens, & Christianæ virtutis exem-

plis admirabilior etiam in Aula coruscans, à qua similis, & dilecta illi, qui venit saliens in montibus, transiliens colles, & sua virtute facit nos currere post se, quosdam dedit saltus, induens habitum Tertii Ordinis S. Augustini; & ut iret de virtute in virtutem, timeretque, nè quod foris ostenderet, intus à mercede vacuaretur, elegit latere in Clausura sub Regula S. Claræ. Illo perfectiori in statu mirificè studuit Deo inservire quasi apis argumentosa in humilitate, quæ virtutes custodit, dum terrena despicit; in charitate, in qua qui manet, in Deo manet; in jejuniis, in corporis afflictationibus, in contumeliis; & cum Christi vestigia verè sectaretur, humanam propè sortem egressa, nihil sapere terrenum, & humile, nihil fluxum, & caducũ videbatur: aliis coacta præesse, subjectarum tarditatem non tam verbo excitavit, quam exemplo. Prævenit Servam suam Dominus eximiis gratiis, & donis, & Cœlestibus illis cumulavit deliciis, quibus etiam in Terris sanctitas solet abundare. Post mortem ejus sanctitatem luculenter admirati, testatique sunt Summi Pontifices, Clemens VII., & VIII., & Sixtus V., ac demum in Sacrorum Rituum Congregationem ejus Canonizationis Causa introducta, in promptu se obtulerunt Sapientissimis Patribus virtutes in gradu heroico, & numerus, & magnitudo prodigiorum. Justum igitur, dignumque est, ut eximiæ huic, atque Beatæ Virgini Sanctæ nomen, & cultus infallibili Sanctitatis Vestræ Oraculo decernantur.

CAROLUS S. Mariæ de Scala Diac. Card. Columna.

BEATISSIME PATER: Æmula Senarum Bononia, tunc verè docuit, cùm Catharinam suam in lucem edidit, quæ Monialium Magistra, & virtutum omnium præstantiâ quædam viva omnium censura, imbecillitatis sexum vertens in prodigium fortitudinis, viam sanctitatis cæteris inviam, exemplo, & monitis perviam fecit; nec defuerunt quamplura miracula Catharinæ, quæ, dum in carne præter carnem viveret, in Mundo præter Mundum degeret, Divinæ contemplationis usu, & charitatis æstu, in Cœlo semper versata est. Post mortem tamen illud præclarius, quòd Beatum Corpus non cadaverum more decumbens, sed viventis adinstar sedens, atque erectum, usque ad præsens omnibus conspiciendum offertur incorruptum. In hoc uno à Senensi dissimilis, quòd Bononiensis nondum ab Ecclesia sanctitatis laureâ, & honore fuerit decorata; Id tibi reservatum est, BEATISSIME PATER, ut in posterum, quàm glorificata est Senensis Civitas Catharinâ suâ, tam Catharinâ alterâ illustris fiat Bononia.

NICOLAUS S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. Grimaldus.

BEata Catharina de Bononia Monialis Ordinis Sanctæ Claræ miserta est pauperum ab infantia. Christiana humilitate mirabiliter præfulsit; vigiliis, oratione, jejuniis carnem constantissimè contrivit; per verba salutis, & literis mandata documenta, ac exempla virtutis in vias Justitiæ, & Pietatis sorores alumnas deduxit. Ejus virtutes heroicas fuisse, & triumphos eidem in Cœlo cumulatos, ex eo intelligimus, quod prophetiæ dono, miraculis, incorrupto, fragrantique corpore claruit; & quod maximum est, Deiparam ipsam cum Puero Jesu præsentem habere meruit. Hiscemet oculis Sanctitatis Vestræ à Latere Legatus aspexi votivas Tabellas eidem Beatæ appensas, plurima ejus intercessione à Deo patrata miracula comprobantes; spectavi corpus à tribus ferè sæculis integrum, & incorruptum; vidi populi venerantis frequentiam, & indè illis ærumnarum diebus exultavit cor meum in Domino in medio tribulationis. Propterea, BEATISSIME PATER, testimonio, ac suffragio preces quoque humiliter adjicio, ut dignetur Sanctitas Vestra eam jam dudum cum Christo regnantem Sanctarum Virginum Catalogo adscribere: Hinc unâ mecum Senatus, Populusque Bononiensis gloriam, & lætitiam in Terris, ac universa Christiana Respublica patrocinium in Cœlis suscipiet.

ANNIBAL S. Eustachii Diaconus Cardinalis Albanus.

VIrgo non solùm corpore, sed etiam mente Catharina de Bononia, BEATISSIME PATER, in regendis sacrarum Virginum Cœnobiis, erudiendisque ad omnes virtutes sibi creditis animabus, exemplo, & monitis, tot, ac tanta fecit, & docuit, ut susceptis laboribus mortalis naturæ vires longo intervallo visa fuerit excessisse. Corde enim humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, speciosa facta est in oculis illius Sponsi, qui pascitur inter lilia. Magnum ergo illius nomen fastis Sanctarum Virginum per Sanctitatem Vestram adscribatur, cujus merito-

rum

rum odor, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, longè, latèque diffunditur, & cujus ſanctum corpus adhuc incorruptum aſpicimus veluti certiſſimum teſtem integerrimæ caſtitatis.

LUDOVICUS Picus de Mirandula Patriarcha Conſtantinopolitanus Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER: Quæ fortis eſt, ut mors, dilectio, in Beata Catharina de Bononia morte ipſâ fortior viſa eſt. Incorruptum ſcilicet à tertio jam prope ſeculo illius corpus, Divini Amoris, quò ſummoperè exarſit, æquè prodigium extat, atque argumentum, ut quæ propter Chriſtum in ſemetipſa mortua vixit, vivere poſt mortem intelligatur cum Chriſto. Huic electa Virgo deſponſata in fide, juncta charitate, tota in Sponſi Virginum tranſivit affectum, & ſicut vivens ſimilitudo mortis ejus eſt facta, ita vel inter mortis exuvias, quaſi jam immutata, vivam exhibet ejuſdem Reſurrectionis Imaginem. Quæ verò ſingulari adeò Divinæ largitatis beneficio donata fuit, non eſt ambigendum, quin ſublimiorem Chriſtianæ perfectionis gradum attigerit, & ſanè eò uſque attigiſſe comperimus, ut eximias virtutes omnes ſeipſis jam perfectiores una, quæ major eſt omnium, & nunquam excidit, Beatæ charitas in ſe referret; Vel etenim humilitate, quâ ſanctitatis faſtigium metimur, terrena cuncta deſideria conculcans per ſui contemptum Cœlo ſe inferret, vel obedientiâ, quæ cæteras virtutes menti inſerit, inſertaſque cuſtodit, jugi, ac induſtri propriæ voluntatis abdicatione, ſemetipſam hoſtiam viventem, Sanctam, Deo placentem continuò immolaret, ei ſemper in directione cordis confitebatur, & veritatem faciens in charitate creſcebat in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus. Ideo, quæ per affectum mentis Chriſtum induerat, in magnitudine brachii illius enarrare Dei gloriam, & opera manuum ejus in prodigiis, & ſignis annunciare promeruit, quinimò (quod præclariſſimum ſanctitatis documentum eſt) etiam inter incolatus hujuſce tenebras, & angores, ſupernæ ſuavitatis dulcedinem prægustavit, ac lucem, nedum pluries Sanctorum, Angelorumque familiari conſortio, verùm etiam pretioſo illius aſpectu dignata, qui Sanctos ſuos lætitia inenarrabili, & glorificatâ circumdans, in ſui gaudium intrare jubet, ac torrente voluptatis inundat. Exultet igitur in Hymnis, & Canticis Eccleſia Dei, & conſepultam in Chriſto Virginem, dum viveret, configuratam Chriſto reſurgenti poſt mortem, quam tot virtutibus, tot miraculis infinita bonitas Divinæ potentiæ commendat, Sanctitatis Veſtræ infallibile oraculum inter Cœleſtes Sanctarum Virginum cœtus recenſeat, ut exaltetur in omnibus populis nomen ejus, qui mirabilia fecit in Terra noſtra.

JOANNES Patritius Archiepiſcopus Seleuciæ Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER: Beatæ Catharinæ de Bononia nativitas Cœleſtibus patefacta fuit indiciis, & ipſa infantia miſericordiâ in pauperes refulſit: Ea eſt ſapiens, & prudens Virgo, quam Dominus in heroica Theologalium virtutum exercitatione, & orationis aſſiduitate vigilantem invenit; Hæc juxta Apoſtoli monitum ſemper cogitavit, quæ Domini ſunt, ut eſſet Sancta corpore, & ſpiritu, adeò ut vitam potiùs inter Cœlites egiſſe videatur, quàm inter mortales: Nec immeritò vivendi ſibi uſum quæſivit è Cœlo, quæ ſolum Sponſum ſibi invenit in Cœlo Jeſum Chriſtum, ad cujus amplexus, nonniſi per Regalem profundiſſimæ humilitatis, ac mortificationis viam acceſſit. Hæc unicè ſuper dilectum ſuum innixa, & magnarum illuſtrationum deliciis affluens, nedum ſuis Sororibus, verùm etiam cæteris Chriſtifidelibus, & cœleſtibus doctrinæ monitis, & vitæ exemplis plurimùm profuit; ſed quia omnem dilexit juſtitiam, propterea unxit eam Deus oleo lætitiæ, & habuit fructum in reſpectione animarum Sanctarum: Supereſt igitur, BEATISSIME PATER, ut hæc Virgo ſapiens tot heroicis virtutibus, & crebris miraculis inſignita, quæ manum ſuam miſit ad fortia, candidas de ſuis operibus coronas accipiat, & licèt diſparis ſexus, tamen, cùm pari exemplo virtutum vixerit, cum aliis Beatis, quos Sanctitas Veſtra præteritis Conſiſtoriis Sanctorum faſtis adſcripſit, eiſdem inter Virgines Apoſtolicæ Sedis auctoritate adſcribatur.

PHILIPPUS Anaſtaſius Archiepiſcopus Surrentinus Aſſiſtens.

VErba illa Apoſtoli, SANCTISSIME PATER, (1) *Chriſti bonus odor ſumus*, Beatæ Catharinæ Bononienſi in primis aptari poſſe reor; quæ cùm egregia charitate, humilitate, obedientia, longanimitate, conjunctiſque virtutibus, velut (2) *optimis unguentis*, fragra-

[1] 2. *Ad Cor.* 2. [2] *Cant.* 1. & 2.

fragraret; virginitate tamen quammaximè Sponsum illum, qui *flos est campi*, *& lilium convallium*, redolevit. Verbis pariter, exemplo, ac suavissimis moribus mitissimum Servatorem expressit. Edidit porrò probatissimæ doctrinæ opusculum, quo vaferrimi hostis insidias, & machinationes bonis maximè perdendis intentas mirâ sedulitate detexit: & septem tela spiritualia, eaque planè solidissima ad illas evertendas summo consilio explicuit; quo quidem libello, quàm benè Redemptorem retulerit, qui (1) *non pacem venit mittere*, *sed gladium* adversùs errores, & flagitia, nemo est, qui non videat. Vitæ suæ præterea *purgativæ*, (ut mystici Theologi dicunt) *unitivæ*, atque *illuminativæ* insignem tenorem, miranda visa, Divinasque motiones enarrans, non ipsam, (2) *sed Christum* potiùs *in ipsa* ad extremam usque diem vixisse patefecit. Ejus modò cadaver, quod tamdiu Cœlesti odore fragravit, & adhuc incorruptum permanet, nonnè Christum olet, de quo Propheta dixerat, (3) *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*? & nobis luculentissimo est argumento, beatam hujus Virginis animam indè, (4) *sicut virgulam fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris*, ad Cœlos evolasse, ibique ab æterno Sponso inter Sanctarum Virginum gaudia exceptam fuisse? quod firmissimo Sanctitatis Tuæ Oraculo decernendum arbitror.

NICOLAUS Caracciolus Archiepiscopus Capuanus Assistens.

BEATISSIME PATER: Mirum videri fortasse poterit, quod inclytum Beatæ Catharinæ à Bononia nomen jampridem Ecclesiasticis fastis adscriptum non fuerit. Illud enim ipsius heroicæ virtutes, quas toto Religiosissimæ suæ vitæ cursu exercuit. Illud constans de illius sanctitate apud Populos fama, quæ, cùm ingens ab illius obitu cœperit, nullam supra tercentorum annorum decursu sensit diminutionem: Illud denique Deus ipse clarâ voce exposcere videbatur, dum mirabili prorsus corporis incorruptione, beatam hujus Virginis animæ immortalitatem testatam voluit; Sed meritò existimare debemus, Divino consilio, debitum tantæ Virgini honorem ad hæc usque tempora fuisse dilatum, ut illum tandem decernere Sanctitati Vestræ præ cæteris contingeret. Dignare igitur, BEATISSIME PATER, meritissimam Virginem sanctitatis adoreâ insignire.

FERDINANDUS Nuptius Archiepiscopus Nicænus Assistens.

BEATISSIME PATER: In Beatâ Catharinâ Bononiensi summarum virtutum seriem manus Altissimi operata est. Illa enim inter secularis Aulæ illecebras, terrena despiciens, veluti nardus dedit odorem suum fœmineo sexui, morum sanctitate præfulgens, & inter puellas, quas ad Cœlestis Sponsi sectanda vestigia, verbo, & opere accendit, ita lampadem suam ornavit, ut fragrans unguentis optimis quâcumque horâ eidem Sponso venienti obviam occurrere posset.

Sacris literis erudita, spiritu sapientiæ, & intellectus repleta est juxta Tabernacula Domini. Stupente Bononiâ Studiorum Matre, mirabilia de Regno Dei loquebatur, verbo, & scriptis, quæ supernæ vocis præcepto ab igne servata, in Cœlestem Animarum cibum, & præsidium transierunt.

Sanctissimorum Virorum Thomæ Cantuariensis, ac Francisci Assisinatis colloquiis cœlitùs dignata, ac Prophetico spiritu afflata, veluti Anna Prophetissa, nunquam discedens de Templo, jejuniis, & orationibus vacans nocte, ac die, Orientalis Imperii excidium ob blasphemias in Spiritum Sanctum in ore gladii prænuntiavit.

Assiduæ rerum Divinarum contemplationi addicta, ac sæpius in ecstasim rapta vitam potiùs inter Cœlites, quàm inter mortales agere visa est.

Quare pro Justitiæ merito hoc unum superest, BEATISSIME PATER, ut Sanctitas Vestra vocem Fidelium exaudiens, admirandam hanc Domini Ancillam, insignibus etiam miraculis post obitum illustrem, ceu nitidissimum omnium virtutum exemplar, Sanctarum Virginum tabulis inserendam, & ante Altare Holocausti locandam esse constituat.

PETRUS Corradinus Archiepiscopus Athenarum Assistens.

BEATISSIME PATER: Gaudet per Virgines, atque in illis largiter floret Ecclesiæ Matris gloriosa fœcunditas, quantòque plures copiosa virginitas numero suo addit, tantò plus gaudium Matris augescit. Verè gaudium Ecclesiæ auxit, BEATISSIME PATER, Catharina, illustrior portio gregis Christi, flos Ecclesiastici germinis, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini. Hæc Sancta

[1] *Matth.* 10. [2] *Ad Galat.* 2. [3] *Psal.* 15. 10. [4] *Cant.* 3.

Sancta carne, & spiritu: Hæc fuit filia illa Regis, cujus gloria ab intus, vestitus autem deauratus: cujus scilicet corpus virgineo splendore præfulsit; mens verò innumeris charismatum donis coruscavit. Hortum hunc conclusum, idest virtute eximiæ castitatis floridum, & per continentiam munitum, Sponsus Cœlestis marcescere, transacto licèt multorum seculorum spatio, non permisit: Pascebatur enim Sponsus inter illa lilia, donec aspiraret dies, & inclinarentur umbræ; quamobrem non potuerunt lilia, quibus adeò Divinus Sponsus delectatus est, putrescere. Interiit Virgo, at ejus corpus, neque corruptum, neque consumptum est, immo adhuc de gloria retributionis hilarescere videtur; Mens verò circumamicta varietatibus, omni scilicet virtutum genere illustrata, scientiâ præsertim Divinarum rerum, quam subitò percipere potuit, per vitæ puritatem sedes Sancti Spiritus semper fuit; Insilierat quippe in Catharinam superveniens spiritus, adeòque ejus mentem illuminaverat, ut loqui optimè ea posset, quæ præmeditatione nullâ didicerat, &, quæ loquebatur, amare, ac futura etiam prædicere. Prophetavit siquidem Catharina, neque cum Psalmista eam infirmorum vocem deploravit: *signa nostra non vidimus, jam non est Propheta*: Vidit namque signa promissa iis, qui spiritu Divino correpti prophetare solent, & quidem signa, quæ Divus Gregorius Magnus [1] recenset, nam optimè tenuit robur, atque dulcedinem vitæ contemplativæ; conscendit per intimæ, ac sanctæ eruditionis notitiam altitudinem Scripturarum; humilitatis culmen attigit; charitatis igne æstuavit; Dei magnalia tacere non potuit: Nil mirum itaque, si tota Divino Spiritu plena statim prophetare, & signa, quæ viderat, ostendere incœpit; Cùm igitur Deus voluerit Ecclesiæ suæ gaudium per hujus Beatæ Virginis mirabilia gesta augere, consentaneum est idipsum gaudium per Sanctitatem Vestram supremo tandem cumulari decreto, quo Sanctarum Virginum fastis Catharinæ nomen apponatur.

DOMINICUS De Zaulis Archiepiscopus Theodosiæ Assistens.

DOminus conterens bella, Beatissime Pater, verè Dominus, qui, ut ostenderet fortitudinem brachii sui, etiam in sexu fragili victoriam contulit, disperdidit adversarios suos, portas hostium subvertit, & confudit superbiam eorum, tradens illos in manu fœminæ, Beatæ scilicet Catharinæ de Bononia: Una hæc Virgo sapiens contra mundum, carnem, & potestates tenebrarum, luctamen viriliter assumpsit; neque enim dejici poterat, quæ mundanis omnibus abjectis, nil habebat, unde teneretur: Itaque voluntatem Domini aspiciens, etsi adversùs eam castra consisterent Inferorum, etsi prælium exurgeret, & super ipsam nocentes appropiarent, non timuit cor ipsius, quia & occurrit inimicis, tanquam castrorum acies ordinata, trahens post se Virginum Choros, quibus & turrim cum propugnaculis ædificavit, dum ipsorum Cœnobia, vel Claustra munienda, vel iterum construenda curavit, & adversaria tela retundere, mirabili conscripto volumine, erudivit, ut meritò de illa dici valeat: *Mille Clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*: His immorans audivit vocem Sponsi, ut coronaretur; Coronavit equidem illam Dominus coronâ gloriæ, glorificavit signis, illustravit prodigiis, nec dedit Sanctam suam videre corruptionem. Agnoscat igitur Catholica Ecclesia, Sanctarum Virginum numerum auctum fuisse Beatæ Catharinæ meritis, & triumpho.

ALEXANDER Bonaventura Archiepiscopus Nazianzenus Assistens.

BEatissime Pater: In foraminibus Petræ, in caverna maceriæ, à facie persequentis vulturis sacrata Deo Columba divinitùs custodita, nidum posuit Beata Catharina. Cùm inter spinas lilia feliciùs provenire cognosceret, rigidissimis pœnitentiæ aculeis virginitatis florem sæpivit. Virgo fuit non solùm corpore, sed etiam mente; linguâ nunquã transivit in Terra, sed semper vel de Deo, vel cum Deo loquebatur, cujus afflatu futuros efferebat eventus; gloriam suam foris non expetivit, ut oleum in vasis habere mereretur. Jure ergo Sanctarum Virginum Albo adscribetur, Beatissime Pater, si Sanctitati Vestræ placuerit; & quantùm gaudet de illa triumphans Ecclesia, tantùm exultet per illam militantis Ecclesiæ gloriosa fœcunditas: ut nos tantæ virtutis proficiamus exemplo; nec imitari pigeat, quod celebrare delectat.

SINI-

[1] *Lib. 4. in 1. Reg. cap. 5.*

SINIBALDUS De Auria Archiepiscopus Patracensis Assistens.

PRæstantioris, BEATISSIME PATER, Virorum, quos Ecclesia colit, sanctitatis æmulam virtutem hodie admiramur in Virgine, quæ muliebris conditionem prætergressa naturæ, manum suam summâ cum gloriâ misit ad fortia. Cùm enim in splendida versaretur aulâ, usa fuit hoc Mundo, tamquam non uteretur, & magìs eligens abjecta esse in Domo Dei, seipsam Cœlesti Sponso sub aspera Religiosi Instituti disciplina devovit. Quantâ autem in Divinis rebus excellentiâ Beata Catharina floruerit, tum ex eo intelligi potest, quòd orandi præcepta ab ipso Seraphici Patris ore non semel hauserit; tum Cœlestis sapientiæ plena declarant scripta Divini Spiritus afflatu edita. Portentosa demum venerandi corporis incorruptio magnificum virtutum omnium Templum illud vivens fuisse testatur. Quamobrem eximiæ Beatæ Catharinæ sanctitati jam dudum debita honoris ornamenta diutiùs differenda non esse censeo.

Fr. JOANNES FRANCISCUS De Nicolais Archiepiscopus Myrensis Assistens.

BEATISSIME PATER: Quàm verum sit, quod Rex Regum ante omnia secula Christus Dominus, qui propter salutem hominis perditi in plenitudine temporis factus est homo, Ecclesiam suam unicè dilectam, suoque pretioso sanguine acquisitam, etiam Seraphici Patris B. Francisci meritis, non solùm fœtu novæ prolis multiplicat, sed Sanctorum Syderibus quotidie exornat; probarunt sanè in præcedentibus seculis tot Martyres, & Confessores, nec non præclarissimæ Virgines, quos Seraphica Religio, veluti fertilissimus sanctitatis Hortus, mirabiliter protulit, & Sanctorum cultu jam tota veneratur Ecclesia: Probant insuper novissimis hisce temporibus non solùm eximia Beati Felicis Capuccini merita in præcedenti Consistorio coram Sanctitate Vestra condignis utique laudibus celebrata; verùm etiam Beatæ Catharinæ Bononiensis, cujus hodie vita, virtutes, miracula, tot venerabilium Patrum votis, coram Sanctitate Vestra pariter celebrantur: Hanc etenim ejus Patri Beatissima Dei Genitrix Maria in festo Nativitatis suæ, veluti fulgentissimum Solem, nascituram prænuntiavit: Hæc eadem Dei benedictionibus præventa, plurima eximiæ sanctitatis, magnarumque virtutum indicia ab ipsis incunabulis dedit; Vitæ innocentiam cum pietate perpetuò servavit, ac mirâ erga pauperes animi benignitate affecta fuit: Hæc ætatis suæ vigesimum annum agens, è Civitate Bononiensi, quam sua Nativitate illustraverat, & suavissimo tantarum virtutum odore repleverat, Ferrariam perducta, sublimioris, & sanctioris vitæ desiderio flagrans, in Monasterio Corporis Christi Religiosum S. Claræ Monialium habitum sumpsit, ibique Sponso suo Cœlesti se totam tam perfectè dicavit, ut vitam planè Cœlestem aggressa fuerit; & Sanctum Thomam Cantuariensem Episcopum, ac Martyrem, sibi Divinæ orationis Præceptorem, semel præsentem: bis verò Seraphicum Patrem Sanctum Franciscum habere meruerit; Tantâque sanctitatis famâ claruit, ut eâ permoti Bononienses, illam ad se reducere cupientes, Monasterium in honorem Corporis Christi noviter erexerint, & illùc ex Ferraria, ut illud regeret, cum nonnullis Monialibus eam advocaverint, ubi octo & viginti annos adversâ valetudine probata, virtutibusque omnibus, præsertim humilitate, & charitate, in gradu heroico exornata, tandem invocato in ultima sua ægritudine dulcissimi Sponsi sui Jesu nomine, eximiisque cumulata meritis ad Cœlum evolavit; ac multis miraculis, etiam post ejus obitum, ipsius sanctitatem Deus mirabiliter comprobavit, & in dies magìs comprobare dignatur. Censeo igitur maximè dignum, ut Sanctitas Vestra hanc Cœlestis Regis Sponsam in Cœlis æterna jam beatitudine potitam, in Terris quoque Sanctis Virginibus adnumerare dignetur, & Christianus orbis debitum ejus sanctitati cultum exhibeat.

PHILIPPUS MICHAEL Ellis Episcopus Signinus Assistens.

BEATISSIME PATER: Beatæ Catharinæ Bononiensis ortum, gesta, atque merita quàm attentè mihi consideranti, usque adeò Divinæ gratiæ largitas in ea ornandâ, absolvendâque, se diffudisse videtur, ut Oraculo Sanctitatis Vestræ Catholicæ Ecclesiæ præponendam existimem in exemplar heroicarum virtutum, & in præsidium humanæ imbecillitatis. Hanc, ut Solem lucidissimum exorituram, non ab Angelo, sed à Domina Angelorum est prænunciatum. Nempe Sponsi Cœlestis Tabernaculum futura, cui digniùs, quàm Principi Stellarum, debuit comparari? Ut enim Solis lumine tenebræ pelluntur, & universa collustrantur, ita

ita in Catharinæ corporis incorruptione, veluti in lumine diei, potestas Divina cernitur, mirè elucet Fidei Catholicæ veritas; Gentilium incredulitas convincitur; & Hæreticorum jugulatur perfidia: Quid enim mirabilius oculis occurrere potest, quàm corpus ad tria secula exanime, integrum perdurare, & erectum, miræque suavitatis spirans odorem? Corruptibile induisse incorruptionem, & mortuum quodammodo immortalitatem consequutum? Et id quidem nullâ aliâ ratione, quàm quod Templum fuerit Spiritus Sancti, & Hortus deliciarum ejus, qui pascitur inter lilia, qui solus dare potuit Sanctæ suæ non videre corruptionem. Verùm iste est odor unguentorum Beatæ Catharinæ usque ad oram vestimenti tantummodo decurrentium: sed longè suavior animæ fragrantia, sicut odor Agri pleni, cui benedixit Dominus, omnigenis heroicæ humilitatis, obedientiæ, castimoniæ, patientiæ, charitatis, & reliquarum virtutum floribus resperси, & mirè distincti. Quid plura? signa, atque prodigia, tantarum virtutum fructus juxtà, & argumenta, quæ ad Sanctimoniam ejus testandam D. O. M. patrare dignatus est, plenè evincunt, Beatam Catharinam unam esse ex Phialis aureis, quas vidit B. Apocalysta, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Quo igitur, Beatissime Pater, fideles, studio flagrantiori, Beatæ jam cum Christo regnantis, in his calamitosissimis, in quæ devenit Ecclesia, temporibus, implorent præsentissimum auxilium; efflagitent contra ejus hostes potentissimum patrocinium; atque ita abundantiùs, & efficaciùs ad omnes gentes perveniant fructus orationum, & meritorum ejus, Ecclesiasticis Tabulis adscribendam à Sanctitate Vestra censeo.

ANTONIUS Fonseca Episcopus Tiburtinus Assistens.

Beatissime Pater: Munerum supernorum largitor Deus, in extollenda præclarè factis Beatæ Catharinæ de Bononia Ancillæ suæ humilitate, eum verè se præstitit, qui superbis resistit, humilibus verò dat gratiam. Rerum humanarum despicientiâ, laborum tolerantiâ, animi firmitate illam Catharina expressit Mulierem fortem, quam inventu difficillimam sacræ testantur literæ. Ad maturitatem consilii, & dexteritatem in explicandis negotiis, quibus infirmi sexus conditionem egressa est, rigorem vitæ, sui contemptum, exempla obedientiæ singularis adjunxit; piis verò editis voluminibus, nunc etiam legentes erudit, docet, inflammat. Ecclesiæ militanti magnum, Beatissime Pater, præsidium accerses, si illam Cœlitum numerum auxisse declaraveris.

SEBASTIANUS POMPILIUS Bonaventura Episcopus Montisfalisci, & Corneti, Assistens.

Beatissime Pater: Absorpta est mors in victoria, quæ nihil Beatæ Catharinæ in suæ trahere potuit jura dominationis; Non est mortua Puella, nec Deo, cui omnia vivunt, nec nobis, quibus omnia moriuntur. Exanime corpus apud nos depositum, singulari prodigio liberatum à corruptione, non interiit; Anima Cœlo debita Deo fruitur immortalis. Qui novit Catharinam in carne præter carnem vixisse, facilè concedet, quam induit corpus incorruptionem, refluam esse ab illo spiritu, qui uti per carnem bonorum operũ consortem heroicas exercuit virtutes, ita & modo per ipsam carnem suam prodit Beatitatem. Non corrumpitur corpus, quod nunquam spiritum aggravavit, & quia nunquam infecit animum, spirat suavitatem odoris. Terrenæ carnis inhabitatio prohibere non potuit, nè Dei, ac Sanctorum potiretur affatu, & consortio. Tutò igitur, Beatissime Pater, definiri potest, Cœlo inter Sanctas Virgines receptam esse, quæ, vel cùm inter homines ageret, inter Cœlites versabatur.

Fr. PETRUS LAMBERTUS Le Drou Episcopus Porphyriensis Assistens.

Beatissime Pater: *Mulierem fortem quis inveniet?* Invenit felix Bononia Beatæ Catharinæ felici nobilitata partu. Cùm sit *fortis, ut mors, dilectio*, sufficeret dicere, Beatam Catharinam fuisse dilectione maximam. *De nocte* enim *surrexit*, *deditque* virtutum *prædam domesticis suis*, & sanctarum instructionum, ac operum pietatis *cibaria ancillis suis. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Ferventissimo Deum complexa est amore, orationis, & contemplationis oculo in eum semper defixa, nisi obedientiæ lege, aut charitatis erga proximum, aliisve humanæ vitæ distraheretur officiis; imò sic distracta, vix ac nè vix cum Deo conversari prætermisit, utpotè tunc cum ipso, vel de ipso semper locuta, conjungens contemplationem Mariæ cum solicitudine Marthæ, & beatis patriæ incolis,

lis, qui ab actuali Dei amore nunquam cessant, inter viatorum solicitudines quodammodo suppar. At egregiam fortitudinis laudem etiam retulit, *mittendo manum ad fortia* contra seipsam, & contra Dæmonem. Vicit se abnegando se; abnegavit se, Crucem cum Christo jugiter ferendo in summâ paupertate, in jejuniis, in vigiliis, in afflictatione carnis, in admirabili sui abjectione. *Fortis* Euangelicus, de quo Christus apud Marcum, *Nemo potest vasa fortis, ingressus domum, diripere, nisi priùs fortem alliget*, teste Augustino est humani generis hostis Diabolus. Gravissimis, iisque diuturnis ab ipso vexata tentationibus Catharina, non solùm nunquam succubuit, sed & invênit artem *alligandi fortem*, ac ita *diripiendi vasa ejus*, ut sibi in spiritualis vitæ stadio currenti nullum deinceps præbere potuerit offendiculum: ad quam artem, mirabili *de septem spiritualibus armis* conscripto volumine, etiam nos erudivit. Coronas in Cœlis fortissima hæc Virgo consequuta est: Superest modo, Beatissime Pater, ut & in Terris, ubi tot illustria reliquit fortitudinis suæ exempla, debitas, Sanctorum adscripta fastis, recipiat palmas, atque ita apud nos etiam adimpleatur, quod post enarrata Mulieris fortis præclara facinora præscribit Sapiens: *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus.*

LAURENTIUS Gherardus Episcopus Lauretanus, & Recanatensis, Assistens.

Beatissime Pater: Quod olim de Moabitica Ruth in sacris literis dictum accepimus: *Scit omnis populus, qui habitat intrà portas Urbis, Mulierem te esse virtutis*: videor mihi posse perquàm appositè dicere de Catharina Bononiensi, Beatissime Pater. Fuit Catharina mulier virtutis: Cùm virtus supra mediocritatem non assurgit, virtus est hominis; cùm usitatos illa limites prætergreditur, est homo virtutis. Hoc est, quod ego, Scripturâ duce, de Catharina confirmo. Fuit illa Mulier virtutis. Sed quid, inquam, ego? *Scit omnis populus, qui habitat intrà portas Urbis*; felicis nimirum Ferrariæ, unde Patrem nacta est, & felicioris Bononiæ, quæ ipsius domicilio, atque sepulcro fuit nobilitata, Mulierem illam fuisse virtutis: Sciunt & claustra illa, in quibus novâ Sanctimonialium prole fœcundavit Ecclesiam, ubi se Abbatissam nesciebat, ut Christi probaret Ancillam: Nisi quod fama Ruth intrà portas Urbis continebatur; at Catharinæ virtutis opinio innumeras Urbes Christiani Orbis splendore nominis implevit. Unum restat optandum, ut tot Urbibus Roma tandem assonet ex Vaticano, utque, quoniam Cœlum ipsum miraculorum voce tam illustris Mulieris sanctitatem comprobavit, vox tua, Beatissime Pater, etiam intrà portas Urbis supernæ Hierusalem Catharinam Mulierem esse virtutis infallibili Oraculo declaret.

VINCENTIUS de Aptis Episcopus Urbevetanus Assistens.

Beatissime Pater: Illustria nimis, ac Cœlitus emissa extant Testimonia de Beatæ Catharinæ Virginis Bononiensis sanctitate. Hanc, illâ nascente, Pater absens supernâ visione præcognovit: Hanc, illâ vivente, & S. Thomas Cantuariensis Episcopus, & D. Franciscus Seraphicus Patriarcha, & Chori Angelici trisagium canentes, immò & ipsa Beatissima Virgo Puerum Jesum in ulnis gestans testatam reliquêre: Hanc, illâ mortuâ, incorruptio corporis, adinstar viventium mirabiliter sedentis, adhuc comprobat: Hanc tandem quamplura alia signa, & evicêre, & evincunt. Supplicandum igitur enixè Sanctitati Vestræ, ut, Militantem ad famulandum Triumphanti excitans Ecclesiam, infallibili sententiâ debito Sanctorum Catalogo adscriptis cultu prælaudatam Virginem mandet adorandam.

FABRITIUS Pignatelli Episcopus Lyciensis Assistens.

Inter sanctitatis flores, quibus innumeris Catholica Ecclesia redimita coruscat, Beatissime Pater, Catharinam de Bononia lilium dixerim inter spinas, quæ videlicet virginitatis candorem illibato semper pudore custodiens, humilitatis, obedientiæ, virtutum omnium fudit odorem, ac omnigenâ tribulatione circumdata, Cœlesti Sponso, qui & ipse Lilium convallium dicitur, meruit assimilari. Invenit siquidem ab infantia, quem diligebat anima ipsius, tenuit charitate perfecta, nec unquam dimisit eum. Ipsa dilecto suo, & dilectus illi: qui inter ubera ipsius commorari, faciem suam eidem ostendere, sæpiùs illam alloqui non fuit dedignatus: Videbat enim in illa choros castrorum; Ancillas, inquam, plurimas, quas æmulans Dei æmulatione vocavit ad arcem, ut Christo castas exhiberet; quasque Virgo sapiens exemplo traxit,

xit, prudentiâ rexit, informavit consilio, scriptis erudivit. Ita vigilans prudens Virgo advenienti Sponso, ornatâ lampade, occurrit, ac Cœlestes ipsius nuptias est assecuta. Plaudat igitur Sancta Mater Ecclesia Regi Cœlorum, & Domino, quòd ejus filiam sibi Sponsam eligere, decorare prodigiis, ac sanctitatis coronâ circumdare dignatus sit.

CAROLUS Maigrot Episcopus Cononensis Assistens.

PRæter alia prodigia, SANCTISSIME PATER, quibus Beatæ Catharinæ tumulus illustratur, Corpus illius, quod à tribus penè seculis incorruptum, & quodammodo vivum Civitas Bononiensis asservat, continuum videtur esse Divinæ potentiæ miraculum, & argumentum gloriæ, quam inclytæ D. O. M. Virgini retribuit: Sed occurrit præstantius aliquid, & excellentius; constans morum Innocentia jam à tenerâ ætate perseverans; despicientia humanarum rerum, & assidua contemplatio Cœlestium; promptus animus ad ardua quæque, & abjecta pro utilitate proximi suscipienda; invicta in laboribus patientia; in bello cum humani generis hoste, ac secum ipsâ gerendo fortitudo inexpugnabilis, & quæ Magistra omnium, ait S. Gregorius, Materque virtutum est, sincera humilitas. Accedunt charismatum dona, quibus suam, dum adhuc in terris degeret, Sponsam Christus abundè cumulavit: quæ omnia, BEATISSIME PATER, totidem Cœlestis gratiæ, Divinique amoris miracula sublimiora sunt, quibus potissimùm inducti, redditam sacræ Virgini fuisse coronam Justitiæ, fideles Populi, jam ab illius obitu, persuasum habuerunt; atque humillimè rogant, ut Sanctitas Vestra, ad novum, & eximium perfectionis Christianæ proponendum exemplum, ex usu, rituque solenni, nobis edicat: *Scitote, quoniam Dominus Sanctam suam mirificavit.*

LUDOVICUS Gualterius Episcopus Verulanus Assistens.

BEATISSIME PATER: Præclarissimæ Virginis Catharinæ de Bononia merita, quibus mirabilis Deus signorum fulgore præluxit; & Populorum devotio, à Sanctitate Vestra, Oraculum Canonizationis exposcunt. Hæc enim non solùm exemplo induere armaturam Dei Sorores suas in piissimo, quod fundavit, Cœnobio edocuit, sed os suum aperiens sapientiæ arma spiritualia cuique Fideli tractanda reliquit. Potens in opere, & sermone charitatem erga Deum, benignitatem erga Pauperes, prudentiam, orationem, aliasque virtutes mirificè coluit, quantò humilitate, & voluntariis afflictationibus demissior facta, tantò Cœlestibus charismatibus, Sanctorum visionibus, ecstasis, & Prophetiæ donis, ac denique mirâ, & tam diuturnâ elati sui sacri Corporis incorruptione reddita excelsior. Æquum interim erit sperare, ut hac Seraphici Ordinis Virgine in Sanctarum numerum relatâ, multæ aliæ, præter totius Ecclesiæ gratulantis incrementa, Æterno Regi post eam Virgines adducantur.

BERNARDUS MARIA de Comitibus Episcopus Terracinensis Assistens.

BEATISSIME PATER: Beata Catharina de Bononia tanto effulsit splendore virtutum, ut, si iniquissima temporum conditio non obstitisset, Clemens VII. illam in Sanctarum Virginum Catalogum absque dubio retulisset. Illius nomen auctoritate Summi Pontificis Clementis VIII. in Martyrologio Romano repositum fuit. Ampliorem reddidit ipsius cultum Summus Pontifex Clemens X., adeòque discussis, & approbatis virtutibus, & discussis pariter, & approbatis miraculis tui Pontificatus tempore, BEATISSIME PATER, nihil aliud superesse videtur, quàm, ut opus, quod Clemens VII. inchoavit, Clemens VIII., & Clemens X. prosequuti sunt, tandem sub CLEMENTE XI. perficiatur.

PROSPER Marefuscus Episcopus Cyrenensis Assistens.

BEATISSIME PATER: Sedulò perpensis virtutum gradibus, & miraculorum præstantiâ, agnovit Sanctitas Vestra Beatam Catharinam de Bononia heroicarum virtutum verticem attigisse, dum in ipsa puerili ætate amore Dei, & Proximi jugiter conflagravit; ætatis verò incremento in immensum exarsit. Inter Moniales S. Claræ dignitate & imperio suprema, humilitate, & animi moderatione omnium infima, cunctis dilecta, sibi soli invisa, vigiliis, jejuniis, oratione, lacrymis, & flagris attrita, alacriùs ad perfectiora quæque contendit: Virginali habitu opera Prophetarum agens extremum Orientalis Imperii excidium ob Græcorum errores prædixit, & septem armis spiritualibus, quæ tanquam illustria Trophæa Ecclesiæ appendit in Templo, pro-

fligato humani generis hoste, invicta decessit: Agnovit Sanctitas Vestra incorruptum post ipsius obitum corpus suavissimo odore fragrans, & in sede ad instar viventis erectum; aliaque mirabilia ab Omnipotentis Dei dexterâ ob ejus præclarissima merita sæpissimè patrata. Perge igitur, BEATISSIME PATER, qui virtutum, & meritorum es inclytus scrutator, & ponderator eximius; divinis Hymnis plaude victrici, & Triumphantis Caput sacro diademate corona: Lucernam hanc perennem, ornatam, vivam, radiantem, super Ecclesiæ Candelabrum colloca: Christi Athletis, de quorum virtutibus, & meritis in præteritis disseruimus Consistoriis, Mulierem adde fortem, ut quæ septem spiritualibus gladiis loricata, & à Divo Thoma Cantuariense ad pugnam edocta, Tenebrarum potestates vivens gloriosè devicit, nunc iisdem armis Ecclesiæ hostium corda emolliat, & frangat: Odoriferum ejus corpus sacris dona Altaribus, ut cum ipsius sanctitatis odore propitiatorium sacrificium gratius Deo deferamus.

Ես Մատթէոս կաթուղիկոս որդի Սա-նուկպալի Պոլոյ կոստանդի-նուպօլսոյ.

Նախատես եղեալ երանելին կատարի-նէ որ կուանկանէր ի ձեռն Թուրքաց մե-կայսերութի կոստանդնուպօլսոյ և այն Թգրանիստ քղքն կու անկանէր ի ձեռն մահմետականաց. Երկրորդ ի ճրագալուցն Պէնտէկոստէի վն այս ամ ութին կա՛մ եցաւ ճանաչեցուցանել որ այս փորձութին կու բղխէր սոսկալի հայհոյանաց յունաց հակառակ հոգւոյն սբյ քանզի ամենևին Թէ-րութք ընդնեաց կատարեալ որ չի առնէր քո սրբութին չի եղացանէ իւր սրբացուցա-նէյն որ ունենամք մեկ մը կոյս կերկինս որ հայցէ խղճութին յունաց շնորհք որ ճա-նաչէն զիւրեանց սխալութին. և այն խեղճ ժողովուրդն որ կան ինեքը չարչարանաց Թուրքաց որ աղաւթին ի ծոյ բարբարոսաց և տառապանաց.

MATTHÆUS Sanuchbalì Patriarcha Constantinopolitanus Nationis Armenæ.

BEATISSIME PATER: Prophetiæ dono illustris Beata Catharina, Constantinopolim dirâ Turcarum obsidione invadendam, & inde Mahometi II. jugo prosternendam in ipso vigiliæ Pentecostes die præcognovit, & evulgavit; quod quidem tulit Deus, ut Græci blasphemias in Spiritum Sanctum eructantes ipso potissimùm tempore Barbarorum armis punirentur, quo Fidelium corda novâ ejusdem Sancti Spiritus visitatione lætabantur. Hæc, iisque similia charismatum dona, heroicæ virtutes innumeræ, & præclarissima prodigia longo jam examine discussa, atque probata, jure sanè optimo promerentur, ut infallibili Sanctitatis Vestræ Oraculo Beata Catharina inter Cœlestes Sanctarum Virginum Choros regnare declaretur, ut quemadmodum ejus voce ad prænuntiandam Græcorum servitutem usus est Deus, ejusdem intercedentibus meritis, Græcia ipsa & optatam consequi libertatem, & præteritos valeat deflere reatus.

Ὀνούφριος Κωνσταντῖνος Μητροπολίτης Δεβρῶν, καὶ Ἔξαρχος Δευτέρας Μακεδονίας.

Ἡ *μακαρία* Καθαρῖνα *γέννημα*, καὶ θρέμμα τῆς περιφήμου πόλεως Βονωνίας (μακαριώτατε Πάτερ) ἐν τῷ γεννηθῆναι τοῖς τῆς θείας προστασίας σημείοις ἐξέλαμψεν. ἐπειδήπερ τῇ νυκτὶ, ἐν ᾗ ἐγεννήθη, ἀπεκαλύφθη τῷ πατρὶ αὐτῆς ἀπόντι, ὅτι τὸ γεγεννημένον ἅγιον ἔσται. Τοῦτ' αὐτὸ ἐδηλώθη ἔντε τῇ πατρίδι αὐτῆς πάσῃ, ἔντε τῇ Φερραρίᾳ, (καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν) παντὶ τῷ κόσμῳ, καὶ καθὼς ἐδηλώθη, οὕτω καὶ ἐγένετο, ὡς ἡ δοκιμασία ἔδειξεν, ἐπειδὴ τὰ πάμπολλα, καὶ ὑπερθαύμαστα αὐτῆς θαύματα ὑπεράνω τῆς ἀνθρωπίνης δυνάμεως, ὡς καὶ ἐν ὑστέροις καιροῖς τούτοις διὰ τὸ πλῆθος οὐ δύναμαι διηγήσασθαι· μόνον (εἰ δυνατὸν εἴη) ὁ ποτὲ αἰδεσιμώτατος Βησσαρίων Καρδινάλις γραικὸς τὸ γένος ἐκ Τραπεζουντίας ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει ὑπὸ τῆς ἁγίας ῥωμαϊκῆς ἐκκλησίας ἐπίτροπος, καὶ ἐμὸς συμπολίτης, ὡς αὐτόπτης τοῦ πράγματος οὐρανόθεν τὴν ῥῆσιν, καὶ τῶν ἄνωθεν ποιημάτων τὴν διήγησιν, ὁμοίως καὶ τὸν ψῆφον πρὸς τὸ ἁγιασθῆναι ἐπιμελῶς πέμψοιεν· Ἐγὼ δὲ ὡς ἐλάχιστος καὶ ἀνάξιος ἐν Χριστῷ υἱὸς ἐπιψηφίζω (εἰ τῇ σῇ μακαριότητι φανήσεται) ἐν τῷ τῶν ἁγίων παρθένων τάγματι ἀναγραφῆναι.

ONUPHRIUS CONSTANTINUS Debrarum Metropolita, & Inferioris Macedoniæ Exarchus.

BEata Catharina nata, & educata in celeberrima Civitate Bononiæ (BEATISSIME PATER) in nativitate sua signis Divinæ benignitatis coruscavit. Siquidem ea nocte, in qua nata est, revelatum fuit Patri ejus absenti, sanctum futurum, quod nascebatur. Hoc ipsum patuit per totam ejus Patriam, & Ferrariæ, & (ut verbo dicam) per

per Mundum universum; nec à præsagio eventus ablusit, ut reipsa compertum est. Nam innumera, & admirabilia ejus miracula supra humanam virtutem, nostris etiam exinde temporibus, tot, ac tanta sunt, ut præ multitudine enarrare non valeam. Unum dicam, Reverendissimum olim Bessarionem Cardinalem natione Græcum è Trapezuntia, in Civitate supradicta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatum, Civemque meum, ut oculatum rei testem, dicta, & superiùs enarrata (si fieri posset) confirmaturum; similiter & sententiam super ejus Canonizatione cœlitùs pronuntiaturum. Ego autem, ut infimus, & indignus in Christo filius censeo (si Sanctitati Vestræ videbitur) Sanctarum Virginum ordine adscribendam.

[illegible]

[illegible]

BASILIUS ISAAC Archiepiscopus Ninives.

BEATISSIME PATER. Beatam Catharinam de Bononia verè Deus elegit, suisque donis ornavit, myrrhâ, & casiâ ejus vestimenta decoravit, & balsamum super ejus corpus profudit: Myrrha scilicet humilitatis, casia puritatis, balsamum incorruptibilitatis. Odor virtutum ejus, veluti Nardus, efflavit: Spiritu Prophetiæ enituit, & miraculorum gloriâ coruscavit. Quapropter, BEATISSIME PATER, ad Sanctitatis Vestræ pedes humillimè provolutus efflagito, ut Beata Catharina ab universa Ecclesia inter Sanctas Virgines, Sanctitate Vestra annuente, colatur.

[illegible]

[illegible]

GREGORIUS JOSUE Archiepiscopus Hierosolymitanus Nationis Syriacæ.

BEATISSIME PATER: Cùm præclarissima gesta Beatæ Catharinæ de Bononia Monialis professæ Ordinis S. Claræ, & prodigia quamplurima, quæ per illam operatus est Deus, jam antea adeò maturo, ac diligenti examine perpensa, ac discussa fuerint, adest cunctis causa lætandi, Deique magnalia celebrandi, quòd nova in dies in Cœlis præsidia, quibus fruantur, ac nova pariter virtutum exempla, quæ imitentur, fideles habere possint. In communis hujus lætitiæ partem ego etiam accedo Sanctitatem Vestram supplex rogaturus, ut Beatam Catharinam

rinam fœminarum decus ad universæ Ecclesiæ gloriam in Sanctarum Virginum Catalogum recenseri jubeat.

JOANNES De Lerma Archiepiscopus Sipontinus.

BEATISSIME PATER: Cùm adhuc esset parvula Beata Catharina Virgo Bononiensis placuit Altissimo, ejusque speciem concupivit Cœlestis Sponsus præveniens illam ubertate miserationum, ut inclinaret aurem voci dilectionis suæ. Hinc eximio sanctitatis argumento illiusmet genitori revelatæ sunt egregiæ prolis virtutes, priusquàm ortus innotesceret, & sub imagine Solis adumbrata sunt promerita exordientis pietatis. In tenera adhuc ætate virtus adoleverat, castimonia, humilitas, summa vitæ asperitas, jugisque in Deum meditatio mutuo se fœdere tuebantur. Mox in castris Religiosæ militiæ supergressa universas, accinta fortitudine roboravit brachium suum, & induit arma lucis. Nec satis, quòd manum miserit ad fortia, suoque etiam exemplo certaverit; sed publicæ insuper animarum incolumitati, septemplici armorum munimine, consuluit. Succrescente demum impetu charitatis, ad populum suum, quem oblita videbatur, reversa est, ut ubi vitæ spiritum hauserat, & fundamenta jecerat Sanctimoniæ, ibi mortales exuvias deponeret; nec tamen omninò deposuisse sensibus compertum est, cùm corruptibile corporis induerit incorruptionem, &, quod in ea mortale fuit, induisse etiam videatur immortalitatem. Fas sit itaque, BEATISSIME PATER, supremo Sanctitatis Vestræ Oraculo emeritam Virginem dudum coronâ Gloriæ potiram in Cœlis, ac novis in dies magnalibus in tesseram sanctitatis à Deo decoratam, publicâ veneratione prosequi, ut nova ministret arma spiritûs militanti Ecclesiæ adversùs potestates tenebrarum harum; & ea, quæ omnigenæ Fidelium conditioni suo patuerunt omine, etiam imbecillitati sexus, nova præluceant exempla virtutum.

Հայցող չորրհասցս հնազանդ աղօթեղ ծառայ վեհափառին հռոմայ ՍՐԲՈՅ գրիգոր աշխարհակալութեան եդեսիոյ.

Ողբեմ եւ խեղճ վանորայք արեւելից աշխարհի՛. որք քան աւերակ էք եւ թափուր ի բնակչաց. կամ զբնակիչս ունիք այլազգս, բայց վայ մեզ, հաւատով եւ վարուք որչափ առաւել ՚ի քաջութե առաքինեաց. Ոչ այսպէս ՚ի փառանկաց աշխարհի; ուր է տեսանել եւս այժմ զվանս ուր երեւին երբեմն կրկին ծնեալ աշխատք բազումք խորհրդականաց ծառոց. Ուր է ողջամիտ վարդապետութեան, սուրբ եւ ճշմարիտ սրբութիւն եւ յոյժ ժամ խաղաղութեան լինի. յորժամ հաւատ մնացորդ սրբոյն. Մ՛ որքան եւ որպիսիք եղին եւ զօր ըստ օրէ ելանեն ի փառանկաց վանորայից. սրբք եւ կատարեալ կրօնաւորք Աստուծոյ հայր ոչ ՚ի զինս է բանելոյ կատարելին, որ է մաքրափայլ հայելի կուսանաց, զայն տեսանել եւ զերապատուել յաւիտեան աշխարհի փառանկաց որ զայն եւ ոչ տեսանեմք յաշխարհի հայաստանեայց.

GREGORIUS Archiepiscopus Edessæ Armenus.

BEATISSIME PATER: Vos defleo Orientis Asceteria, quæ vel diruta estis, vel dissimiles prioribus incolas habetis. Alia modò refulgent in Occidente Cœnobia. Ubi vera fides non est, ibi sanctitas minimè reperitur. Quot hactenus, & quantos edidere, eduntque adhuc Religiosæ Occidentis Domus veros Asceticæ disciplinæ Cultores! Quos in Oriente non intuemur, fac, BEATISSIME PATER, ut ex Occidente in Beata Catharina innumeris, iisque clarissimis virtutibus ornata, speculum Monialium habeamus.

Ես յովհաննէս արք եպիսկոպոս Սիփոնծոյ այս վերոյ գրեալն կու հաստատեմ. այս իմ ձեռացս գիրն է.

Որ կամին ոչ առնել ոչ կոյսն Եկատարինէ, Մերձոյն. Զայս ոչ. մի զայլս եկեղեցւոյ պահպանութի. մի զի որ քան որ կենցաղավարեցաւ ՚ի յայսմ աշխարհի սրբակացութեամբ եւ մաքրութեամբ. եւ ովք էառ յայլ զբարսութի եւ բազմանշելագործութի. կամ ովք յաւձեալ զնոքն բարեխօսութի սրբոցն եւ ետես զհրաշանց ապա յետ հրաշեցն կուսանն զնա ոչ եւ կու դառնան նդասուերոց. ով վարք որբոյն սերմն մի օրինակի ոչ կուսանաց կարողէ ծառայել վարք եւ բանելոյն. վ՜ կանոնի եօրինակի քանզի իւր շնորհք եւ իւր հրաշագործութիւն են փորձած. Նկեմուէ եօթն եղբարդացոյ նախնոյ քո սրբութե. Ունիք զխաւարութիւն ոչ առնելոյ, Նկեմէս տասանն աւե-
լա-

լացուց պաշտօնին . լաւէ եւ պատշաճաւորէ.
զի Կղէմէսի Մեծասանի լուցանելոյ
զնա դատաստանն եւ դնել եղանել ՚ի հնա-
մարս սրբոց կուսանաց .

JOACHIM Armeniæ Majoris Archiepiſcopus .

IN noſtram vertitur utilitatem, Beatissime Pater, quidquid à nobis Sanctorum venerationi tribuitur: Eorum enim accendimur exemplis, quorum meritis gaudemus, & ideo frequens in Eccleſia Sanctorum memoria colitur, ut imitari non pigeat, quos celebrare delectat. Beatam igitur Catharinam, quæ tantarum virtutum ſplendore, dum vixit, enituit, quæque poſt obitum, veluti inter mortuos libera, miraculorum gloriâ adhuc vivit, jure meritò in Sanctarum Virginum numero per Sanctitatem Veſtram referendam cenſeo; ſiquidem, ut dum ſolenniori cultu ipſius merita recolimus, virtutes quoque imitemur, & in nos augeantur ſuæ interceſſionis ſuffragia, dum noſtræ in illam creſcunt devotionis affectus.

Ես Յովէփ Աղեքսանդրոս արհեպս կեսարիոյ պաղեստինոյ ձեռամբ իմով գրեցի .

Մեծ հայր սր̄ . փառն այն . որ առ մատուցանեն մա՚նկանացուք սրբն համայնն զեկեղեցի ամեն օգտուԹէ մերոյ . որ զի առնկատիցեմք զառաջինութիւն նոցին . եւ համայնպատիւն հետեւեցիմք նոցին . վ̄ն որոյ զեկանոպաղի յիշումն սրբն . որ զի եռապանծելոյ առնել քորքրչելն զնոքն ՚ի նկատումն նոցին = Երանուհին կատարինէ ուղղեցն անապատական քվերց մնզոնոնեցն սնոտի փառաց . Անպատաճառն . եւանփոփոխելին ՚ի յաղԹողուԹիւ . եւ անյաղԹողուԹիւ . տալոցէ ամենեցուն պայծառագունեղ օրինակ սակս մերոցէ նաւորականն հաստատուԹէ . եԹէ ՚ի սրբուԹենէ քումմէ . ո՜վ հայրապետ զերամեծար . համաԹուեցի ընդ սրբս . Եւառ Քերմեռանդուեիւ հաւատացելոց =

ANASTASIUS Cæſareæ in Palæſtina Archiepiſcopus.

MIlitantis Eccleſiæ ſemper mos fuit, Beatissime Pater, ut qui vitam in Terris virtutibus præclaram, vel miraculorum gloriâ coruſcantem duxerunt, ſolenni ſanctitatis honore à Fidelibus recolantur, & ut beata eorumdem merita altiori venerationis faſtigio ſublimata, tamquam lucerna ſupra candelabrum poſita, omnes claritatis ſuæ lumine perfundant. Toto ergo Virginum cœtui Beatæ Catharinæ veſtigia ſectanda per ſolennem illius Canonizationem proponi dignum quidem, & laudabile erit, cùm ipſius virtutes, & miracula maturo examine jam diſcuſſa, Patrumque votis probata fuerint. Quoniam verò Clemens VII. Sanctitatis Veſtræ Prædeceſſor ultimos illi ſanctitatis honores tribuere excogitavit, & poſt ipſum Clemens X. novo venerationis cultu eamdem decoravit, dignum eſt, Beatissime Pater, ut alter Clemens tantum opus duorum Pontificum ſtudio incœptum feliciter abſolvat, & Beatam Catharinam Sanctarum Virginum immarceſcibili coronâ laureandam verbo doceat, & ſententiâ præcipiat.

JOSEPH Criſpinus Epiſcopus Amerinus.

BEatissime Pater: Tantâ ſapientiâ ditavit Spiritus Sanctus Beatam Catharinam de Bononia, ut Magiſtra eſſet ſanctitatis. Monita, quæ dabat ore, & ſcriptis, firmabat exemplo. A puerilibus annis dedit ſanctitatis indicia, & creſcens ætate creſcebat ſapientiâ, & prudentiâ; verè Virgò ſapiens, & una de numero prudentum. Religioſo habitu ſuſcepto, Sanctæ Matris ſuæ Claræ digna Filia, ita omnium virtutum ſe exhibuit exemplar, vitam Cœleſtem agens in Terris, ut meruerit prægustare in viâ de torrente voluptatis, quo potatur in Patria. Glorioſa eſt in Cœlis, ubi ſequitur Agnum quocumque ierit. Mirabilis in Terra, ubi Chriſtus Dominus, qui ſedens docebat Diſcipulos ſuos, voluit ex ſpeciali privilegio hanc prædilectam Diſcipulam, & Sponſam ſuam incorruptam, ſedentem in Cathedra more viventis, & Magiſtræ docentis, non labiis ſonantibus, ſed operibus pronuntiantibus. Diſcant ab ea omnes gentes non ſapientiam hujus Mundi, quæ ſtultitia eſt apud Deum; diſcant *in militia hominis ſuper Terram* debellare humani generis hoſtem, non cum armis carnalibus (arma enim militiæ noſtræ carnalia non ſunt) ſed cum illis ſeptem armis ſpiritualibus, quæ Beata Catharina in ſuo libro nobis exhibuit, ut legitimè certantes in Eccleſia militanti, coronari mereantur in Eccleſia triumphanti. Docuit, & fecit Beata Catharina, & cùm juxta Divinum oraculum: *qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum*, meruit vocari magna in Cœlo beatitudine perfruens. Magna vocabitur etiam

etiam in Terra, si Sanctitas Vestra edocta ab illo eodem Spiritu Sancto, qui his diebus venit super Apostolos, infallibili decreto decernat Beatam Catharinam de Bononia colendam, & invocandam, & numero Sanctarum Virginum adscribendam.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

TIMOTHEUS Carnuch Episcopus Mardinensis Chaldæus.

BEATISSIME PATER: Tunc Virginitatis splendor in Orbe Terrarum enituit, cùm splendor Patris è Virgine nasci voluit. Tunc Dei Matre Virginum Reginâ factâ, conversæ à turpi Idolorum cultu ad Christianæ Religionis puritatem gentes eam virtutem impensè colere cœperunt, quod ante Regius Propheta cecinerat: *Adducentur Regi Virgines post eam*. Novæ semper Christo Sponso ad Cœlestem thalamum adducuntur Virgines: Nova germinant in Ecclesiæ convallibus lilia. Hac, aliisque virtutibus insignis Beata Catharina, cœtus Fidelium postulat, ut à Sanctitate Vestra veluti integritatis exemplar proponatur.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

GEORGIUS Benjaminus Episcopus Edenensis.

CUm constet, Beatissime Pater, de virtutibus, & miraculis Beatæ Catharinæ, videtur deveniri posse ad solennem ejusdem Canonizationem: Ut quæ sublimium virtutum exempla præbuit in Occidente, eadem tamquam speculum Monialibus proponatur in Oriente; & quæ futurum Orientalis Imperii excidium, casuramque in Turcarum manus Regiam Urbem prædixit, eadem gementes sub Othomanica tyrannide populos asserat, vindicetque.

[illegible]

[illegible]

ATHANASIUS Safar Episcopus Mardinensis Syrus.

BEatissime Pater: Dum virtutes eximias, ac crebra miracula Beatæ Catharinæ de Bononia Monialis professæ Ordinis S. Claræ mente assequor, Deum laudo, qui hanc Virginem à teneris usque annis per justitiæ semitas duxit, & virtutum omnium genere ad heroicum perfectionis gradum evexit: Sive enim viventis merita, sive jam defunctæ prodigia recogito, S.Claram Assisiensem mentis oculis mihi videor intueri. Quæ ergo tam Sanctæ Virginis in se expressit, gessitque imaginem, meritò Sanctarum Catalogo adscribi posse judico; & ut adscribatur, humillimè supplico Sanctitatem Vestram.

MATTHÆUS Galliani Episcopus Soranus.

SApientia, quæ ex ore Altissimi prodiit, Beatissime Pater, Catharinæ de Bononia animam ædificavit sibi in Domum, eamque virtutum omnium, & charismatum donis ornavit; Hinc est, quòd prophetico afflata spiritu Imperii Græcorum in Spiritum Sanctum blasphemias proferentium eversionem prædixit. In conspectu Altissimi deprecans canentibus Angelorum choris interfuit, ac in eum, quem desiderant Angeli prospicere, oculos intendere meruit. Catharinam ergo jam evectam ad excelsum sanctitatis apicem, ad quem in cunabulis adhuc ejus Pater eam ascendere cœlitùs prævidit, unâ cum Sanctis Virginibus connumerandam censeo.

Fr. OCTAVIUS Spader Episcopus Assisiensis.

BEatissime Pater: Plurima sunt, quæ Beatam Catharinam Bononiensem reddunt spectabilem; At ego considerans fœmineum ingenium, & hæreditariam Hevæ superbiam, quæ, ut se Adamo præferret, prior de vetito ligno gustavit, admiror hilaritatem in deponendo Monasterii regimine, seseque subjiciendo aliis. Ita & Sanctus Hieronymus exaggerat de Hila-

Hilarione. Mirentur alii ſigna, quæ fecit; mirentur incredibilem abſtinentiam, ſcientiam, humilitatem; ego nihil ita ſtupeo, quam gloriam, & honorem calcare potuiſſe. Cùm ergo in Catharina noſtra fuerint heroico gradu cum charitate humilitas, cum humilitate charitas, quæ ſunt præcipua cæterarum virtutum elementa, cur non omnes pro illius ſolenni Canonizatione ſupplicent? Hoc ego nomine Franciſcanæ Familiæ de Obſervantia, per quam Deo eſt educata hæc Divæ Claræ Filia, humillimè, ac enixè poſtulo.

ANTONIUS Spinellus Epiſcopus Melphienſis, & Rapollenſis.

BEatæ Catharinæ de Bononia admirabilem ſanctitatem, BEATISSIME PATER, vita innocens, mors pretioſa, præclara denique miracula, quæ ſunt veluti Cœli linguæ, teſtantur. Si quid mihi dicendum modo eſſet, quod ipſa adhuc vivente audiebatur, aſſererem, Virginem iſtam Sanctam Matrem Claram ita virtutum ſuarum luminibus expreſſiſſe, ut Umbriæ Solis Bononienſe Parelion videretur. Quapropter à Sanctitate Veſtra meritò poteſt, ut cenſeo, Sanctarum Virginum faſtis adſcribi.

MARCUS ANTONIUS Chenevix Epiſcopus Minervinenſis.

VErè Beata Catharina inter illas filias enumeranda, quæ congregaverunt divitias; pretioſa ſcilicet ornamenta virtutum. Mira in ea eluxit Humilitas, Caſtimonia, Obedientia, Fides, Spes, Charitas, cæteræque virtutes pariter eluxere; miris eadem chariſmatum donis, ac prodigiis effulſit: Ejus itaque ſanctitas, BEATISSIME PATER, ſolenni ritu modo declaranda videtur, ſummiſque votis orandum, ut quemadmodum Orientale Imperium, ut Beata Catharina prædixerat, ob hæreſes in Spiritum Sanctum periit, ita ejuſdem Beatæ interceſſione ad Eccleſiæ redeat unitatem.

JOSEPH De Carolis Epiſcopus Aquinas.

BEata Catharina de Bononia adhuc puellula in egenos liberalis, juventute floreſcens à ſeculi tumultu abſtracta, ſe ipſam abnegans, arctioris perfectionis itineri ſemper intenta, eximium humilitatis, obedientiæ, cæterarumque virtutum exemplar, Sanctæ Claræ Inſtituti repentè Magiſtra, & Reformatrix, uſque ad extremum vitæ ſpiritum, eximiâ tum in Deum, tum in Proximum charitate exarſit: Poſt obitum verò ejus Venerabile Corpus, viventis ad inſtar ſedentis, erectum, ac incorruptum bis centum ſupra annis adhuc mirabiliter conſpicitur.

Hæc, aliaque permulta mirabilem ejus ſanctitatem oſtendunt; quare in Albo Sanctarum Virginum, Sanctitate Veſtra annuente, deſcribatur.

ASCANIUS Blaſi Epiſcopus Civitatis Caſtellanæ, & Hortanæ.

BEATISSIME PATER: Virginem Sanctimonialem, Beatam Catharinam de Bononia, admirandarum virtutum ornatam monilibus, in thalamo Cœleſtis Sponſi collocatam dubitare non valeo; quippe, quæ duplicem Catharinam, Alexandrinam ſcilicet, & Senenſem, æmulata virtutibus, ſcripſit quæ prima docuit, egit quæ fecit altera: Cumque fecerit, & docuerit, jure Magna vocari debet in Regno Cœlorum.

Tantæ igitur Virgini ſupremi ſanctitatis honores, quemadmodum demiſsè poſtulo, à Sanctitate Veſtra decernantur: Ita enim futurum ſperamus, ut ipſâ intercedente, eliminatis Paganorum erroribus, & repreſſis Hæreticorum conatibus, Catholica Eccleſia tranquillitatem, ac pacem aſſequatur.

VICTOR FELIX Coucci Epiſcopus Fundanus.

BEATISSIME PATER: Catharina Bononiæ, & Ferrariæ gloria, & decor, beata fuit, quia adhuc Puella ſuper egenum, & pauperem intellexit, & ideo in die mala liberavit eam Dominus: Adoleſcens ſacris dedita ſtudiis beata fuit, quia erudivit eam Dominus, & de lege ſua docuit eam. In Monaſterio collocata, ſemper de Deo, vel cum Deo loquuta, & ab otioſis verbis ſemper aliena beata fuit, quæ non eſt lapſa verbo ex ore ſuo. Humillima inter Moniales dicere etiam potuit: *Quia reſpexit Dominus humilitatem Ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent*: Beata fuit, cùm de Diaboli inſidiis ſemper triumphavit; & cùm Deo dilecta donum ſapientiæ meruit obtinere, quo librum utiliſſimum compoſuit: donum Prophetiæ, quo futura, & occulta prædixit: donum ſanitatum, quo morbos incurabiles momento ſanavit: donum viſionum, quo non modo D. Thomæ Cantuarienſis, & D. Franciſci; ſed & Beatiſſimæ Virginis Filium in ulnis geſtantis apparitionibus in hac vita mortali frui meruit. Tot igitur clara virtutibus, tot miraculis, tantâque

que ſanctitatis famâ celebris, & eſſentiali gloriâ jam à Deo donata, meritò à Sanctitate Veſtra accidentali gloriâ Canonizationis eſt decoranda.

ALEXANDER De Calvis olim De Organis Epiſcopus S. Severini.

BEATISSIME PATER: Quinque prudentes Virgines, accepto in lampadibus ſuis oleo, Sponſo obviàm exiiſſe Euangelica lectio repræſentat; Hoc ipſum dicere poſſumus de beatiſſimâ, & numquam ſatìs laudatâ Catharinâ, quæ ab ineunte infantiâ ad Cœleſtes vocata nuptias, ſibi virtutum oleo comparato, exiit obviàm Sponſo, lampadem ſuam charitatis igne exardeſcentem præſeferens. Pueriles prudentis Virginis manus mira in pauperes liberalitas explicavit, & ſtatim ac ad primum adoleſcentiæ limen pervenit, ſeculi commodis contemptu excelſo prætermiſſis, ſe ipſam Cœleſti Sponſo dicavit, ac æternæ illius nuptiæ fuerunt virginei cordis unicum votum. Quonam amore Cœleſtem Sponſum Catharina dilexerit, ſplendidiſſima ejuſdem admirabilium virtutum corona demonſtrat; ac tot accepta miraculorum, & prophetandi Divina munera nos edocent, quantùm, qui regnat inter Sydera Deus, puriſſima itidem eximiæ Virginis lilia dilexerit. Superventurum Orientalis Imperii, & Conſtantinopolitanæ Regiæ excidium præclara Virgo cognovit, & licèt adhuc eſſet in Terra viatrix, illi Beatos, Thomam Cantuarienſem, Franciſcum, Angelorum choros, ipſamque Dei Matrem Puerum Jeſum in ulnis geſtantem, intueri, & alloqui contigit. Quemadmodum prudentes Virgines in adventu Sponſi, quia paratæ erant, introierunt cum eo ad nuptias, ita etiam Catharina ad Cœleſtes nuptias, quia parata erat, introivit.

Hodie Fidelium cœtus ad Vaticani Solium provolutus enixè poſtulat à Sanctitate Veſtra Catharinæ nomen in Sanctorum Canone adſcribi, ut Cœleſtis Hieruſalem gaudium, & militantis Eccleſiæ decus augeantur.

ONUPHRIUS Eliſei Epiſcopus Balneoregii.

BEATISSIME PATER: In Beata Catharina de Bononia impletum agnoſco illud Eccleſiaſtici: *Mandata Dei in corde Mulieris ſanctæ.* Perfectè etenim Beata hæc Virgo duo illa præcepta dilectionis, à quibus lex pendet, & Prophetæ, explevit: Dilexit namque Deum ex toto corde, & mente, quando ab Aulæ vinculis ſoluta, ſtatim quaſi ſpecioſa Columba avolans in foramina petræ, in Religioſarum Virginum conſortium ſe recepit, ubi orationi, obedientiæ, cæteriſque virtutibus ſedulò incumbens, nil aliud in animo, & mente habebat, quam Divino Sponſo inſervire: Dilexit proximum, quando adhuc Puerula totum, quod habere potuit, in egenos liberaliter erogavit, & modis omnibus proximorum ſaluti conſulere numquam deſtitit: Si igitur Sanctus eſt, qui Dei præcepta ſervat, inter Sanctas Virgines venit numeranda hæc, quæ Dei mandata in corde ſuo habuit, & perfectè adimplevit.

SERGIUS Pola Epiſcopus Famaguſtanus.

POſt Pontificem, poſt Sacerdotem, poſt Humilem ſupremis honoribus donatos, unum adhuc erat ſuper, BEATISSIME PATER, ut iis Virgo etiam donaretur: unde fieret, ut noviſſimis hiſce temporibus Eccleſia Catholica varietate omnimodâ circumdata appareret. Locum hunc tenet Beata Catharina, Virgo ſapiens, & una de numero Prudentum, quam Dominus ſemper vigilantem invênit. *Virgo* immaculatæ vitæ propoſito, *Sapiens* Religioſo Inſtituto, *Prudens* ejuſdem propagatione, *Vigilans* tandem virtutum omnium exercitio, ut obviàm iret Cœleſti Sponſo. Veniat igitur, & de manu tua, BEATISSIME PATER, accipiat in Terris etiam coronam gloriæ, quæ à Sponſo in Cœlis accepit coronam vitæ.

CAROLUS MARIA Planectus Epiſcopus Larinenſis.

AGitur, BEATISSIME PATER, de Canonizatione B. Catharinæ de Bononia, unius ſiquidem Virginis ex numero Prudentum, quæ inextinguibili omnium virtutum oleo plenam ſemper, & accenſam lampadem retinuit, earumdemque ſplendorem latè, longèque diffudit: Supervacaneum autem exiſtimo enarrare mirabilia, quæ illa peregit, cùm jam ſatìs omnibus innoteſcant: Remanet igitur ſolùm in præſenti, ut Virgo hæc, quam ſan. mem. Clem. VII. pluribus honoribus decoravit, & cujus nomen alter ſa. me. Clem. VIII., habito in Sac. Rituum Congregatione examine, titulo Beatæ in Romano martyrologio inſerendum mandavit, nunc per Sanctitatem Veſtram, afflante Spiritu Sancto, ad majorem Dei gloriam, militantis, & triumphantis Eccleſiæ ſplendorem,

rem, ac ædificationẽ Populorum, eorumque devotionem his temporibus augendam, infallibili decreto, Sanctarum Virginum fastis annumeretur; ut etiam intercessione Beatæ Catharinæ, nubes, quæ Ecclesiæ, ac Orbis Catholici tranquillitatem, & serenitatem turbare posse videntur, evanescant.

FABIUS De Mancinfortibus Episcopus Eugubinus.

BEATISSIME PATER: Mirabilis Deus in Sanctis suis, sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos,& super eos volitans, Beatam Catharinam à Bononia Cœlesti sapientiâ erudivit, prævenitque eam in benedictionibus dulcedinis, atque unxit unctione suæ misericordiæ, ut portaret jugum ab adolescentia sua, & quasi Aquila magnarum alarum super Domum Domini ascenderet. Illam à seculi tumultibus segregatam duxit Divinus spiritus in solitudinem, & in sacrarum Virginum cœtum adscivit, ibique eam locupletavit Cœlestium gratiarum donis, & loquutus est ad cor ejus, ut quotidie crescens ætate, & gratiâ apud Deum, & apud homines, in Domo Dei præluceret. Quis autem enarrare poterit, quanta misericors Deus fecerit animæ ejus, & quàm magna fuerint incrementa virtutum, quibus hæc Virgo ibidem continuò exercebatur? Modò enim humillima Dei famula abjectissimam se inter creaturas ex corde reputans, quærebat latebram in petra, quasi refugium herinaciis: Modò autem similis facta pellicano solitudinis, totam se tradebat spiritualibus, ac temporalibus sororum necessitatibus procurandis, tametsi totam penè confectam infirmitatibus, laboribus, aliisque etiam voluntariis sui corporis macerationibus: Modò sicut favus distillans, mel dulcissimum Divinæ sapientiæ, & eloquentiæ, quâ verbo, quâ calamo diffundebat: Modò innixa super dilectum suum levabat se supra se, & supra omne, quod mortale est, atque caducum, & celsissima quæque Dei magnalia contemplabatur; nec rarò etiam prophetiæ dono illustrata erat, & secretiora rerum arcana penetrabat. Per hujusmodi, aliarumque omnium virtutum semitas errans in solitudine illa, & semper quærens dilectum suum, tandem ascendit de deserto hujus Mundi, meritis affluens, ad æternum ejus Sponsi thalamum. Ibi igitur beata illius anima in corona gloriæ manet, & in æternum manebit; Corpus, quod in Civitate Bononiæ piâ Religione asservatur, & colitur, prodigium factum est multis, non minùs ob raram ejus integritatem, quàm ob frequentiam miraculorum; memoria in benedictione est apud omnes gentes. Cùm itaque tot insignia veræ sanctitatis argumenta ritè jam probata fuerint, Beatam Catharinam, si Sanctitati Vestræ placuerit, Sanctorum fastis adnumerandam humillimè censeo, tum ad majorem Dei gloriam, tum ad eximium totius Gregis Christi, & præsertim Virginum Deo Sacrarum, præsidium, & exemplum.

ANTONIUS Sanfelicius Episcopus Neritonensis.

BEATISSIME PATER: Qui candor est lucis æternæ, & pascitur inter lilia, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum, & quem Virgines sequuntur quòcumque ierit, in formosam Columbam suam Beatam Catharinam de Vigris divitias charitatis suæ benignus effudit. Illam enim in charitate perpetua dilexit, & in amorem sui totam attraxit. Huic contemplationis Magistrum, ac ducem concessit eximium illum Episcopalis fortitudinis exemplar, ac Ecclesiasticæ libertatis vindicem S. Thomam Cantuariensem, à quo sibi divinitùs apparente, altissimæ orationis methodum Beata Catharina edocta est. Sub tanto autem sanctitatis Præceptore, Christo Domino desponsata est in fide, ut illi vivere Christus esset, & Sacris Virginibus ad Angelicam disciplinam informandis gloriam Sponsi sui mirum in modum propagaret, à quo maximis decorata signis, donisque, ad cœlestes nuptias vocata est. Decet igitur, BEATISSIME PATER, ut ad inflammandos Christianorum animos, & prædicanda mirabilia Dei nostri, publico Ecclesiæ cultu illius merita, Tua Sanctitate decernente, colantur.

JOSEPH Guerra Episcopus Alatrinus.

BEATISSIME PATER: Satis, superque de piis, sanctisque moribus, & vitâ, meritis, atque miraculis Beatæ Catharinæ de Bononia hactenus dictum: Non satis equidem quia laudis deficiat materia, dum potiùs laudatoris non sufficiat copia; satis autem, superque ad rem, ut ad ejusdem Beatæ Catharinæ solennem Canonizationem properandũ sit. Sic vota hucusque audita concludunt, quibus omninò, tamquam Sapientissimorum, Eruditissimorumque suffragiis, mea adhæret imbecillitas. Propterea nil dictis addere gestio: Ast si quando de ea aliquid fari præsumerem, id, quod ex librorum unicè

cè Sanctorum lectione Spiritus Sancti gratiâ deprompsit, deducerem; scientiam scilicet Sanctorum, scientiam, inquam, Sanctarum rerum, Sanctis non minùs convenientem, quam Sanctos facientem per Fidei, Spei, ac Charitatis supernaturalem prudentiam. Quandoquidem de eo, quod hìc in militanti Ecclesia cum Dei timore agendum sit, quidve de triumphante sperandum, & denique in ipsa fruendum, hæc scientia est; quam acquisivisse Beatam Catharinam, ejusdem in hac vita gesta testantur. Non mirum igitur, si eadem Beata ab exteriori appetitu se custodierit, spe ad interiora rapta carnem maceraverit, totoque desiderio ad supernam Pätriam anhelans, atque æterna præmia expetens, cætera corruptibilia velùti detrimentum reputaverit. Quamobrem Sanctitas Vestra supplicum preces pro ejusdem Beatæ Catharinæ Canonizatione clementer exaudire, & uniformia vota probare dignetur.

JOANNES BAPTISTA Bassus Episcopus Anagninus.

BEATISSIME PATER: Floruit in Beata Catharina etiam à pueribilus annis misericordia, ac liberalitas in pauperes, quibus quidquid præ manibus habere contigerat, singulari benignitate suppeditabat. Enituit in ea contemptus rerum mundanarum ob amorem Jesu Christi, quo jugiter exarsit: Humilitatis, Charitatis, & Obedientiæ virtutibus adeò resplenduit, ut viliora indumenta, & abjectiora ministeria in Monasterio alacri animo exerceret: Sanctæ orationis, ac Divinæ contemplationis studio assiduè dedita, tantopere efferbuit, ut Deiparam Puerum Jesum in ulnis gestantem videre promeruerit: Librum, ac Hymnos edidit pro excitandis Sororibus ad orationis fervorem, & humani generis hostis insidias evadendas: Diuturnis licèt affecta morbis, jejuniis, innumerisque afflictationibus voluntariè assumptis vacavit: Dono prophetiæ, variisque à Deo immissis visionibus illustrata, ecstasim passa, morteque sibi prænuntiatâ, choros Angelorum canentes audivit: Ejus corpus, tametsi terræ traditum, ac inde multos post dies exhumatum, suavissimum efflans odorem, mirâ, ac pulchriori formâ coruscans, incorruptum repertum fuit. Quamobrem vitæ suæ cursu feliciter consummato, virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus pleno, pluribus miraculis, etiam post obitum illustrato, & à Prædecessoribus Sanctitatis Vestræ jam probato, titulo Beatificationis cum Missa, & Officio proprio Monialibus Bononiæ, & Ferrariæ concesso, remanet modò, ut Sanctitas Vestra ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, & solatium totius Christianæ Reipublicæ, solenni ritu, illam, tamquam Sponsam Christo charissimam, Sanctarum Virginum Catalogo adjungat.

VINCENTIUS Vecchiarelli Episcopus Sutrinus, & Nepesinus.

BEATISSIME PATER: Aquâ sapientiæ salutaris potavit Dominus Beatam Catharinam Bononiensem Monialem S. Claræ; ideo à teneris annis mentis despectu hujus seculi prætereuntem figuram abhorruit, & thesaurizare cœpit in Cœlo, ubi æterna, & vera sunt gaudia: Manus suas extendens ad pauperes, in eos, quidquid præ manibus habere poterat, erogabat; & majorem conscendens ætatem, domum cujusdam pietate, & Religione insignis Mulieris, sibi tamquam virtutis tyrocinium assumpsit, in qua postea Regularem Monialium clausuram, & S. Claræ Institutum, ac Regulam sibi, & Sororibus adscriptis observandam definivit; & utì vera humilitatis cultrix, vilioribus indumentis quotidie utebatur, & abjectiora ministeria exercere gaudebat: Ad eum tandem Fidei, Spei, Charitatis, cæterarumque heroicarum virtutum gradum evolavit, ut nihil suavius experiretur, quàm sanctæ orationis, Divinæque contemplationis pabulo refici; & os suum aperiens sapientiæ, sæpè prolixas orationes ad Sorores Moniales habebat, quibus singulas ad mutuam charitatem, & Crucis amorem hortabatur: Gravibus tentationibus ab humani generis hoste vexata, strenuè pugnavit; & licèt diuturnis affecta morbis, adhuc jejuniis, aliisque afflictationibus corpus suum cruciare non destitit, quibus, quasi aurum in camino ignis ardentium tribulationum, diù, multumque probata est. Teneor igitur in eam abire sententiam, ut hæc fortissima Mulier in Sanctorum Catalogo referatur; ut magis tanta lux fulgeat coram hominibus, & exultet S. Mater Ecclesia novæ sobolis fœcunditate jucunda.

FRANCISCUS XAVERIUS Guicciardus Episcopus Narniensis.

MUlierem fortem invenimus, BEATISSIME PATER, non procul, aut in ultimis finibus, sed in Sanctæ Sedis Tuæ felicissimâ Ditione triumphantem, quæ antiquo

Serpente viriliter profligato, nos etiam docet exemplo, & monitis, quibus armis instructi adversùs hostis tela nequissimi, sinè metu progrediamur. Vicit illa Diabolum; vicit quodammodo mortem, quæ vivum Dei Templum violare non est ausa, tot insignibus virtutibus, pretiosis veluti lapidibus, ædificatum. Contritus est laqueus, ut purissimus ille spiritus evolaret ad Cœlum; non dissolutâ sacrorum artuum compagine, ut integritatis tabernaculum coleretur in terris, non sepulcralibus reconditum thecis, sed in Regia sede gloriosum. Cujus igitur gloriæ cum omni virtutum laude præconia consonant miraculorum, hoc unum superest, ut Sanctitatis Vestræ oraculum Canonizationis accedat.

NICOLAUS MARIA Tedeschi Episcopus Liparitanus.

BEATISSIME PATER: Dilectus ille Sponsus, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum, quique in Ecclesiæ sinum, veluti in Hortum suum, descendit ad areolas Aromatum, ut pascatur in illis, & lilia colligat, fragrantissimum Puritatis, & Innocentiæ florem sibi delegit, Catharinam Bononiensem. Hæc, ubi primùm effloruit, cœlestium Charismatum rore perfusa, ac singulari gratiæ dono, ceu solari radio illustrata, Christi amore flagravit. Charitate ipsius jugiter ardens, cùm vix linguâ verba proferret, manu pauperibus subveniebat; utque corruptos seculi mores bonorum operum odore compesceret, primùm Ferrariæ, dein Bononiæ Populos, totam denique Italiam pietate, & virtutibus afflavit. Cordis sui candorem à Mundi nævis quò exactiùs custodiret, pœnitentiæ spinis sepem innexuit, quòve magìs, Deo soli vivens, Hominibus delitesceret, Cœnobii septis inclusa, ac rigidiori silentio addicta, ne sibi ipsi penè innotesceret, concupivit. Verùm, maxima vitæ sanctitas, quæ adeò in terris latere studuit, Cœlites attraxit, & quæ spectatores homines noluit, familiares Angelos habuit. Hinc Thomæ Cantuariensis magisterio erudita, ac Seraphici Patris semel, ac iterum apparitione recreata, supernorum Spirituum concentus audire; ac Deiparam ipsam, Puerum Jesum peramanter gestantem in ulnis suis, videre meruit. Quæ ergo tot meritis clara jam diu Beatorum fastis adscripta fuit, par est, BEATISSIME PATER, ut ejus cultu novis honoribus aucto, Sanctorum nunc aureolâ decoretur, quod & afflictæ à tot annis Christianæ Reipublicæ res exigere videntur: Ut, scilicet in tanta Virgine, cujus sacrum Corpus ad hodiernum usque diem integrum perseverans miraculis coruscat, habeant Fideles purissimæ vitæ normam, quam imitentur; habeant, qui foris sunt, quod in Ecclesia Catholica inspiciant, sanctimoniæ insigne specimen, novumque veluti præclarissimæ Innocentiæ simulacrum: Utque ipsa adhuc vivens, in nefariæ hæresis, & pertinacis schismatis pœnam, Orientalis Imperii excidium, & ore prædixit, & lacrymis deflevit; pacatis modo Christianorum Principum animis, in Mahometis perniciem arma convertat, ut Oriens totus vexillum Crucis excipiens, Petri Imperio subjiciatur.

BERNARDINUS ÆGIDIUS Recchi Episcopus Aquipendii.

BEatam Catharinam de Bononia Angelicæ perfectioni æquare non vereor, BEATISSIME PATER, nam Angelorum Domino copulata, vivendi modum sibi quæsivit è Cœlo, quæ Sponsum sibi invenerat cœlestem; & quidem Angelicum est, eam, quæ carnis vinculis alligata sit, non secundùm carnem vivere. Angelicam ergo, quia duxit vitam, dum adhuc inter mortales ageret, Angelorum meruit audire trisagia, ac Redemptoris beatissima visione frui. Congruum inde arbitror, BEATISSIME PATER, ut Virgo ista, charitate, miraculis, ac omni heroica virtute clarissima, quæ in triumphanti Ecclesia Beatorum consortio jam pridem fuit adscripta, modò etiam in militanti Ecclesia in Sanctarum Virginum cœtum à Sanctitate Vestra referatur; ut dum ejus memoria in venerationis mysterio celebratur, meritis ipsius consocientur Fideles, atque orationibus adjuventur.

ANTONIUS Vaira Episcopus Parentinus.

DE Beata Catharina de Bononia jure dixerim, quæ olim de alia D. Hieronymus usurpavit: *O Decus Italiæ Virgo!* quæ à primis annis candidissimâ vitæ simplicitate, custodiâ animi arctissimâ, exquisito pudicitiæ amore floruit. Puella adhuc, inter blandimenta fortunæ, modestiæ, pietatis, sanctimoniæ speculum fuit: A seculo fugiens, Sanctæ Claræ Institutum amplexa, humilitatis, obedientiæ, pœnitentiæ cæteris Monialibus exemplar extitit; scriptis cœlestia monita cunctis reliquit; Ordinis religiosissimi propagatrix prudentiâ, & charitate

tate insignis, anxiè laborans, constanter patiens, ad extremum usque spiritum decertavit pro gloria Christi sui, quem dilexit, quæsivit, tenuit, illum in omnibus meditata, super illum semper innixa, affluens copiosissimè deliciis ejus: Consors in terris Spirituum supernorum, cœlestium compos donorum, prophetiæ etiam spiritu admirabilis fuit; & inter cætera futurum Græcorum excidium prædixit ob blasphemias in Spiritum Sanctum, quod Sacratissimis Pentecostes diebus subsequutum est. Nunc itaque, Beatissime Pater, infallibili Sanctitatis Vestræ judicio Beata Catharina Sanctarum Virginum Albo adscribatur, & communibus Christianorum precibus exoretur, ut calamitati, quam vivens fusis lacrymis prænunciavit, medelam à Deo Optimo Maximo obtineat.

GEORGIUS Cattaneus Episcopus Viglevanensis.

Beatæ Catharinæ sanctitatem ejus genitor Patavii degens, antequàm illa nasceretur, præscivit. Defuncto Patre, relictâ Margaritæ Estensis aulâ, in strictiori Sanctæ Claræ Cœnobio sepulchrum, ut ita dicam, gloriosum elegit: Ibi cuncta Terrena despiciens, cum Sanctis, cum Angelis, cum Deipara, ejusque Filio sæpius egit: Ardentissimo charitatis igne succensa Populorum discordias extinxit, famâque sanctitatis ejus latiùs evulgatâ, plurimas Virgines Deo adduxit: Heroicis tandem virtutibus, prodigiisque decorata ad æterni Sponsi thalamum evolavit, corporis exuvias in Terris relinquens cœlesti odore fragrantes, morbisque laborantibus salutares. Meritò itaque Sanctitas Vestra decernet, ut Beatam Catharinam inter Sanctarum Virginum choros in cœlesti aula jam receptam militans Ecclesia veneretur.

Habitis omnium suffragiis sic Pontifex Sanctissimus prosequutus est, & pro solenni Canonizatione celebranda diem Dominicam indixit XI. Kal. Junii Sanctissimæ Trinitati hoc anno sacram.

Venerabiles Fratres: *Votis nostris consilia vestra respondent. Pro solenni itaque Canonizatione, benedicente Domino, peragendâ, tam Beatæ Catharinæ de Bononia, de qua hodie locuti fuimus, quàm reliquorum Beatorum, nempe Pii V., Andreæ Avellini, ac Felicis à Cantalicio, de quibus in præteritis Consistoriis actum fuit, indicimus tandem diem Dominicam proximam, hoc est, vigesimam secundam currentis Maji, quâ festum* Augustissimæ Trinitatis *hoc anno celebrabimus. Vos interim sinè intermissione orantes, enixiùs semper à Domino petite, ut ipso favente, ac inspirante, maximæ huic rei supremam ritè manum imponere possimus: ad Divini Nominis gloriam, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum.*

Cùmque in quodam ex suffragiis facta fuisset mentio prædictionis B. Catharinæ de Bononia, quæ Orientalis Imperii excidium, casuramque Constantinopolitanam Urbem in Turcarum manus in Pervigilio Pentecostes anni 1453. prænunciaverat; conversus ad Orientales Episcopos, qui frequentes aderant, ita ex tempore subjunxit.

Vos verò, Orientales Præsules, Cœlestem Misericordiarum Patrem potissimùm exorate, ut intercedentibus Beatæ Catharinæ meritis, quæ Imperii Orientalis excidium, Græcorum in Spiritum Sanctum blasphemiis ita promerentibus,

rentibus, prædixit, per ineffabilem Divinæ suę Bonitatis abundantiam, Gręcię vestrę, quam Nos in visceribus gerimus paternę Charitatis, post diuturnam pœnam, hoc est, miseram tot annorum servitutem, concedere tandem dignetur, ut pristinam consequi libertatem, suosque valeat errores detestari.

Ubi Sanctissimus dicendi finem fecerit, servato more in superioribus Consistoriis semipublicis descripto, Procurator Generalis Cameræ Apostolicæ sequentibus verbis Protonotarios est alloquutus.

Ego Nicolaus Jacobatius Sanctissimi Domini Nostri, & Cameræ Apostolicæ Procurator Generalis rogo Vos omnes Protonotarios, & Notarios Apostolicos hic præsentes, ut de sententiis, consilio, & unanimi consensu Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, deque Summi Pontificis oratione, ac deliberatione præhabitis super solenni Canonizatione Beatæ Catharinæ de Bononia, unum, vel plura, publicum, seu publica conficiatis Instrumentum, vel Instrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Subinde R. P. D. Prosper Columna Protonotariorum Apostolicorum antiquior, sui Collegii nomine, eos, qui juxta Thronum Pontificium stantes reperiebantur, hujus rei testes adhibuit consuetis his verbis: *Vobis Testibus*: atque ita dimissum est Consistorium semipublicum.

Verùm, quia Sanctissimus Pontifex in Consistorio secreto post semipublicum, & in eadem Aula Ducali Vaticana numerum S. R. E. Cardinalium erat impleturus, adhuc sacris ornatus vestibus, & Mitrâ, prout (1) aliàs Summi Pontifices pronuntiaturi Cardinales in secreta solebant exire Consistoria, absoluto semipublico, statim Episcopos, & alios non Cardinales per hæc verba dimisit: *Remaneant Venerabiles Fratres nostri Cardinales; cæteri omnes recedant*: Tum Præsules omnes, aliique non Cardinales, unus post alium, consueto erga Pontificem præstito obsequio, Aulâ sunt egressi; clausisque iterum foribus, Sanctitas sua creavit octodecim S. R. E. Cardinales Pontificio dignos eloquio, quos sive Ecclesias sibi commissas regendo, sive illustres Legationes, aut alia Apostolicæ Sedis munia laudabiliter obeundo; sive regulari observantiâ, ac scientiarum laude, quas pro Ecclesia Dei, & orthodoxâ Religione præclarè tractarunt, meritissimos compellavit: Ex his tamen undecim tantùm evulgavit, reliquos septem in pectore, ut ajunt, reservavit arbitrio suo quandocumque evulgandos, atque his usus est verbis.

VENERABILES FRATRES: *Eodem planè tempore, quo Nos afflictis Ecclesiæ rebus opem laturi, Sanctorum Catalogo nova nomina adjungere cogitavimus, Vestrarum etiam Fraternitatum numerum, pari ejusdem Ecclesiæ rationibus opportunè consulendi studio ducti, novis nominibus augere constituimus; ut ita tam cœlestibus, quàm humanis subsidiis, quantùm in Nobis est, publicæ causæ succurramus. Enixis proinde, ac diuturnis precibus Deum Optimum Maximum humiliter dudum exoravimus, ut in ejusmodi re, quod, & quale esset Divinæ suæ, atque incomprehensibilis Sapientiæ beneplacitum, Nobis ostendere dignaretur. Temporis subinde opportunitatem nacti, quo delapsi olim è Cœlo Divini Spiritus memoriam anniversariâ supplicatione celebravimus,*

[1] *Cærem. Rom. lib. 1. sect. 9. cap. 3.*

mus, ſupremum luminum Patrem ferventiùs iterum rogavimus, ut mentem Noſtram cœleſti ſuâ luce perfunderet: Hodiernã demum jejunio conſecratam diem, ex veteri Prædeceſſorum Noſtrorum more, ad rem ipſam, benedicente Domino, perficiendam delegimus. Faxit Deus, ut omnes in ampliſſimum veſtrum Ordinem cooptandi, muneris, ad quod vocantur, debito ita reſpondeant, ut in eis glorificetur Deus, Eccleſia lætificetur, ac Sacerdotale miniſterium honorificetur.

Ad majorem igitur Omnipotentis Dei gloriam, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ decus, & utilitatem, intendimus creare eos omnes, nempe octodecim, qui ad ſeptuagenarium veſtrûm numerum complendum in præſens deſunt, Cardinales, eoſque, quantum Nobis fas eſt, ex omnibus Chriſtianitatis Nationibus aſſumere, ut de iis, qui perſonas Sanctorum Apoſtolorum repræſentare debent, verè dici valeat: In omnem terram exivit ſonus eorum. *Ex illorum tamen numero, gravibus ex cauſis animum Noſtrum moventibus, undecim dumtaxat nunc evulgare cenſemus, videlicet:*

1. Joannem Antonium Archiepiſcopum de Via Epiſcopum Ariminenſem.
2. Auguſtinum Archiepiſcopum Cuſanum Epiſcopum Papienſem.
3. Julium Archiepiſcopum Piazza Epiſcopum Faventinum.
4. Antonium Felicem Zondodarium Archiepiſcopum Damaſcenum.
5. Armandum de Rohan Epiſcopum Argentinenſem.
6. Nunum de Cunha de Attaide Epiſcopum Targenſem.
7. VVolfangum Annibalem ex Comitibus de Schrottembach Epiſcopum Olomucenſem.
8. Aloyſium Priolum Rotæ Romanæ Auditorem.
9. Joſephum Mariam de Thomaſiis Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum.
10. Joannem Baptiſtam Ptolomæum Societatis Jeſu.
11. Franciſcum Mariam ab Aretio Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum Palatii Noſtri Apoſtolici Concionatorem.

Alios ſeptem in pectore reſervare intendimus, arbitrio Noſtro quandocumque evulgandos.

Curavimus ſeligere Viros ſive Eccleſiarum ſibi commiſſarum adminiſtratione, ſive illuſtribus Legationibus, ſive aliis Apoſtolicæ Sedis Miniſteriis diù probatos; non neglēximus Regulares, ut aliquam Religioſorum Ordinum benè de Eccleſia, & Orthodoxa Religione meritorum rationem habuiſſe videamur.

Quid igitur Vobis videtur?

Ad

Ad hæc Patres Eminentissimi, unus post alium, suffragati sunt tam spectabili Promotioni, debitas agendo gratias Sanctitati Suæ, quæ Viros omnium virtutum laude præstantes ipsorum Collegio adjungere dignabatur.

Summus autem Pontifex, cùm omnium suffragia excepisset, consuetum protulit Decretum.

AUctoritate Omnipotentis Dei, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostrâ, creamus S.R.E. Presbyteros Cardinales

Joannem Antonium Archiepiscopum de Via Episcopum Ariminensem.

Augustinum Archiepiscopum Cusanum Episcopum Papiensem.

Julium Archiepiscopum Piazza Episcopum Faventinum.

Antonium Felicem Zondodarium Archiepiscopum Damascenum.

Armandum de Rohan Episcopum Argentinensem.

Nunum de Cunha de Attaide Episcopum Targensem.

VVolfangum Annibalem ex Comitibus de Schrottembach Episc. Olomucẽsem.

Aloysium Priolum.

Josephum Mariam de Thomasiis.

Joannem Baptistam Ptolomæum.

Franciscum Mariam ab Aretio cum dispensationibus, derogationibus, & Clausulis necessariis, & opportunis.

Alios septem in pectore reservamus arbitrio Nostro quandocumque declarandos.

In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sãcti. Amẽ.

Post hæc, duabus ferè post meridiem jam lapsis horis, dimissum est Consistorium. Nonnulli ex DD. Cardinalibus, Consanguinei scilicet, aut Affines, vel quorum intererat præfata Promotio, veluti Regum Procuratores, & Administri, accesserunt ad Summum Pontificem in gratiarum actionem pedes deosculaturi.

His expeditis, SANCTISSIMUS PATER, totâ plaudente Curiâ, Aulam Paramentorum repetiit: Ibi sacris exutus vestibus, DD. Cardinalibus Diaconis Pamphilio, & Otthobono in ordine prioribus discedendi veniam præbuit; ac per Cubiculum faldæ (Faldâ ipsâ ibi demissâ) ad superiores Pontificias Ædes remigravit.

Evulgata novorum Cardinalium Promotio novâ affecit Urbem lætitiâ: In sero ejusdem, & sequentis diei, Purpurati Patres, Præsules, & Magnates, festis ignibus, & luminaribus, publica, ut est in more, sinceri de Promotione gaudii argumenta dedere. Ex decem, & octo Cardinalibus ex variis Christianitatis Nationibus assumptis, quatuor, scilicet Aloysius Priolus, Joseph Maria de Thomasiis, Joannes Baptista Ptolomæus, & Franciscus Maria Casinus Romæ commorabantur; atque ex his duo, de Thomasiis nimirùm, & Ptolomæus, utpotè, qui de nunquam acceptandâ Ecclesiasticâ dignitate voto obstringebantur, in amplissimum referri Ordinem renuebant: Præcepto tamen Pontificio accedente assensum præbuere, ac mane sequentis feriæ sextæ habitu Prælatitio induti, curruque Eminentissimi Albani velis clauso deducti, in Vaticanum concessere; ibique vertice Capitis ad Coronam abraso, post reditum Summi Pontificis ab Ecclesia Lateranensi, quam iterùm ante solennia Canonizationis, Devotionis gratiâ, inviserat, per manus Pontificias purpureo Bireto ex more fuerunt decorati.

Porrò ritum hunc traditionis Cardinalitii Bireti nullibi, quod sciam, vulgatum, non erit abs re (contractâ tamen methodo) demonstrare, sicuti & publicum Consistorium ab antiquo more paulisper immutatum, ut nunc habet, describere.

Cùm itaque ad Palatium Apostolicum pervenerit recens Cardinalis, in aliquo Pontificiarum Ædium inferioris partis Cubiculo ad id parato, ei vertex ad Cardinalitiam Coronam abraditur; hinc habitu, ut supra, adinstar Prælatorum Romanæ Curiæ, & juxta formam in Cœremoniali Episcoporum descriptam, indutus, per secretiores gradus ad superiorem Pontificiam Domum à Cœremoniarum Magistris deducitur, eique in eorundem graduum summitate occurrit Cubiculi Papæ Præfectus. Consistit ille in secreto Procœtone usque dum Summus Pontifex, de ejus adventu certior factus, Rocchetto, Mozzettâ, & Camelaucio tempori congruis amictus, in Sede sub Aulæ familiaris Auditorii Umbellâ, se composuerit, ac per Cubicularium secretum à dexte-

dexteris Papæ, extra anticam ſuppedanei partem, ligneum Scabellum pictum, ad ſedendum pro eodem Cardinali, fuerit collocatùm; Tunc habito ſigno, ab obſequiis familiarium Papæ ſolutus, medius inter duos Cœremoniarios, Auditorii Aulam ingreditur, ter per æquè intervalla demiſſo in terram genu, Pontificem ſuper eum producentem ſignum Crucis, reveretur; ultimo loco in genua conſiſtit coram Pontifice, qui, dum Cœremoniarii eum induunt Mozzettâ Cardinalitiâ (niſi novus Cardinalis fuerit ex illis Regularium Ordinibus aſſumptus, quos perpetua, & inviolabilis lex excludit ab uſu Rocchetti) Coccineum Biretum Cardinalitium, ſuper pelvim à veſtium Cuſtode, nunc Illuſtriſſimo Alexandro Bonaventura Nazianzi Præſule oblatum, eidem imponit, quod ille ſibi detrahit ſtatim oſculatur pedem, & manum Papæ, & ſurgens ad paternum recipitur amplexum: Sedet deinde, & Caput Bireto tegit: Mox Cuſtode Veſtium, ac Cœremoniariis ab Aula recedentibus, aperiendo Caput, & poſtmodùm illud cooperiendo, Sanctissimo Patri gratias agit de promotione, merita propria extenuando, & gradum amplificando Dignitatis: Humili deinde, quo decet, ſenſu, excipit Sanctissimi Patris monitiones circa recens illi onus cum Dignitate impoſitum, quod perfectionis ſtatum requirit; necnon circa promotionis rationes, ſuſceptamque de illius virtute expectationem: Tandem dimittitur à Pontifice, cui, dum recedit, iterùm ter debitâ paſſuum diſtantiâ demiſsè ſe inclinat, aſſociatuſque à Cubiculi Papæ Præfecto ad eum uſque locum, ubi primùm exceptus ab ipſo fuerat, per eoſdem ſecretos gradus, ad inferiorem Ædium partem deſcendit, domumque eodem modo, quo venerat, Curru ſcilicet velis clauſo, reducitur. Cæterùm, ſi plures fuerint novi Cardinales, & adhuc ſi plures Presbyteri, pluresque Diaconi, tot ſedilia, quot Cardinales, pro Presbyteris ad dexteram Sedis Pontificiæ, pro Diaconis ad ſiniſtram comparantur: Quòd, ſi unus Diaconus cum pluribus Presbyteris, ſedet ille poſt ultimum Presbyterum; unus autem, omnium nomine gratias referendo, Pontificem alloquitur.

In præſentiarum ita ſe habet ratio traditionis Bireti Cardinalitii. Deerat ad operis complementum traditio Galeri rubri Inſignis ſingularis Dignitatis Cardinalatus, ut novis Romanæ Eccleſiæ Patribus conſcriptis, interveniendi ſolenni Canonizationi, in qua priùs, utì Conſultores, multum operis, & laboris impenderant, locus eſſet. Ad hanc peragendam una ſupererat dies; itaque Sanctissimus Pater Conſiſtorium publicum pro ſequenti mane mandavit denunciari ſub hac forma.

Sabbato die 21. currentis menſis Maji horâ 13. in Aula Ducali Palatii Vaticani erit Conſiſtorium publicum, in quo Sanctiſſimus D. N. Galerum rubrum Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus novis tradet.

Ideo intimentur omnes, & ſinguli Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi DD. Cardinales, qui intererunt Veſtibus rubris, & Cappis violaceis induti.

Intimentur etiam Gubernator Urbis Vicecamerarius, Principes Solii, Conſervatores, Oratores Civitatum ſubditarum, & Magiſter Sacri Hoſpitii. Intimentur pariter Decani omnes Collegiorum tum Prælatorum, tum Officialium, qui Collegas ſuos admoneant; Secretarius Congregationis Sac. Rituum, Promotor Fidei, cæterique intimari ſoliti.

De mandato SS. D. N. Papæ.

Candidus Caſſina Magiſter Cœremoniarum.

Mane igitur Sabbati Sanctiſſimæ Trinitatis pervigilii in Aula Ducali Vaticana habitus fuit publicus Conventus. Recentes Cardinales, antiquis ſeſe in omnibus conformantes, ſi ritum demas procedendi, Curru velis clauſo, Parafrenariis ſequentibus, proceſſere rectà in Sacellum Sixtinum omnium primi, nè ſcilicet antiquis ante tempus commiſcerentur: Ibi ſacris identidem Cantionibus detenti, congruo tempore, cùm ſcilicet advenirent Cardinales ordine Priores, S. R. E. Camerarius, & Vice Cancellarius, conſuetum Sedi Apoſtolicæ juramentum fidelitatis præſtitere.

Poſt hæc Sanctissimus Pater ſacro frequenti Senatu coacto, pretioſis veſtibus rubris amictus, ac Mitrâ, ad Aulam Ducalem perrexit, ubi Sedi Pontificiæ ſub umbella inſidens, compoſitis hinc inde flabellis pavoniciis, Purpuratos Eccleſiæ Principes ad ſolennem reverentiam juxta leges Cœremoniales excepit. Mox, ad loca ſua abeuntibus duobus Diaconis aſſiſtentibus, ad præſcriptum Decreti Conſiſtorialis Urbani VIII. ſexto Kalend. Febr. 1631. editi, in quo, abrogatis declamationibus de rebus prophanis, & plerumque de atrocibus confictis, & imaginariis, propoſitiones Cauſarum Servorum Dei fuerunt ſubrogatæ, Cauſam egit de B. Agnete Montis Politiani Dominus Ferdinandus de Valentibus Advocatus

tus Consistorialis, qui nutu Cœremoniarii, absolutâ primâ periodo, siluit; ut octo, quot erant probè ad actionem necessarii, DD. Diaconis Cardinalibus antiquis esset locus eundi ad deducendos in Consistorium quatuor novos Cardinales: quibus è Consistorio egressis, D. Advocatus Causam est prosequutus usquedum reversi iidem Diaconi Cardinales, novos ad formam (1) libri Cœremonialis Romani deduxerunt. Tum destitit iterum ab Oratione Advocatus, & duo antiquiores Diaconi medium habentes primò nominatum ex novis, Priolum scilicet, eundem Cappis explicatis, apertoque Capite, adduxerunt ad Pontificem, tribus erga ipsum demissè, ac æquo intervallo, peractis reverentiis. Ad humiliores Solii Pontificii gradus cùm pervenissent, cæteris interim Cardinalibus considentibus, antiquiores Diaconi, expletis cum novo deducto mutuis salutationibus, ad assistendum Summo Pontifici ascenderunt. Tum novus Cardinalis solus, conscensis Solii gradibus, in genua provolutus, osculatus est pedem, deinde manum nudam Papæ, qui eum ad osculum oris excepit. Ille verò solutus ab amplexu in dexterâ Solii areâ stetit, Collegas moratus deducendos continuò, pari modo, & successivè usque ad gradus Solii ab aliis Diaconis Cardinalibus antiquis, qui peractis cum novo mutuis salutationibus, ad subsellia reverterunt: Illi verò, de Thomasiis scilicet, Ptolomæus, & Casinus ascendentes ad Pontificem soli, erga ipsum ea omnia, quæ primus, complevere; subindè omnes ab assistentibus Diaconis deducti, unus post alium descenderunt ad antiquos, quos stantes, servato ordine, amplexati sunt, Diaconis ipsis deductoribus minimè prætermissis, quibus post amplexum postremi Cardinalis Presbyteri ad sui ordinis subsellia regressis, ac simul stantibus, idem Officii munus præstarunt. Ab omnium tandem antiquorum amplexu expediti, à Magistro Cœremoniarum fuerunt deducti ad subsellia, & sederunt post ultimum Cardinalem Presbyterum antiquum juxta ordinem Promotionis, & gradus. Tunc D. Advocatus Consistorialis Causam B. Agnetis prosecutus: Verùm eam haud valens, ob rei gravitatem, & mirabilium copiam, ad finem perducere, in genua cum Collegis provolutus, reliqua in sequentibus Consistoriis se relaturum spopondit, præsentibus Sac. Rituum Congregationis Secret. Cappâ induto, & Fidei Promotore, qui tamen consuetam protestationem omisit: Sanctissimo D. N. solitam formam, *Sacrorum Rituum Congregatio audiat, & referat*, non proferente. His expletis, novi Cardinales Cappis explicatis, unus post alium, & soli reverterunt ad Sanctitatem suam, quæ assistentibus sibi duobus Cardinalibus Diaconis antiquioribus, unicuique novo Cardinali de genu in imo Sedis Pontificiæ gradu flectenti, Caput capitio Cappæ tectum, stantibus cæteris DD. Cardinalibus, singillatim, secundùm ordinem Promotionis, Galerum Cardinalitium imposuit, his verbis non sinè animi commotione, ac aperto lacrymarum cursu prolatis.

AD laudem Omnipotentis Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ ornamentum, accipe Cappellum rubeum, Insigne singulare Dignitatis Cardinalatus, per quod designatur, quòd usque ad mortem, & sanguinis effusionem inclusivè, pro exaltatione Sanctæ Fidei, pace, & quiete Populi Christiani, augmento, & statu Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, te intrepidum exhibere debeas. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Dum Galerus alteri imponebatur, primus in dexteram Solii partem secesserat, aliis succedentibus, pariterque secedentibus, usquedum Summus Pontifex, ab omnibus expeditus, surgens, producto super amplissimum Purpuratorum Ordinem Crucis signo, Consistorium dimisit. Tunc novi militantis Ecclesiæ Principes ante SANCTISSIMUM PATREM ad Aulam Paramentorum prælatâ Cruce redeuntem perrexerunt, ibique eidē sacris Vestibus exuto, de impertito honore gratias egerunt, eorum primo cæterorū nomine, ut assolet, Pontificem alloquente: qui brevì, ac graviter illos admonuit, ut sæpè recolerent, ac memoriæ infixum haberent, quid Dignitas, quid Jusjurandum, quo Sedi Apostolicæ sese obstrinxerant, ab illis exposceret; dimisitque. Interim Cantoribus

[1] *Lib.* 1. *sect.* 8. *cap.* 21.

toribus Sacelli Pontificii canentibus Hymnum, *Te Deum laudamus*, DD. Cardinales Episcopi, & Presbyteri, bini, bini in prædictum Sacellum processere: Ultimo loco Diaconi incedebant, quorum primi, medium habentes primum ex novis, novissimi progrediebantur; Antiqui rectà ad subsellia: Novi, expleto priùs salutationis officio erga antiquos, & deductores, ad Altaris gradus processerunt. Tunc procidentes in genua super pulvinaria proni decumbunt brachiis fronti suppositis: Magistri Cœremoniarum eorum capita cooperiunt Capitio Cappæ, cujus syrma per gradus Presbyterii protenditur. Circa finem Hymni Prior Episcoporum ad cornu Epistolæ accessit: Hymnoque absoluto, cecinit versiculos, & Orationes infrascriptas.

Pater noster &c. secretô.
℣. *Et ne nos inducas &c.*
℟. *Sed libera nos &c.*
℣. *Salvos fac servos tuos Domine.*
℟. *Deus meus sperantes in te.*
℣. *Mitte eis Domine auxilium de Sancto.*
℟. *Et de Sion tuere eos.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus miserere famulis tuis, & dirige eos secundùm misericordiam tuam in viam salutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur: Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

His absolutis, novi Cardinales consurgentes complicatis Cappis, præstitâ erga Crucem Altaris veneratione, rectà unus post alium in Aulam Regiam Sacello proximam contenderunt, ibique in linea juxta parietem ad dexteram exeuntis Sacello constiterunt; & exeuntibus, ordine graduum servato, Cardinalibus antiquis, ac discedentibus, de labore perlato singillatim mutuo amplexu gratias egerunt.

Supplet hac cœremonia locum solennis deductionis, quæ fiebat antiquitùs novorum Cardinalium ad Ædes suas cùm equitatu, ut in libro (1) Cœremonialis Romani; nondum enim Currus erant in usu: contra quem, licèt frustrà, sicuti ex actibus Consistorialibus comprobatum habemus, insurrexit (2) Gregorius XIII. Cæterùm abeuntibus antiquis, novi Cardinales, prævio Summi Pontificis consensu, frequenti Nobilium, & Prælatorum comitatu, pro prima vice publicè ad ipsum ascenderunt, & de collato sibi ipsis amplissimo gradu iteratò gratias agentes, publicum, & perenne grati animi exhibuerunt testimonium. Hoc quoque completo, antequam Domum reverterentur, eodem Nobilium comitatu Basilicam Vaticanam inviserunt, dilato ad aliud tempus, ob imminentem solennis Canonizationis diem, publicæ visitationis officio erga Sac. Senatus Prodecanum.

Longè ab argumento evagati fuimus: Interea eorum, quæ ad tantæ actionis magnificentiam, & ordinem erant necessaria, nihil omissum est. Porrò Sanctissimus Pater, ut hujusmodi solennia Cœlestibus quoque donis fierent celebriora, & ut Christifideles ad egregias tam illustrium Beatorum virtutes sectandas alliceret, ipsique insimul gratiam ad id promerendum faciliùs à Deo obtinerent, amplissimum plenariæ Indulgentiæ beneficium proposuit, concessitque iis, qui peccata confessi, sacrâ Communione reficerentur, vel firmum haberent propositum infrà secuturæ hebdomadis decursum communicandi, & solenni supplicationi, seu sacræ Canonizationis actioni interessent; Evulgato feriâ 4. XV. Kal. Junii sequentis tenoris edicto, cujus exemplaria Typis data, Eminentissimus Cardinalis de Carpineo ad præcipua quædam, & frequentiora, etiam ultrà morem, Urbis loca illicò affigi, & promulgari mandavit, transmissis eodem tempore ad Cœnobia, & Ecclesias, quæ Edictum sequuntur, denunciationibus, juxta consuetam intimationem eidem Eminentissimo Vicario per Pontificios Cœremoniarios transmissam.

Eminentissimus, & Reverendissimus Dominus Cardinalis Vicarius mandet affigi per Urbem schedulam publicationis Indulgentiæ plenariæ, quam Sanctissimus elargitur omnibus interessentibus solenni Canonizationi Beatorum Pii V., Andreæ Avellini, Felicis à Cantalicio, & Catharinæ de Bononia, Deo inspirante, peragendæ die Dominicâ 22. currentis mensis Maji Festo Sanctissimæ Trinitatis *in Basilica Vaticana.*

Mandet insuper Mandatariis, ut utrum-

[1] *Lib.* 1. *sect.* 7. *tit.* 8. [2] 15. *Decembris an.* 1574.

que Clerum Secularem, & Regularem, nec exceptis Capitulis trium Basilicarum Urbis, & duarum Collegiatarum Insignium, necnon Monachis quantumvis exemptis, admoneant, etiam dimissâ copiâ typis imprimenda, ut summo mane horâ scilicet nonâ dictæ diei Dominicæ 22. Maji cum eorum Crucibus, sicuti solent in Festo Corporis Christi, ad Vaticanum contendant, & in Atrium magnum Palatii Pontificii simul conveniant, indè supplicabundi consueto ordine discessuri: & à Porta majori Palatii ad Obeliscum; indêque ad Portam Basilicæ hinc indè dispositi Pueri Hospitii Apostolici S. Michaelis, & Orphani, necnon Clerus Regularis, & Secularis, exclusivè ad Capitula dictarum Collegiatarum Insignium, Stationes agentes SANCTISSIMI *adventum expectent. Capitulum S. Petri in suo ordine procedat, & sub Porticu hinc indè dispositū* SANCTISSIMO *pariter adventuro assistentiam consuetam præstet. Capitula verò Collegiatarum Insignium, necnon Basilicarū Liberianæ, & Lateranensis, Basilicam ipsam Vaticanam ingrediantur, ibique disposita per alas adventum* SANCTISSIMI *similiter expectent.*

Mandet etiam intimari, Domi quoque dimissâ copiâ, ut supra, imprimenda, omnibus, & singulis Rectoribus, Sacristis, Cappellanis, seu quovis alio nomine nuncupatis Ecclesiarum, & Oratoriorum omnium Custodibus, necnon Monialibus Urbis, ut die prædicta 22. Maji, cùm primùm audierint Bombardarum strepitum ex Arce S. Angeli, seu pulsum Campanæ Capitolinæ inter duodecimam, & decimam tertiam horam circiter, pulsent, seu pulsari faciant Campanas omnes hilariter per integram saltem horam.

INDULGENZA PLENARIA.

GASPAR Miseratione Divina Episcopus Sabinen. S. R. E. Card. de Carpineo, Sanctissimi D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejusque Districtus Judex Ordinarius &c.

LA Santità di Nostro Signore Papa CLEMENTE *XI. concede Indulgenza Plenaria, e remissione de' peccati a tutti li Fedeli Cristiani dell'uno, e dell'altro sesso, che confessati, e communicati, ovvero con fermo proposito di communicarsi dentro la ventura settimana, interverranno alla Processione, o alla solenne Canonizazione delli Beati Pio V., Andrea Avellino, Felice da Cantalice, e Catarina da Bologna, che con l'ajuto Divino si farà dalla Santità Sua Domenica prossima 22. del corrente Mese di Maggio, festa della* SANTISSIMA TRINITA', *nella Basilica Vaticana, ed a quelli, che ritenuti in Casa, o in Carcere, ed alle Monache, ed altri esistenti in Clausura, e ad ogni altro in qualunque modo legitimamente impedito, che allo sparo di Castello, o al suono delle Campane in detta mattina genuflessi, o altrimente, come potranno, diranno tre* Pater noster, *e tre* Ave Maria, *e renderanno grazie a Dio della solenne Canonizazione delli sudetti Beati, per la gloria, che in essa si aggiunge alla Religione Cattolica.*

Premendo però sommamente alla Santità Sua, che tutti quei Fedeli parimente dell'uno, e dell'altro sesso, di qualsisia grado, o condizione siano, che vorranno intervenire alla suddetta Processione, o Canonizazione, vi assistino con quella maggior modestia, e divoto raccoglimento, con cui tanto interiormente, quanto esteriormente merita di essere accompagnata una sì sagra azione; di ordine espresso della Santità Sua se ne dà loro questo speciale ricordo, col quale strettamente s'incarica a ciascheduno di essi di pratticare in tale occasione tutta quella pietà, e divozione, che conviene alla santità della funzione, che si fa; Onde non solo abbia ad esser rimossa ogni occasione di scandalo, che si darebbe da chi facesse diversamente, ma per lo contrario abbia a darsi motivo a chiunque vedrà la stessa funzione, di ritrarne edificazione, e profitto. Avverta perciò ogniuno di conformarsi con la dovuta ubbidienza alla giustissima mente di Nostro Signore, per non incontrare l'indignazione della Santità Sua, e molto più per non incorrere quella di Dio, che con severi castighi suol punire le irriverenze, che si commettono nelle azioni ordinate all'accrescimento del suo culto, ed alla maggiore propagazione della sua gloria, quale appunto è la solenne Canonizazione de' Santi. In quorum fidem &c. Dat. Romæ ex Ædibus Nostris hac die 18. Maji 1712.

G. Card. Vicarius.

N. A. Canonicus Cuggiò Secretarius.

GASPAR Miseratione Divina Episcopus Sabinensis S. R. E. Cardinalis de Carpineo, Sanctissimi Domini Nostri Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejusque Districtus Judex Ordinarius &c.

LA Santità di Nostro Signore comanda a tutti li Canonici delle Patriarcali, e Colleggiate, anco Insigni, Curati Secolari, e Regolari, Monaci, Frati, ed altri tutti del Clero Secolare, e Regolare di Roma soliti ad intervenire alla Processione del Corpus Domini, *che Domenica 22. del corrente mese di Maggio, Festa della SS.* TRINITA', *debbano ritrovarsi ad ore nove nel Cortile superiore del Palazzo*

Aposto-

Apostolico Vaticano, per intervenire alla generale solenne Processione della Canonizazione da farsi con l'ajuto Divino nella Basilica di S. Pietro delli Beati Pio V., Andrea Avellino, Felice da Cantalice, e Catarina da Bologna, sotto pena a nostro arbitrio. Dat. Romæ hac die 18. Maji 1712.

La Processione comincerà dalla Porta maggiore del Palazzo alla Guglia, ed indi alla Porta della Basilica di S. Pietro; dove i Fanciulli dell' Ospizio Apostolico, detti di S. Michele, nell' uscir dalla Porta cominceranno a disporsi per ala d'ambedue le parti, e così gli Orfanelli, ed altri tutti del Clero Regolare, e Secolare disposti per ordine l'un dopo l'altro, secondo che arriveranno, si tratterranno così disposti, ed aspetteranno Sua Beatitudine.

Il Capitolo di S. Pietro s'incaminerà prima secondo il solito, e disposto sotto il Portico della Basilica, presterà la solita assistenza a Sua Santità.

Li Capitoli, e Clero delle Basiliche Liberiana, e Lateranense con le due Collegiate insigni, e non altri, entreranno dentro la Basilica Vaticana, ed in essa disposti per ala, similmente aspetteranno l'arrivo di Sua Santità.

Si ricorda di ordine espresso, e speciale della Santità Sua a tutti quelli, che interverranno alla suddetta Processione, di pratticare in tale occasione tutta quella modestia, pietà, e divozione, con cui tanto interiormente, quanto esteriormente merita di essere accompagnata un' azione sì sagra.

G. Card. Vicarius.

N. A. Canonicus Cuggiò Secr.

GASPAR Miseratione Divina Episcopus Sabinensis S. R. E. Cardinalis de Carpineo, Sanctissimi Domini nostri Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejusque Districtus Judex Ordinarius &c.

DI ordine espresso di Nostro Signore si comanda a tutti i Superiori tanto Secolari, quanto Regolari, Rettori, Sagrestani, Cappellani, Custodi, ed a qualunque altro Ministro di tutte le Patriarcali, Basiliche, Collegiate, Chiese, Oratorj, e Monasterj di Monache in Roma, che Domenica prossima 22. del corrente mese di Maggio, festa della SANTISSIMA TRINITA', *nel qual giorno si farà dalla Santità Sua, mediante l'ajuto Divino, la solenne Canonizazione delli Beati Pio V., Andrea Avellino, Felice da Cantalice, e Catarina da Bologna, subito che udiranno le Bombarde di Castel S. Angelo, o suonare la Campana di Campidoglio circa le 13. ore, facciano suonare tutte, e singole Campane delle loro Patriarcali, Basiliche, Collegiate, ed altre Chiese anco di Monache, ed Oratorj, a Festa per lo spazio almeno di un' ora, e più, sotto pena a nostro arbitrio. Dat. Romæ die 18. Maji 1712.*

G. Card. Vicarius.

N. A. Canonicus Cuggiò Secr.

Feriâ verò 5. XIV. Kal. ejusdem mensis Junii in Basilicam Vaticanam convenerant Illustris. & Reverendissimus Picus ex Ducibus Mirandulæ Patriarcha Constantinopolitanus Apostolico Palatio Præfectus, R. P. D. Fabritius de Augustinis Cameræ Apostolicæ Clericus Armorum Procommissarius Generalis, Excellentissimus Dux Poli Magister Sacri Hospitii, D. Hieronymus Columna Sanctissimi Domini Nostri Papæ Florerius major, D. Joannes Corradus Pfiffer de Altishoffen Dux Custodiæ Militum Helvetiorum, D. Augustinus Cerrutus Militum Tribunus, Antonius Valerius Theatri Canonizationis Architectus, nonnulli ex Canonizationis Postulatoribus, & unà mecum alii Cœremoniarum Magistri. Ibi actum de Theatri Custodia: de repagulis, quæ, relicto ad ingressum intervallo, circumquaque usque ad æneam Divi Petri Statuam, ad arcendum Populi impetum, jussum est ampliari: de distributione locorum, tam pro Religiosis, quàm pro Nobilibus Advenis, aliisque, præcipuè Familiaribus Cardinalium, qui Oblationibus inservire debebant: de Abacis pro Oblationibus, rebusque aliis: de contignationibus in Theatri Peripheria erectis, earumque ligneis cratibus: de ornatu Theatri; tandemque de custodiendo supplicationis itinere, nè quis importunè rectum Ordinem interturbaret.

Ut autem promptiùs, accuratiùsque executioni demandarentur, quæ ad tantam solennitatem peragendam opus erant, & suum quisque munus tempestivè posset explere, D. Canonicus Cassina alter Cœremoniarum Pontificiarum Magister, omnibus, ad quos ex officio super alios erat auctoritas, sequentes monitiones in scriptis præmisit.

ILlustrissimus, & Excellentissimus D. Carolus Albanus Capitaneus Custodiarum Pontificiarum Militum Equestrium levis armaturæ mandet iisdem Militibus, ut die Dominica 22. currentis mensis Maji Festo SS. TRINITATIS *valde diluculò induant se indumentis ferreis, atque equis insidentes in aciem dispositi maneant in Platea S. Petri integro mane-*

sclo-

sclopulos explosuri post datum signum absolutæ Canonizationis.

Illustrissimus, & Excellentissimus Dominus Alexander Albanus Capitaneus Militum Cataphractorum mandet iisdem Militibus, ut die Dominicâ 22. currentis mensis Maji Festo SS. TRINITATIS, *ferreis indumentis vestiti, atque equis insidentes, ense nudato, ad Plateam Basilicæ Vaticanæ valdè diluculò accedant, ibique in agmen directi integro mane subsistant sclopulos displosuri accepto signo expletæ Canonizationis.*

Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Fabritius Aurelius de Augustinis Pro-Commissarius Generalis Armorum mandet, ut die Dominicâ 22. currentis mensis Maji Festo SS. TRINITATIS, *omnes militares copiæ pedestres valdè diluculò ad Forum Vaticanum conveniant, ubi viam Processionis à Porta majori Palatii Pontificii ad Obeliscum, indèque ad Portam Basilicæ, ac demum usque ad prima septa Canonizationis Theatri, baculis præpilatis armati, stipent, & sepiant, nec quemquam sinant præter processuros in supplicatione ante se sistere, vel per medium importunè transire.*

Illustrissimus Dominus Joannes Corradus Pfiffer de Altishoffen Capitaneus Custodiæ Helvetæ Sanctissimi præcipiat suis Bombardariis, ut die Dominicâ 22. currentis mensis Maji Festo SS. TRINITATIS *circa horam 13., ubi primùm audierint tympanorum pulsum, ac buccinarum clangorem, omnia mortariola, & Bombardas, quæ habent in Platea Vaticana, consueto more displodant. Insuper mandet, ut prædicta die summo mane omnes sui Milites ferreis indumentis armati, partim januas laterales Basilicæ, partim lignea septa, cancellulosque Theatri custodiant, quos prorsus imperio Excellentissimi Domini Ducis de Comitibus Magistri Sac. Hospitii dimittat, partim denique Sanctissimo ad Basilicam procedenti de more inserviant.*

Illustrissimus, & Excellentissimus Dominus Dux de Comitibus Magister Sac. Hospitii die Dominicâ 22. currentis mensis Maji Festo SS. TRINITATIS *summo mane in Basilica Vaticana se conferat, detque operam, ut intrà loca ligneis undique cancellis clausa nulli admittantur, nisi Nobiles exteri, Urbis Titulati; ac de speciali gratia Sanctissimi intrà ambitum proximiorem Theatro Patres ex Religiosis Familiis Beatorum Canonizandorum juxta numerum eis præfinitum: Intrà verò Theatri caveam neminem penitùs admitti curet præter habentes locum in Cappella, Postulatores Canonizationis, ac Oblationum Portitores.*

Illustrissimus Dominus Vincentius Origbi Vice-Castellanus Arcis S. Angeli mandet, ut die Dominicâ 22. currentis mensis Maji Festo SS. TRINITATIS, *Cantores ejusdem Arcis, transeuntibus per Pontem DD. Cardinalibus, musicis instrumentis de more canant, suisque Bombardariis injungat, ut cùm primùm audierint explosionem Bombardarum Militum Helvetiorum, ipsi pariter majora, & minora ejusdem Arcis tormenta bellica in plausum Canonizationis explodant.*

Dominus Fiscalis Capitolinus mandet Tubicinibus, & Tympanistis omnibus S. P. Q. R., ut die Dominicâ 22. currentis mensis Maji Festo SS. TRINITATIS *horâ 10. cum tubis, & tympanis ad Basilicam S. Petri contendant; ibique prope Portam majorem consistentes, ad cantum Hymni* Te Deum laudamus &c. *sonent tubas, & percutiant tympana hilariter per integrum saltem horæ quadrantem. Præterea imperet eodem mane pulsari Campanam Capitolinam per horam integram, cùm primùm ex Arce S. Angeli auditus fuerit strepitus Bombardarum.*

Adjungitur his monitionibus parva etiam schedula intimationis Italico sermone exaratæ pro duodecim DD. Cardinalibus Sac. Rituum Congregationis Oblationes Sanctissimo exhibituris.

EMINENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SIGNORE.

Domenica li 22. del corrente si degnerà l'Eminenza Vostra mandare due Gentiluomini con abito talare la mattina della Canonizazione de' quattro Santi per tempo nella Basilica di S. Pietro; con trasmettere anco due giorni prima i nomi de i medesimi al Sig. Duca di Poli Maestro del Sag. Hospitio per poter introdurli nel luogo destinato, perche sieno pronti ad assistere a Vostra Eminenza nell'Obblazioni.

Denique idem D. Cassina sequentem denunciationem typis impressam pro celebratione Canonizationis omnibus in eadem denunciatione descriptis per Pontificios Cursores curavit transmitti.

INTIMATIO

Per Cursores facienda, Domi quoque dimissâ copiâ.

Die Dominicâ 22. currentis mensis Maji Festo SS. TRINITATIS, *horâ decimâ Sanctissimus Dominus Noster ad Cameras Sacrarii Pontificii descendet, & indè sacris vestibus indutus, ibit ad Cappellam Sixtinam.*

Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardi-

Cardinales ad Palatium Vaticanum de more se conferent per viam Burgi Pii, & per scalam Atrii, vulgò di Belvedere, *superiùs ascendent; in loco consueto Cappas induent, iisque dimissis, sacras vestes in Aula Regia accipient: nempè Episcopi Pluvialia, Presbyteri Planetas, & Diaconi Dalmaticas albi coloris, & sic parati in supradicta Cappella Sixtina adventum Sanctitatis Suæ expectabunt.*

Postquam Pontifex Hymnum Aue Maris Stella *ante Aram dictæ Cappellæ intonaverit, Sedem gestatoriam subindè conscenderit, ac tres Cereos è manibus Eminentissimi Domini Cardinalis Albani Canonizationis Procuratoris acceperit, ex eadem Cappella supplicabundi cum Sanctitate Sua per Plateam majorem, ad Basilicam Vaticanam, dextera manu Cereum accensum præferentes procedent, Cubiculi Præfecto, & Caudatario tantùm adhibitis, omnique alio comitatu penitùs excluso. In Basilica ante* Augustissimum Sacramentum, *& ante Aram majorem orabunt, deinde cùm Sanctitas Sua in Solium se receperit, de more obedientiam Ei præstabunt, tum Eminentissimi Domini Cardinales, tum Episcopi omnes, ac Pœnitentiarii ejusdem Basilicæ, & functioni solennis Canonizationis Beatorum Pii V. Summi Pontificis ex Ordine Fratrum Prædicatorum, Andreæ Avellini Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, Felicis à Cantalicio Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, & Catharinæ de Bononia Ordinis S. Claræ, Deo inspirante, per Sanctitatem Suam peragendæ, ac Missæ per eamdem celebrandæ intererunt.*

Absolutâ Missâ, sacra Indumenta deponent, Cappas resument, & postquam Pontifex in Sacello S. Nicolai in eadem Basilica sacras vestes dimiserit, ac discesserit, ipsi ad propria remigrabunt.

Duodecim Eminentissimi Domini Cardinales Congregationis Sacrorum Rituum, in suo quique ordine antiquiores, cum duobus suis Nobilibus Familiaribus, talari veste indutis, deferent ad Sanctissimum, ac reverenter præsentabunt Sanctitati Suæ consuetas oblationes.

Vespere ejusdem Dominicæ, & sequentis diei ante sua Palatia facient comburi dolia, & ad fenestras accendi luminaria.

Ideo intimentur omnes, & singuli Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales, Reverendissimi Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi in Urbe præsentes, tam Assistentes, quàm non Assistentes, Abbates Generales locum in Cappella Pontificia habentes, ac Pœnitentiarii Basilicæ Vaticanæ.

Intimentur etiam Gubernator Urbis Vice-Camerarius, Principes Solii, Protonotarii Apostolici, Generales quinque Ordinum Mendicantium, Conservatores Urbis, Oratores Civitatum subditarum, Auditores Rotæ, Clerici Cameræ Apostolicæ, Votantes Signaturæ Justitiæ, Abbreviatores, Referendarii utriusque Signaturæ, & Advocati Consistoriales, ut horâ decimâ in prædictam Cappellam Sixtinam conveniant.

Episcopi Assistentes, & non Assistentes, ac Abbates Generales cum Pluvialibus albis, & Mitrâ de tela linea.

Pœnitentiarii cum Planetis albis, & Biretis.

Protonotarii Apostolici cum Cappis.

Reliqui Prælati, nempè Auditores Rotæ, Clerici Cameræ, Votantes Signaturæ Justitiæ, Abbreviatores, & Referendarii cum Rocchettis, & Cottis.

Advocati Consistoriales cum vestibus violaceis, & Caputiis.

De mandato SS. D. N. Papæ.

Candidus Cassina Mag. Cœremoniarum.

Canonizationis famâ, longè, latêque per Urbē ante plures menses diffusâ, Clarissimos Viros, Illustres Fœminas, innumerabilem ex Italia, & ex vicinis Regionibus plebem traxerat ad Urbem, adeout in Jubileo novissimè anno 1700. celebrato nunquam Romæ unâ, eademque die major hominum multitudo visa fuerit, quos tum grande tantæ, celebritatis videndæ studium, tum singularis Religionis sensus erga Beatos Viros deduxerant.

Jam Basilicæ Vaticanæ apparatus accuratâ antedicti Antonii Valerii diligentiâ erat magnificentissimè expletus. Jam, quæ ante præceperant Pontificii Cœremoniarum Magistri, Altaris ornamenta, & sacra Cappellæ Papalis supellex, sacræque vestes, tam pro Summo Pontifice Sacrum solenniter celebraturo, quàm pro Cardinali, & Ministris, cunctaque ad Oblationem spectantia erant in promptu, atque jampridem, utpotè visu digna, in amplam Consistorii secreti Aulam fuerant comportata, & super mensas ita disposita, ut quilibet circumeundo, vestium splendorem, & aliarum rerum magnificentiam, gradatim, & dilucidè posset intueri; neque hujusmodi diligentia inanis, cùm permultis Nobilibus Viris, Advenis præsertim, Præsulibus, ac plerisque ex Eminentissimis PP. placuerit illa perlustrare: quæ cum splendidissimo Ecclesiæ ornatu, nè graviori, quàm deceat, tædio simus legenti, infra remittimus singillatim describenda.

In pervigilio SS. Trinitatis primæ Vesperæ

ſperæ ſolennes erant de more in Pontificio Sacello Sixtino celebrandæ. Has voluit Sanctitas Sua ſolenni ritu, ad (1) Cœremonialis Romani præſcriptum, tanquam in craſtinum celebratura peragere. Ampliſſimus Purpuratorum Ordo conſuetam Summo Pontifici prætermiſit reverentiam; ſemel enim in die, juxta Regulas Cœremoniales, præſtatur, quod jam de mane fuerat peractum: Quocirca, Summo Antiſtite in eminenti Sede compoſito, Sacer Senatus, Eccleſiarum Paſtores omnes, Abbates, & Pœnitentiarii S.Petri ſacra veſtimenta cuique Ordini convenientia induerunt.

Auditores Rotæ Subdiaconi Apoſtolici, Clerici Cameræ Apoſtolicæ, Votantes Signaturæ Juſtitiæ Acolythi, Abbreviatores de Parco majori, ſuperpelliceo ſe conveſtierunt ſuper Rocchettum. Cæteri ſolitum Cappæ non variarunt indumentū. Celebratæ ſunt hæ Veſperæ tantâ Prælatorum frequentiâ, ut vix tertia eorundem præſentium in Urbe pars in Sacello potuerit locum obtinere.

Exclament tandem filii Aaron, in Tubis productilibus ſonent, & auditam faciant vocem magnam in memoriam coram Deo. Beneplaciti Domini tempus advênit: Illuxit expectata dies X. Kal. Junii Triadi Sacra, quâ Beatos Pium PP. V., Andream Avellinum, Felicem à Cantalicio, & Catharinam de Bononia, quia legitimè certaverint, Coronam Gloriæ, & Diadema ſpeciei in Cœlis conſequutos, Catholicæ Reipublicæ colendos Vicaria in Terris Omnipotentis Dei poteſtas decerneret. Jam Peditum manus prælongis munita baculis præpilatis (vulgò *Brandiſtocchi*) ſummo mane occupaverat partim Vaticani Templi, porticuſque valvas, & repagulorum ante Canonizationis Theatrum intervalla, partim duplici hinc inde productâ Lineâ, viam fecerat, quâ de ritu ſupplicantibus eundum erat à Porta Palatii Vaticani uſque ad Obeliſcum in medio Circo erectum, indèque rectâ per gradus ad majorem ejuſdem Templi januam, & hinc uſque ad primum Theatri repagulum. Milites de Cuſtodia Helvetiorum ferreis thoracibus, & galeis induti, ſecuribuſque, quas vocant *Alabarde*, inſtructi, Cancellos, ſeptaque ipſius Theatri lignea, ſub imperio Ducis de Comitibus, tanquam Sac. Hoſpitii Magiſtri, qui illuc diluculò conceſſerat, cuſtodienda ſibi vindicarunt. Equites tum de Cuſtodia levis armaturæ, tum loricati Vaticano in Foro ſeſe in aciem diſpoſuere. Hi præ manibus evaginatos tenentes gladios: Illi gladio præcinti, loricâ ſuperimpoſitâ ſago, galeâ, haſtâque muniti, flavo, cœleſtique gentilitii Sanctitatis Suæ Inſignis colore tinctâ, ac habente ex textili ſerico eorundem colorum flammulam in binas faſciolas diſtinctam ſub ferrea cuſpide alligatam ad militarem diſcretionem. Summo mane, Populi, Civium nobilium, Advenarumque ex omni ſexu, ætate, & natione, immenſus factus eſt ad Eccleſiam concurſus, conatuſque ingens ad loca in Templo, foriſque præoccupanda; nec mirum, adeò namque peramplum iter Pontis Adriani, juxta ejuſdem Cæſaris molem, hodie glorioſiori vocabulo S. Angeli nuncupatam, tot gentium, Curruum, ſervorumque agminibus, à quatuor conterminis, latiſque vicis confluentibus, uno tempore fuit confertum, ut licèt alter inſtaret alteri, præcedentiſque veſtigium, mox qui ſequebatur, occuparet, nonniſi maximâ cunctatione, ſummoque adhibito virium conatu ad ulteriorem ripam tranſierit.

Statâ monitionis horâ, Apoſtolici Vaticani Palatii præaltum, latiuſque Atrium implevit, ſub ſuo quiſque Crucis vexillo, uterque Urbis Clerus: Anguſtum viſum eſt, maximum licèt Sixti Sacellum, quò convenerant Curiæ Officiales, Prælati, & Purpuratorum ampliſſimus Ordo. Sanctissimus Dominus Noster, quem per ſecretiores gradus in Apoſtolici Sacrarii Aulam deſcendentem præibant R. P. D. Bernardinus Scottus Urbis Gubernator S.R.E. Vice-Camerarius, D. Philippus Columna Solii Pontificii Princeps, ac in Regno Neapolitano Comesſtabuli, Almæ Urbis Conſervatores cum Capitum Regionum Priore, Orator Bononiæ, cui ex ſtatâ cum Ferrarienſi alternatione ſacræ celebritati tunc intereſſe contigit, Dynaſtæ Romani, & innumera Nobilium manus, conſtitit in interiori Cubiculo ejuſdem Sacrarii, in quo faldam induit, & opportunè egreſſus in dictam Aulam, ibi apud menſam, vice, & more lecti Paramentorum extructam, amictu, alba, Cingulo, & Stolâ ad hanc ſolennitatem confectis, ab Eminentiſſimis Pamphilio, & Orthobono Diaconis, in ordine primis, fuit exornatus. Tum, miniſtrante naviculam Cardinalium Presbyterorum antiquiore, thus in thuribulum de more injecit, & mox Pluviali (mantum dicunt) unà cum pretioſiſſimo formali amictus, ornatuſque Thiarâ in Formam triplicis Coronæ elaboratâ, quam ideo Regnum vocant, Cruce præcedente, pedes ad præfatum Sixti Sacellum con-

[1] *Cærem. Rom. lib. 2. ſect. 1. cap. 9.*

contendit; Ibi producto super sacrum Coetum Crucis signo, Regno exutus, super faldistorio ante Altare ex consuetudine disposito, in genua provolutus aliquandiù oravit; deinde surgens, oblato ab Eminentissimo Acciajolo Prodecano libro ad hanc præcipuam celebrationem ritè exarato, ac Typis edito, adjuvantibus hinc indè ex instituto Reverendissimis Pico Patriarcha Constantinopolitano, & Patritio Seluciæ Archiepiscopo, præcinuit Hymnum *Ave Maris Stella*, statimque genua iterùm submittens, ita permansit, donec à Cantoribus Cappellæ primi ejusdem Hymni versus absolverentur. Tum iterùm surgens, sumptâ Mitrâ, gestatoriam sedem conscendit, ibique sedens, duos magnos Cereos arabicè interpictos Insignibus Sanctitatis Suæ, ac Canonizandorum Imaginibus ornatos, aliumque minorem eundem in modum affabrè illitum accepit ab Eminentissimo Cardinali Albano ex Fratre Germano Nepote ad postulandam Canonizationem deputato, manum sibi, genuque ad singulas Cereorum oblationes exosculante. Ex duobus magnis Cereis Sanctitas Sua unum tradi jussit Comitistabuli Columnæ accensum in Supplicatione ante se deferendum, sustinendumque per totam Canonizationis celebritatem: Alter nemini traditus, cùm par Princeps non adesset, nec Regius Orator, quibus talis honos consuevit præstari: Minorem verò Pontificius Pincerna D. Maffei primus Assistens Cubicularius recepit custodiendum, ac Sanctissimo Patri tempestivè à primo Cardinali Diacono ministrandum. Faces juxta cujusque gradum, & dignitatem, singulis Officialibus Curiæ Prælatis, Ecclesiarum Pastoribus, & Eminentissimis Patribus fuerant priùs distributæ; ac ut in tanta Officialium, & Prælatorum frequentia, ordine procederet talis distributio, unicuique accedenti Cœremoniarum Magister, aliusve ad hoc Cappellæ Minister ejus loco deputatus, eas distribuebat. Inter hæc sub Porticu, juxta Constantinianos gradus, longis innixa hastis elata fuerunt quatuor grandia Beatorum vexilla in Supplicatione comportanda, & jamdiù cœperat agmine composito Supplicationis pompa procedere ab Atrio, scilicet deorsum ad Porticum, indè ad Portam Palatii Vaticani, extra quam, ex septo ligneo sub peristylio proximè à sinistris exeuntibus constructo, cereæ Candelæ accensæ majores, minoresve incedenti utrique Clero distribuebantur, in Supplicatione deferendæ. Ab ampliori inde peristylii vestibulo rectà per viam siliceam progressa usque ad oppositum Obeliscum deflexit. Una omnium Cœtuum unius alteri succedentium in Foro, & in Ecclesia dispositionis forma: Quot Crucis vexilla, tot pia, ac religiosa Agmina; tot Stationes, & una Statio alteri proxima; Agmen Agmini; ita tamen, ut ubi Crux primò consisteret, eam antecederet primus Agminis ordo hinc indè divisus: secundus inter dimidiatum primum Ordinem transiret confestim subsistens: tertius inter primum, & secundum: atque ita subindè alii: & quemadmodum piorum, religiosorumque Agminum Ordines à Cœremoniarum Apostolicarum Magistris fuerant instructi, sic Agmina ipsa, Cœtus, & Collegia: Secundum enim Agmen transgrediebatur primum inter ipsum pertransiens: Subsequens pertransiens inter primum, & secundum, proximam occupabat Stationem: Cætera eodem ex ordine collocabantur; adeòut primi in incessu Pueri ab Hospitio Apostolico S. Michaelis nuncupati omnium de Clero novissimi viciniores Palatii Portæ; remotiores verò ab eadem Porta, & Basilicæ propiores fierent Cœtus de Clero digniores, exceptis Capitulis, & Clero Insignium Collegiatarum Sanctæ Mariæ Fontis Olei, trans Tyberim dictæ, & S. Laurentii in Damaso, quæ alternis annis sibi invicem præcedunt; necnon Patriarchalium Ecclesiarum S. Joannis in Laterano, & Liberianæ, quibus in Ecclesiam patuit aditus servatâ superiori dispositionis regulâ, quod scilicet, ordine præcedentiæ ab Ara majori desumpto, Collegiatæ insignes propè Valvas Ecclesiæ; Patriarchalia autem Collegia versùs eandem majorem Aram sepulchro Apostolorum imminentem, quæ appellatur Divi Petri Confessio, extenderentur. Capitulum, & Clerus Basilicæ S. Petri, cùm ad Porticum ejusdem Basilicæ pervenisset, constitit, accedentem Summum Pontificem excepturus. Cruces, & Ecclesiarum Insignia sistebant à dextris per seriem disposita; tantaque fuit illorum, qui Processionem ordinabant, solicitudo, ut nullum (quod raro accidit) inter Cœtus, & Cœtus visum sit intervallum: nullum inter utrumque Urbis Clerum, & Sacros, maximosque totius Orbis Cappellæ Pontificiæ Ordines: quod maximæ Sanctissimi Patris vigilantiæ, in alios sui exemplo diffusæ, tribuendum.

Ordo siquidem solennis hujus Processionis hujusmodi est.

Omnium primi procedebant bini, Cereos præ manibus gestantes accensos, Pueri Hospitii Apostolici S. Michaelis, cujus prima jecerat fundamenta singularis in paupe-

res pietas Thomæ Odefcalchi Venerabilis Servi Dei Innocentii XI. Summi Pontificis Eleemofynarii. Sequebantur Pueri Orphani, Patres Conventus Ecclefiæ S. Mariæ Miraculorum Tertii Ordinis S. Francifci Recollectorum Galli: Ecclefiæ à Jefu & Mariâ nuncupatæ Ordinis S. Auguftini excalceati: Ordinis Minorum S. Francifci Capuccinorum: Ecclefiæ S. Adriani Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum: Ecclefiæ S. Onuphrii Ordinis Eremitarum S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pifis: Ecclefiæ SS. Trinitatis in Monte Pincio, & S. Andreæ, vulgò *delle Fratte*, Ordinis Minimorum S. Francifci de Paula: Ecclefiæ SS. Cofmæ, & Damiani Tertii Ordinis S. Francifci: Bafilicæ SS. XII. Apoftolorum Ordinis Minorum S. Francifci Conventualium: Ecclefiæ S. Mariæ in Aracœli, & aliarum Ordinis Minorum S. Francifci de Obfervantia, & Reformatorum nuncupati: Ecclefiæ S. Mariæ de Populo Ordinis S. Auguftini Congregationis Obfervantiæ Longobardiæ: Ecclefiæ S. Auguftini Ordinis Eremitarum S. Auguftini: Ecclefiæ S. Chryfogoni Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Congregationis Mantuanæ: Ecclefiæ S. Martini in Montibus: S. Mariæ Tranfpontinæ, & S. Juliani Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo: Ecclefiæ S. Marcelli, & S. Mariæ in Via Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis: Ecclefiæ S. Mariæ fuper Minervam, & aliarum Ordinis Prædicatorum.

Monachi Monafteriorum Ecclefiæ Sancti Alexii Ordinis S. Hieronymi Longobardiæ: S. Petri in Vincula Ordinis S. Auguftini Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris: S. Mariæ Novæ Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Oliveti: S. Eufebii Congregationis Cœleftinorum: SS. Vincentii, & Anaftafii ad Aquas Salvias Ordinis Ciftercienfium Congregationis Hetruriæ: S. Crucis in Hierufalem ejufdem Ordinis Ciftercienfium Congregationis Longobardiæ: S. Pudentianæ, & S. Bernardi ad Thermas Diocletianas Congregationis reformatæ S. Bernardi Ordinis Ciftercienfium: S. Praxedis Congregationis Vallis Umbrofæ Ordinis S. Benedicti: S. Gregorii Congregationis Camaldulenfium ejufdem Ordinis S. Benedicti: Bafilicæ S. Pauli Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Cafini: S. Mariæ de Pace Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguftini Congregationis Lateranen.

Crux Cleri Secularis, fub qua Alumni Seminarii Romani: Rectores Ecclefiarum Parochialium Urbis, & Vicarii perpetui: Collegiatæ S. Hieronymi Illyricorum: Sanctæ Anaftafiæ: S. Mariæ in Cofmedin (vulgò *Bocca della Verità*) SS. Celfi, & Juliani: C. Angeli in Foro Pifcium: S. Euftachii: S. Mariæ in Via lata: S. Nicolai in Carcere Tulliano: S. Marci: S. Mariæ ad Martyres, quarum nonnullæ Almutiis fuper finiftro brachio compofitis decorabantur; Demùm Cleri Camerarius linteatus, ac Stolâ Sacerdotali exornatus: Tum Collegiatæ Infignes S. Mariæ Tranftyberim, & S. Laurentii in Damafo unà incedentes, quæ quotannis alternatim inter fe præcedunt: Tum Cleri, & Collegia Patriarchalium S. Mariæ Majoris: S. Petri in Vaticano: & S. Joannis in Laterano.

Proximè incedebant Pontificiæ Cappellæ Ordines, videlicet Scutiferi Papæ Togâ laneâ (vulgò *di Sajetta*) coccinei coloris manicata, & circa collum contracta, atque uncinulo ante pectus colligata, quam Soldanam vocant: Procuratores Generales quinque Ordinum Mendicantium habitu Religionis amicti: Cubicularii extra Cameram, Togâ rubeâ ad fimilitudinem Scutiferorum induti: Procurator Fifcalis: & Cameræ Apoftolicæ Commiffarius, adinftar Cubiculariorum Papæ Secretorum, & Honoris, fimili Toga, & infuper Capitio ejusdem, textili laneo, de collo fuper fcapulas, & ante pectus inverfo, adeout interius tegumentum (vulgò *fodera*) ex tenuiori textili ferico rubro fubfutum (*Ormefinum* appellant) cui hyeme fuperinduitur Armellina pellis, forinfecus compofitè appareat: Confiftoriales Aulæ Advocati vefte laneâ fuperinduti finè manicis, violacei coloris undique confutâ, apertâque dumtaxat a capite, ut indè poffit indui, & ab utraque parte fub humeris, ad exercenda brachia, cum fafciis olofericis purpureis, tam intùs, quàm in marginibus triplicis aperturæ, quarum fuperior parvulâ fibulâ colligatur; itemque cum Capitio vefti fimillimo, ejufque interiori tegumento, quale illud Fifcalis, & Commiffarii proximè defcriptum, fuper fcapulas pariter inverfo: Cappellani fecreti Papæ præ manibus Mitras, & Regna pretiosè fegmentata deferentes: Cubicularii Honoris, & intimi Cubicularii ejufdem, qui omnes Togâ amplâ folutâ cum latis manicis purpurei coloris, & Capitio, quemadmodum fupra de indumento Fifcalis, & Commiffarii agentes fufiùs retulimus, amiciebantur: Schola, feu Collegium Cantorum Cappellæ Pontificiæ, qui fupra Tunicam Talarem orbiculis fericis rubri coloris ante pectus

pectus junctam, & fasciolis ejusdem coloris in revoluta manicarum extremitate, ac in interioribus tegumentis, marginibusque distinctam, superpelliceo induti, instructique in agmen supra memoratum Hymnum *Ave Maris Stella* continuò modulabantur: Proximè accedebant magna Canonizandorum vexilla; Hæc prælongis innixa hastis, laciniosâ Coronâ multo auro arabicè pictâ, ab eximii nominis Pictoribus, mirabiliores res gestas unà cum eorundem Beatorum Imagine ab utraque parte ad vivum expressas exhibebant. Primas in incessu tenebat vexillum B.Catharinæ de Bononia; ponè sequebatur B. Felicis à Cantalicio; deindè B.Andreæ Avellini; ultimo loco B.Pii V. Sũmi Pontificis. Primum vexillum deferebatur à Cõfratribus Societatis Bononiensium Sancti Petronii de Urbe, cui præibant superpelliceis amicti sex Sacerdotes ex familia Religiosorum, tum Minoris Observantiæ, tum Reformatorum S. Francisci, cereas faces deferentes. Quatuor verò Patres ejusdem Religiosæ Familiæ primores, oblongos sericos funes tenebant, quibus, ubi in superiori transverso ligno innectebantur hastæ, colligatis, ultro, citroque pergentes, valido erant præsidio, ut vexillum tutò comportaretur.

Secundum B. Felicis gerebant Confratres Societatis Sacrorum Stigmatum Divi Francisci de Urbe, habitu Archiconfraternitatis induti cinereo, eique famulabantur decem ex primoribus Patribus Ordinis Minorum S.Patris Francisci Capuccinorum eo ordine, eoque ritu, quo supra.

Tertium B.Andreæ Avellini ferebant alii ex Confratribus ejusdem Archiconfraternitatis Sacrorum Stigmatum, decem, ut supra, ex primis Patribus Cõgregationis Clericorum Regulariũ Theatinorum inservientibus.

Quartum Beati Pii V. portabant Confratres Archiconfraternitatis (vulgò *degli Agonizanti*) Sacco ejusdem Societatis vestiti, nec deerant ibi decem Patres ex primoribus præstantissimi Ordinis Prædicatorum, ex quo B. Pius fuerat assumptus. His proximi Rocchetto, & superpelliceo amicti RR. PP. DD. Referendarii utriusque Signaturæ: Abbreviatores de majori Parco: Suffragia ferentes in Congregatione Signaturæ Justitiæ Acolythi, Clerici Cameræ Apostolicæ, & Rev. Pat. Sac. Palatii Magister in habitu suæ Religionis Dominicanæ inter Sac.Rotæ Auditores S. R. E. Subdiaconos: Subinde Acolythus Apostolicus Thuribulo fumigante solus incedens, septemque alii similes Acolythi Rocchetto, & Cottâ ornati, in emicycli formam dispositi, totidem argentea Candelabra inaurata deferentes, & horum medius Pontificiam deferens Crucem Subdiaconus Apostolicus omnibus sacris Indumentis albi coloris ornatus, veluti Epistolam lecturus in Missa, duos habens cum virgis rubeis ad latera Magistros Ostiarios: Subsequebantur Pœnitentiarii Basilicæ Vaticanæ è Societate Jesu, Sacerdotali tecti Bireto, & ornatu Sacrificali albo: Abbates: Generales Regularium Ordinum in Cappella Pontificia locum obtinentes: Episcopi, & Archiepiscopi, & deinde Antistites Solio Pontificio assistentes, Pluvialibus pariter albis, & Mitris ex textili lineo confectis: Purpuratorum deinde Patrum sequebatur amplissimus Ordo: Diaconi, Presbyteri, & Episcopi Cardinales, qui solo Caudatarii, & Cubiculo Præfecti comitatu pergentes, sacris ornabantur albis vestibus, videlicet super Rocchettum amictu, & Dalmaticâ Diaconi; Amictu, & Planetâ Presbyteri; Amictu super Rocchettum, & superpelliceum, ac Pluviali cum formali ex unionibus fibulis ante pectus imposito Episcopi, omnes Mitris ex textili damasceno albo redimiti.

Postremò SANCTISSIMUS PATER eò splendidiori pompâ procedens, quò [1] gloriosiùs præ cæteris, Cœli scilicet Janitoris, ac universi Christiani Gregis Pastoris, nomen hæreditavit, sublimi ferebatur gestatoriâ sellâ, quam sustentabant octo Circumpedes sago rubro induti, sub umbella [*Baldacchinum* vocant] ex textili aureo, quam octo hastis argento perfusis innixam, totidem [2] Referendarii, ad majestatem non minùs, quàm ad Solis radios excludendos, per constitutas vices sustinebant.

Porrò ipse horâ jam ferè duodecimâ [tantus erat Cleri, & Cœnobitarum præcipuè numerus, ut ad eos in supplicationem dirigendos vix spatium duarum horarum fuerit satis,] sacris Prælatorum ordinibus Sacello Sixtino exeuntibus, antedictum minorem cereum velo albo auriphrygiato ad excipiendas liquescentis ceræ guttas præmunitum, de manu cœperat Cardinalis primi Diaconi assistentis, jamque iter instituerat supplicabundus, prætcritisque ferreis Cappellæ Cancellis, ubi à Referendariis fuerat umbellâ protectus, ac Pavoniciis flabellis ab iis, qui Cubiculariorum munus exequuntur, hinc, & indè septus, exiverat

 in

[1] *S. Bernard. lib. 2. cap. 8. de Consid.* [2] Baldacchinum supra Sanctissimum *Patrem* deferri debet ab octo antiquioribus Referendariis Signat. Justit. Rocchettis sub Mantellettis indutis. Ita Sac. R*it.* Cong. die 30. Jan. *1656.*

in Aulam Regiam ; exinde ad dexteram flectens per Constantini gradus, Vaticano Templo dextrorsùm relicto, in Porticum, ubi Pontificiæ Cappellæ Ordines reliquo sese junxerant Urbis Clero, descenderat, mox per Apostolici Palatii majorem Januam [*catenæ* jam appellat vulgus) in Aream proditurus. Ante prælongas sellæ phalangas serico villoso rubro contectas assistebant Pamphilius, & Otthobonus Diaconi Cardinales in ordine priores, Cardinalem Imperialem itidem Diaconum, Euangelium in Missa cantaturum, ac omnibus [dempto manipulo] indumentis Diaconalibus ornatum, medium habentes. His præibat Cappâ super Rocchetto indutus R.P.D. Bernardinus Scottus à dexteris Comitisstabuli, & proximè hos præcedebant Togâ aureâ [vulgo *Rubboni*] exornati Almæ Urbis Conservatores, & Prior Capitum Regionum à dexteris Oratoris Bononiensis, qui Senatoria veste patrio more induebatur. Post sellam ibat Auditor de Mitra Subdiaconus Apostolicus more Collegarum indutus; mediusque inter duos Assistentes intimos Pontificis Cubicularios, talari Togâ coccineâ, & Capitio ad aliorum consuetudinem superornatus; deinde [longè anteuntibus Auditore, & Thesaurario Generali Cameræ Apostolicæ, utrisque Solio Pontificio Episcopis Assistentibus] sequebantur Cappâ super Rocchetto amicti, veluti extremum agmen, Protonotarii Apostolici de numero Participantium, unà cum Officialibus ex privilegio eorum scamno adjunctis; & in habitu suæ Religionis Patres Ordinum Mendicantium Generales, confertam à tergo Militum Helvetiorum manum habentes ad Populum repellendum.

Horum itaque medius, veluti in specula, gestabatur SANCTISSIMUS PATER Militibus de Custodia Helvetiorum circumseptus, quorum nonnulli sellæ propinquiores gladium ancipitem oblongum, latumque evaginatum, capulo pectori admoto, capulisque ferro transverso super humeris imposito, erectum deferebant, Duce ipso, aliisque Officialibus ejusdem Custodiæ, necnon Nobilibus de Procœtonis Custodiâ [vulgò *Lancie Spezzate*] quibus inest cura, nè quis in eundo consistat sequentis iter remoraturus, Thorace, & baculo instructis.

Mira hæc ordinis pompa, ac tot Purpuratorum Principum Dignitas omnium animos attonitos habebat: Erat enim in omnium vultibus & gravitas, & Religio, & devotio, neque ullus inerat gestus indecorus; atque adeò modestus visus est Cardinalium, Episcoporum, Prælatorum, & totius Cleri incessus, ut supramodùm astantes Turbæ commoverentur ad animi Religionem. Quid cùm in Area, quæ ante Principis Apostolorum Basilicam latissimè patet, in omnium conspectum se dedit SANCTISSIMUS PATER? adeò densæ inter se hominum turbæ cohærebant, ut jactum tritici semen vix posset in terram cadere. Tota via usque ad majorem Basilicæ Aram obsessa reperiebatur; nèc turba eadem erat, quæ dimisso uno loco alterum occuparet, sed nova ubique hominum facies offendebatur. Tum maxima exorsa est vociferatio, & quasi murmur aquarum multarum, viso Summo Pontifice, cuncti in genua provoluti, tundentesque pectora, cum gemitu, & clamoribus obsecrabant, ut benedictionem sibi, & Indulgentiam largiretur: Ipse, sinistrâ sub velo positâ arabicè pictum ferens Cereum, inter utrumque Clerum præteriens, dexterâ circumfusæ multitudini benedicebat, non sinè lacrymis pietatem Populi, & devotionem erga Christi Vicarium mente revolvens.

Relicto ad sinistram Obelisco, superatisque marmoreis gradibus Basilicæ olim à Constantino Magno constructis, deinde à Pio Papa II., & demum in hanc, quâ visuntur, formam à Paulo V. Summo Pontifice restitutis; ac transmissis excelsæ, modoque magnificentissimè exornatæ Porticus ferreis Cancellis, super quibus insignia ad Canonizationis solennitatem spectabantur ornamenta, exceptus à Basilicæ Clero, Musicis ejusdem Antiphonam: *Tu es Petrus &c.* aptè modulantibus, prætergressus est Portam æneam. Hæc olim ab argenteo integumento, [1] quo illam contexerant Sanctissimi Romanæ Ecclesiæ Præsules Gregorius I., Honorius itidem I., & Leo IV., post multiplicem à Saracenis peractam Urbis direptionem, argentea nuncupabatur: Nunc verò ænea, ab æneo tegumento Valvarum, quo eas Eugenius IV. muniri curavit, & in eo Florentinum incidi Concilium, in quo Græcorum Imperator, & Ecclesia illa ad unitatem rediit Romanæ, ac Summi Pontifici præstitit obedientiam hoc disticho ab ipso Eugenio descriptam.

Ut Græci, Armeni, Æthyopes, hìc aspice, ut Indi
Romanam amplexi sint, Arabesque Fidem.

Nullus hìc interior obex ligneus, veluti vesti-

[1] *Joannes Severan. de 7. Urbis Ecclesiis par. 1. fol. 68. Paul. de Angelis in suis notis ad descriptionem veteris Basil. Vatic. tit. 44.*

veſtibulum (*Buſſula* à vulgò appellatur) aliis cæteroquin ad aerem repellendum interiùs adjectum janui; Quocirca ingredienti Pontifici tota ad oculum patuit ampliſſimi Templi Machina, recentiſque ornatus magnificentia, de qua appoſitè fas erat dicere: [1] *Vidi Civitatem Sanctam Hieruſalem novam, deſcendentem de Cœlo à Deo, paratam ſicut Sponſam ornatam Viro ſuo*; Quippe Poſtulatores pro Canonizatione, apparatus Eccleſiæ ſuperiores, & ſumptu, & novarum rerum incremento ſuperare certaverant; Et quidem tantæ actioni, tantæ Eccleſiæ ſplendori, ornatus magnificentia debuerat reſpondere.

Ut ergo Eccleſiam ingreſſus SANCTISSIMUS PATER cuncta proſpexit, externumque hunc cultum in Deum meditatus eſt, lacrymas præ gaudio nequaquam valuit [2] continere: Ad SS. TRINITATIS Sacellum rectà contendit, ubi cereo depoſito, ac Mitrâ, ſellâ deſcendens, in genua ſuper ſcabellum (*genuflexorium* dicunt) provolutus, ante SS. Euchariſtiæ SACRAMENTUM publicæ adorationi expoſitum, orante hinc indè in ſubſelliis Sacro Senatu, aperto capite preces effudit: Exinde ſurgens, Mitrâ redimitus ſellam iterùm conſcendit, atque reaſſumpto cereo, adhuc ſupplicabundo ritu uſque ante Aram Apoſtolorum, ubi Theatri cavea latè patebat, devectus eſt. Ante Aram, cereo, quem deinceps Pincerna uſque ad finem Canonizationis detinuit accenſum, depoſito, ſuper faldiſtorium procumbens, retentâ Mitrâ, iteratò precibus vacavit; & poſtmodum conſurgens, ab utroque latere Sacro Conventui benedictione impertitâ, Solium conſcendit, ſeditque in excelſo adorandæ Pontificiæ Majeſtatis Throno, Vicariâ in Terris Chriſti poteſtate tunc maximè perfuncturus, medius inter Cardinales clariſſima Mundi lumina in Summo Eccleſiæ Vertice divinitùs collocata, tot inter Epiſcopos rerum ſacrarum Principes, & Eccleſiæ Doctores: Cùmque parumper conſediſſet, Cardinales, Epiſcopos Aſſiſtentes, & non Aſſiſtentes, Abbates, & Pœnitentiarios excepit ad Obedientiam. Primi per latum à Solii gradibus ad eorum ſubſellia intervallum, areamque Theatri ſuperiorem, incedentes unus poſt alium, ad Aræ majoris conſpectum eam humili corporis inclinatione reverebantur; indè converſi juxta anticos Solii Pontificii gradus, Sanctitati Suæ præſtabant reverentiam: Mox aſcendentes manum ſub ora Pluvialis dexteram oſculabantur Pontifici: Deinde ſolâ capitis inclinatione erga Cardinales Aſſiſtentes Diaconos ſalutatione peractâ, ad ſedilia per gradus laterales revertebantur. Epiſcopi genua, & Cruci, & Papæ ſubmittentes, Sanctitatis Suæ genu dexterum: Abbates, & Pœnitentiarii pedem ſimiliter dexterum exoſculabantur.

Poſt hæc Eminentiſſimus Acciajolus ſenior Epiſcopus Cardinalis Solium aſcendit, ſeditque ſuper nudo faldiſtorio (*Cathedram* vocant) à latere illius dextero, vultu ad ſiniſtrum converſo: Tum alter ex Sedis Apoſtolicæ Sacrarum Cœremoniarum Magiſtris Eminentiſſimum Diaconum Cardinalem Albanum ad poſtulandam Canonizationem Procuratorem deputatum, unà cum Co: Aldrovando Bononiæ Oratore, & Marcellino Coyro Aulæ Conſiſtorialis Advocato, ante imum Solii gradum deduxit. Erant à ſiniſtris Cardinalis Orator Bononiæ, à dexteris Advocatus, & à ſiniſtris Oratoris Cœremoniarum Magiſter: Exhibuerunt unà ſimul primùm Aræ maximæ, deindè juxta gradum prædictum Summo Pontifici reverentiam. Stetit Cardinalis, cæteri verò genibus innixi ſubſtitere. Tum (ſedente interim Sacro Senatu) Advocatus, Eminentiæ Suæ nomine, ut Sanctitas Sua Beatos Pium V., Andream Avellinum, Felicem à Cantalicio, & Catharinam de Bononia Sanctos cum Deo regnantes dignaretur pronunciare, inſtanter poſtulavit his verbis.

BEATISSIME PATER.

R*Everendiſſimus D. Cardinalis Annibal Albanus hic præſens inſtanter petit per Sanctitatem Veſtram Catalogo Sanctorum Domini Noſtri* JESU *Chriſti adſcribi, & tamquam Sanctos ab omnibus Chriſtifidelibus pronunciari venerandos B. Pium V. Pontificem ex Ordine Fratrum Prædicatorum aſſumptum, B. Andream Avellinum Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, B. Felicem à Cantalicio Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum, & B. Catharinam de Bononia Ordinis S. Claræ.*

Si quando aliquis D. Cardinalis, vel Ora-

[1] *Apocal. c. 21.* [2] Quantam animi commotionem excitaverit ſemper Templum Principis Apoſtolorum habetur ex Greg. II., qui in epiſt. ad Leon. Iſaur. ita de ſe ipſo teſtatur: *Novit charitas Chriſti, quando Templum Sancti Principis Apoſtolorum ingredimur, & Sancti pictam Imaginem contemplamur, compunctione percellimur, & inſtar imbris (pluente Cœlo) lacrymæ noſtræ funduntur.* Ad hoc etiam facit, quod priùs ſcripſerat ad Conſtantiam Auguſtam D. Greg. Magnus: *Corpora SS. Petri, & Pauli Apoſt. tantis in Eccleſia ſua coruſcant miraculis, atque terroribus, ut neque ad orandum ſinè magno illuc timore poſſit accedi.*

Orator ab Imperatore, vel ab alio Rege ad instandum apud Summum Pontificem pro Canonizatione Beatorum fuit designatus, sequens forma adhibita fuit.

BEATISSIME PATER.

Reverendissimus D. Cardinalis N. N. (vel Dux, seu Comes N.) hîc præsens, nomine Sacræ Cæsareæ Majestatis Leopoldi Electi Imperatoris, & Majestatis Catholicæ Caroli II. Regis Hispaniarum (vel Majestatis Christianissimæ N. Galliarum Regis) instanter petit per Sanctitatem Vestram Catalogo Sanctorum Domini Nostri JESU *Christi adscribi, & tamquam Sanctos ab omnibus Christifidelibus pronunciari venerandos N. N.*

Hujusmodi instantiæ D. Joannes Christophorus Battellus Apostolicorum Brevium à secretis, togâ, & capitio rubei coloris, quod gestant intimi SANCTISSIMI PATRIS Cubicularii, inter quos ipse connumerabatur, superindutus, stans in sinistro Solii latere super ejusdem planitie, Beatorum merita recolendo in hæc verba respondit.

Divinæ clementiæ maximas agit gratias Sanctissimus Dominus Noster, quod læta tandem, & triumphalis hæc illuxerit dies, Beatorum Pii V., Andreæ Avellini, Felicis à Cantalicio, & Catharinæ de Bononia sacris honoribus destinata. Est sanè cur hodie immortaliter gaudeat, ac in Domino glorietur ingentium adeò nominum prole felix, & in superbiam seculorum posita Italia: longè quidem illustrior, atque præstantior recentium Christi Militum sanctitate, qui Christianis virtutibus cœleste sibi Regnum compararunt; quàm olim fuerit veterum Ducum laudibus, qui bellico labore totum penè terrarum Orbem Romanis fascibus subjecerunt. Est præterea cur in hodierna celebritate universi Ecclesiæ Præsules jure lætentur; dum in B. Pio, Sacerdote verè magno, & immaculato, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, ad inflammanda Pastoralium omnium virtutum studia, grande iis proponitur, nec à longinquis seculis petitum exemplar, quod imitentur. Pari quoque lætitiâ perfundi decet Religiosos Ordines, quorum è septis tum ipse Beatus Pius, tum etiam Beati Andreas, & Felix, admirabilis innocentiæ, & sanctimoniæ Viri prodierunt: tanti siquidem Alumni sicuti eorumdem Ordinum dignitatem, & gloriam insigniter augent; ita planè ad sectanda, quæ reliquerunt, præclara vestigia, saluberrimis eos instruunt Euangelicæ perfectionis monitis, & documentis. Nec sanè levior gaudii materia ipsis etiam Sacris Virginibus, quæ flos dicuntur Ecclesiastici germinis, exhibetur; cùm enim ad earum sexum, ac institutum peculiari modo pertineant Beatæ Catharinæ laudes, cujus non anima tantùm à Cœlesti Sponso eximiis decorata muneribus, sed ipsum etiam mortale corpus tantâ fuit Divini Olei unctione roboratum, ut præter communes naturæ leges incorruptum adhuc, & integrum perseveret: est profectò cur tantæ Virginis glorificationi congaudeant, in qua maximum illis & præsidium constituitur, & exemplum. Porrò tametsi universis Christifidelibus magnum hodie, atque justissimum offeratur lætitiæ argumentum; longè tamen effusiùs, ac uberiùs exultare præ cæteris debent hujus Sanctæ Civitatis felices incolæ, quibus præcipuum illud Divina beneficentia munus indulsit, ut eorum in Solo Beati Pius, & Felix tandiù sanctissimè versati sint; eorum insuper in oculis tot, tantisque virtutibus, atque miraculis coruscaverint; eorum tandem in manibus, cum Cœlo insererentur, quidquid terrenum in ipsis fuit, propria scilicet sacra corpora, tamquam certissima perpetui amoris, & patrocinii pignora, posidenda reliquerint. Arduum tamen, atque sublime adeò opus est mortales homines adscribere inter Cives Sanctorum, & Domesticos Dei, ut in ipso tantæ rei perficiendæ limine, Sua Sanctitas à Sole, qui nescit occasum, opportunum sibi lumen rursus humillimè censeat implorandum. Jubet igitur Apostolicum Senatum, cæterosque Ordines, ac populum universum, huic solennitati præsentes, ante Aram hanc Augustissimam in genua procumbere, ac instanter orare, ut qui Sanctus Sanctorum est, & solus homines sanctificat in veritate, Divinam mentem ex inaccessibili luce proferre, notumque facere dignetur Sacramentum voluntatis suæ secundùm beneplacitum ejus.

His absolutis, Cardinalis Albanus, præstitâ unà cum aliis eum comitantibus debitâ Pontifici reverentiâ, ad sui Ordinis subsellia reversus est; Cæteri ad loca sua.

Tum SANCTISSIMUS PATER assurgens, Sede descendit, & adhuc Mitrâ redimitus, supra faldistorium à Cappellæ Clericis in ipsa Solii area antea locatum procubuit. Cardinales, Episcopi, & reliqui omnes in suis Stationibus Pontificis ad exemplum genua submiserunt, novum ex alto lumen, opemque magnis incœptis postulaturi. Mox duo Cantores Cappellæ superpelliceo induti, flexis ante scabellum genibus, in Theatri cavea juxta gradus Altaris Apostolorum, & loco, ubi mos est Epistolam cantari, comparatum,

paratum, vultuque ad alterum latus converso, Sanctorum Litanias cecinere, quibus absolutis, consurgens SANCTISSIMUS PATER, Sedem repetiit, ibique sedens adhuc Mitrâ exornatus, alteram de Beatorum Canonizatione excepit instantiam; Magister autem Cœremoniarum, cùm omnes post Litanias consurrexissent, Eminentissimum Cardinalem Albanum, Oratorem Bononiensem, & Advocatum ritu, & ordine nuper exarato ad imum Solii Pontificii gradum adduxit; Tunc Advocatus nomine prædicti Cardinalis, sequentibus verbis eorundem Beatorum Canonizationem instantiùs postulavit.

BEATISSIME PATER.

R*Everendissimus D. Cardinalis Annibal Albanus hîc præsens instanter, & instantiùs petit per Sanctitatem Vestram Catalogo Sanctorum Domini Nostri* JESU *Christi adscribi, & tamquam Sanctos ab omnibus Christifidelibus pronunciari venerandos Beatum Pium V. Pontificem ex Ordine Fratrum Prædicatorum assumptum, B. Andream Avellinum Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, B. Felicem à Cantalicio Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, & Beatam Catharinam de Bononia Ordinis S. Claræ.*

Ad hæc idem Brevium ad Principes è secretis nomine SANCTISSIMI PATRIS ex eodem loco ita respondit.

Q*Uò clariùs, & apertiùs in terrena de rebus cœlestibus deliberatione omnium longè gravissimâ, sempiterni Regis Cœlitum voluntas innotescat, sinè cujus illustratione caligant humanæ sapientiæ consilia: Sua Sanctitas iterari preces, Divinæque mentis oraculum instantiùs exquiri mandat.*

Tunc Eminentissimum Albanum, Oratorem, & Advocatum eò, unde venerant, reduxit Cœremoniarum Magister.

Interea Sanctitas Sua iterùm ad faldistorium in Area Solii denuò comparatum descendit, & retentâ Mitrâ, genua flexit, ut novas ibidem preces effunderet. Tum Diaconus Cardinalis à dexteris Assistens altâ voce ad Circumstantes conversus, & erectus, dixit: *Orate*: & confestim Cardinalis Diaconus Assistens à sinistris, Mitram detraxit Pontifici, qui, omnibus in genua ad orandum unà secum procumbentibus æquo intervallo, & donec idem Diaconus à sinistris assistens, altâ pariter voce, surgens pronunciaret, *Levate*, exoravit Altissimum, ut mittere dignaretur omnium actionum, & consiliorum Moderatorem Spiritum Sanctum; Quem postmodùm consurgens ex allato à senioribus Episcopis Assistentibus libro cum candela, Episcopo Cardinali seniore ministrante, invocavit, præcinendo Hymnum: *Veni Creator Spiritus*: & illicò super faldistorio in genua procubuit, prosequentibus interim Cappellæ Cantoribus. Absolutis primis quatuor versibus SANCTISSIMUS PATER, cæteris consurgentibus, surrexit, & reassumptâ Mitrâ, ad Sedem reversus est, ubi depositâ Mitrâ stetit usque ad finem Hymni, eoquè absoluto, duo Cantores cecinerunt. ℣. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*: & alii responderunt: *Et renovabis faciem Terræ*: Sanctitas verò Sua, stantibus ante Solii gradus duobus Signaturæ Justitiæ Votantibus Acolythis cum Candelabris, & Cereis accensis, subdidit in cantu sequentem Orationem Spiritus Sancti.

OREMUS.

D*Eus, qui corda Fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum.*

Et Cantores responderunt: *Amen.*

Sedit subinde Pontifex, & Mitrâ insignitus, tertiam, & postremam audivit de Canonizatione Beatorum instantiam. Absolutâ enim Spiritus Sancti Oratione, Magister Cœremoniarum ante imum Solii gradum tertiò adduxit Eminentissimum Albanum, Oratorem Bononiæ, & Advocatum Coyrum, qui eorundem Beatorum Canonizationem his verbis instantissimè postulavit.

BEATISSIME PATER.

R*Everendissimus D. Cardinalis Annibal Albanus hîc præsens instanter, instantiùs, & instantissimè petit per Sanctitatem Vestram Catalogo Sanctorum Domini Nostri* JESU *Christi adscribi, & tamquam Sanctos ab omnibus Christi-fidelibus pronunciari venerandos B. Pium V. Pontificem ex Ordine Fratrum Prædicatorum assumptum, B. Andream Avellinum Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, B. Felicem à Cantalicio Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, & B. Catharinam de Bononia Ordinis S. Claræ.*

Post hæc Brevium Secretarius tertiò pariter

riter respondit, aperiendo mentem Sanctitatis Suæ ad Canonizationem propensam sequentibus verbis.

ADveniſſe tandem Divini beneplaciti tempus exiſtimat Sanctiſsimus Dominus noſter, ejuſque ſenſu ſatìs jam cognito, ac intellecto, B. Pium V. inter Sanctos Confeſſores Pontifices, Beatos verò Andream Avellinum, & Felicem à Cantalicio inter Confeſſores non Pontifices modò referet, ac demum B. Catharinam de Bononia Sanctarum Virginum Cœtui adſcribet. Hanc porrò ſplendidam cooptationem idemmet SANCTISSIMUS PATER *Apoſtolico ſolenni Decreto mox edendo palàm faciet, ad Omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Fidei decus, & incrementum, ac eorumdem Beatorum honorem; quorum nomina requirentur à generatione in generationem; quorum ſapientiam enarrabunt gentes, & laudes eorum enunciabit Eccleſia.*

Atque his dictis, idem Secretarius ſubmiſſis erga SANCTISSIMUM PATREM genibus, quod ſemper ante, & poſt quodcumque reſponſum, ac etiam, cùm Sanctitatem Suam nominaret, præſtiterat, è Solii area receſſit ad locum ſuum inter intimos Papæ Cubicularios reverſurus.

Tunc conſurgente Sacro Senatu, Summus, & Sanctiſſimus Catholicæ Eccleſiæ Antiſtes, Dei in Terris Viceſgerens, Cœleſti Spiritu afflatus, ſenioribus Epiſcopis Aſſiſtentibus librum, & candelam ſuſtinentibus, ſedens, Mitrâ inſignitus, galeâ ſcilicet munitionis contra Adverſarios veritatis, clarâ voce, & ſinè cantu, ex Cathedra, Beatorum Pii V., Andreæ Avellini, Felicis à Cantalicio, & Catharinæ de Bononia Canonizationis ſententiam inter lacrymas ſenſu Religionis expreſſas, ea tamen, quæ Sacerdotem maximum decet, Majeſtate, palàm pronunciavit, hac uſus formâ.

AD honorem Sanctæ, & Individuæ TRINITATIS, *ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, authoritate Domini Noſtri* JESU *Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra; maturâ deliberatione præhabitâ, & Divinâ ope ſæpiùs imploratâ, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, in Urbe exiſtentium conſilio, Beatos Pium V. Pontificem, Andream Avellinum, & Felicem à Cantalicio Confeſſores, ac Catharinam de Bononia Virginem Sanctos, & Sanctam eſſe decernimus, & definimus, ac Sanctorum Catalogo adſcribimus: Statuentes ab Eccleſia univerſali illorum memoriam quolibet Anno die eorum natali, nempe Pii die quinta Maji inter Sanctos Confeſſores Pontifices; Andreæ die decima Novembris; & Felicis à Cantalicio die decima octava Maji inter Sanctos Confeſſores non Pontifices; & Catharinæ die nona Martii inter Sanctas Virgines non Martyres, pia devotione recoli debere. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.*

Sententia ritè prolata, maximâ omnium veneratione excipitur, & Comes Marcellinus Coyrus Advocatus, Cardinalis Albani nomine, illam acceptavit, egitque gratias Pontifici immortales; & quoniam declaratio ſanctitatis Chriſti famulorum ex vetuſto Eccleſiæ Romanæ ritu, & ex præſcripto Sacrorum Canonum celebrata, perpetuis futuris temporibus eſt de more Apoſtolicis literis conſignanda, ideo etiam has

has expediri ſuper præſentem ſententiam humiliter ſupplicavit his verbis.

BEATISSIME PATER.

IDem Reverendiſsimus D. Cardinalis Annibal Albanus hîc præſens acceptat pronunciationem à Sanctitate Veſtra factam, eidemque gratias immortales agit, ac enixè ſupplicat, ut Sanctitas Veſtra ſuper Canonizatione eâdem Literas Apoſtolicas dignetur decernere.

Sanctissimus huic etiam petitioni annuens, reſpondit: *Decernimus*; & confeſtim Eminentiſſimus Cardinalis Albanus Procurator Solium conſcendit, & cùm in gratiarum actionem manum, & genu Suæ Sanctitatis ſuper oram Pluvialis eſſet exoſculatus, ad ſubſellia inter alios Collegas remigravit: Tum Advocatus Coyrus, qui interim unà cum Oratore Bononiæ, & Cœremoniarum Magiſtro genibus flexis perſeveraverat juxta eundem imum Solii gradum, ſurgens, converſus ad Protonotarios, & Notarios præſentes, ut ad perpetuam rei memoriam, unam, vel plures conficerent tabulas ſuper hujuſmodi peracta ſolenni Canonizatione, illos rogavit his verbis.

ROgantur omnes Protonotarii, & Notarii hîc præſentes, ut ſuper hujuſmodi ſolennis Canonizationis actu unum, vel plura, publicum, ſeu publica, Inſtrumentum, vel Inſtrumenta conficiant, ad perpetuam rei memoriam.

Tunc antiquior Protonotariorum præſentium eos, qui in area Solii ſtabant, hujuſmodi rei teſtes adhibuit dicens: *Vobis Teſtibus*; & Bononiæ Orator aſcendens Solium, pedem Sanctissimi deoſculatus eſt in gratiarum actionem.

His peractis, Sanctissimus, depoſitâ Mitrâ, ſurrexit, omnibus pariter conſurgentibus, & adjuvante ad librum per antiquiores Epiſcopos Aſſiſtentes delatum Eminentiſſimo Acciajolo Epiſcoporum Card. ſeniore, præcinuit Hymnum: *Te Deum laudamus*:

Tunc eum proſequentibus Cappellæ Cantoribus, dato per Cœremoniarium ſigno, exauditus eſt Tubarum clangor, Tympanorum ſtrepitus, æneorum tormentorum reboatus, tum in area ante Portam Palatii Vaticani antiquam (vulgo *di Belvedere*,) tum in Arce Sancti Angeli, & ſonitus Campanarum omnium Urbis Eccleſiarum; Sclopos Militum acies, ſclopulos Equitum Turmæ diſploſere: ubique plauſus; ubique lætitiæ ſigna: omnis ſexus, ætas omnis dabat laudem Deo. Hìc Sanctorum res ſanctè, admirabiliterque geſtæ; illîc Religioſæ vitæ Inſtituta, morum diſciplina, pietatis ſtudia, inſignes virtutes commemorabantur: Alii Pium; alii Andream; alii Felicem; alii Catharinam Patronos appellabant, & omnes grati animi ergo, ingenti gaudio perfuſi, vitam, & felicitatem Clementi XI. apprecabantur.

Hymno per Cantores abſoluto, Eminentiſſimus Pamphilius Diaconus à dextris Aſſiſtens, ex ipſo aſſiſtentiæ loco cecinit: ℣. *Orate pro nobis Sancti Pie, Andrea, Felix, & Catharina*: cui reſponderunt Cantores: ℟. *Ut digni efficiamur promiſsionibus Chriſti*.

Tum Sanctissimus Pater Chriſtifideles edocturus, ut ad recentium Interceſſorum præſidium confugiant, cùm duo Acolythi intrà imum Solii gradum Candelabra æquè præ manibus accenſa geſtantes acceſſiſſent, ex allato libro cum candela à duobus Epiſcopis Aſſiſtentibus, Epiſcopo Cardinali adjuvante ſequentem Orationem à ſe aptè, & concinnè exaratam omnium primus recitavit in cantu feriali.

OREMUS.

MAgnificantes, Domine, clementiam tuam, ſuppliciter exoramus, ut qui nos hodie Sanctorum tuorum Pii Pontificis, Andreæ, Felicis, & Catharinæ Virginis glorificatione lætificas, illorum etiam præſidio ſalves ſemper, & munias: Per Chriſtum Dominum noſtrum. & Cantores reſponderunt: *Amen*.

Conſtitit adhuc Sanctissimus Pater; Joſeph enim Renatus S. Georgii Diaconus Cardinalis in Miſſa Euangelium cantaturus deſcendens è loco, quem uſque ab actionis exordio tenuerat ſuper gradus Altaris Apoſtolorum, excepto tempore Obedientiæ, quam juxta ordinem, & gradum ſuæ Promotionis præſtiterat, à Cœremoniario deductus, conſcendit Solium Pontificium, & in area ejuſdem ad ſiniſtram Summi Pontificis, atque ad eum converſus, additis Sanctorum nuperrimè Canonizatorum nominibus, cecinit Confeſſionem, ut infra.

COnfiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptiſtæ, Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo, beatis Pio, Andreæ, Felici, & Catharinæ, omnibus Sanctis, & Tibi Pater; quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & ope-

re : mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, beatos Pium, Andream, Felicem, & Catharinam, omnes Sanctos, & TE PATER, *orare pro me ad Dominum Deum nostrum.*

Interea R. P. D. Pompejus Aldrovandus Auditor Rotæ, & Subdiaconus Epistolam in solenni Pontificio Sacro cantaturus, è gradibus Altaris, è quibus inter Diaconum, & Subdiaconum Græcos sacram spectaverat actionem, ad latus dexterum Altaris, Euangelii scilicet, ascendens, Crucem hinc è manibus Ostiarii, qui eam super marmoreum confixam fulcimentum custodiebat, desumptam, Confessione completâ, detulit erectam ante infimum Solii gradum, ubi submissis genibus eandem statuit coram Sanctitate Suâ. Tunc SANCTISSIMUS adhuc stans, è libro sibi à senioribus Episcopis Assistentibus de more oblato, adjectis Sanctorum Canonizatorum nominibus, absolvit, & benedixit, in cantu dicens.

PRecibus, & meritis Beatæ Mariæ semper Virginis, Beati Michaelis Archangeli, Beati Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Beatorum Pii, Andreæ, Felicis, Catharinæ, & omnium Sanctorum, misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam æternam. ℞. *Amen.*

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus. ℞. *Amen.*

Et benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat super vos, & maneat semper. ℞. *Amen.*

Hæc sunt, quæ ad solennia Canonizationis celebratæ olim absque Missa Pontificia, ut liquet ex eruditissima dissertatione Reverendissimi Phœbei Archiepiscopi Tarsensis olim Cœremoniarum Pontificiarum Magistri relatâ in calce Actorum Canonizationis SS. Petri de Alcantara, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis à Dominico Cappello earumdem postmodum Cœremoniarum Magistro meritissimo, politè conscriptorum, & accuratè non minùs, ac antecedentium S. Francisci Salesii; & aliquando etiam cum Missa postridie celebranda, [1] ut accidit tempore Bonifacii Papæ IX., qui Sabbato Nonis Octobris 1391. solennia Canonizationis B. Birgittæ peregit, & sequenti die Dominicâ VIII. Idus ejusdem mensis Sacris solennibus operatus est maximâ pompâ, & consuetis Postulantium Canonizationem oblationibus: Cùm autem per hæc tempora lex Cœremonialis ritè, & ordine servanda præscribat, absolutis Canonizationis Cœremoniis, Missam à Summo Pontifice, vel saltem ab aliquo S. R. E. Cardinale esse decantandam, SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER solenniis Canonizationis super memorato ordine expletis, solenni ritu operaturus, sedit, ac Mitrâ exornatus parumper quievit.

Exinde surgens, medius inter Diaconos assistentes anteriores Pluvialis fimbrias elevantes, & innixus duorum Rotæ Auditorum limbum faldæ pariter anteriorem deferentium brachiis, syrmate tum faldæ, tum Pluvialis ab intimis Cubiculariis assistentibus delato, descendit ab eminenti sede, & exhibitâ Altari reverentiâ, circumstantibus Cardinalibus benedicens, ad parvum Solium perrexit, ibique sedens, modicâ interpositâ morâ, deposuit Mitram, & surgens, versùs ad Altare dixit secretò *Pater noster*, & *Ave Maria*, deinde consuetum Crucis signum à fronte in pectus dexterâ manu producens ad Tertiam præcinuit: *Deus in adjutorium meum intende*: Cantoribus reliqua prosequentibus; incœptoque ab iisdem Psalmo: *Legem pone &c.* Sanctitas Sua sedit, accepit Mitram, & ex libro (*Canonem* dicunt) à duobus Episcopis Assistentibus cum candela oblato, cum Diaconis Cardinalibus Assistentibus præparatorias ad Sacrificium preces: *Ne reminiscaris &c.* submissa voce perlegit, stante interim apud scabellum in dextero areæ ejusdem Solii angulo collocatum, Eminentissimo Imperiali Diacono Euangelii, qui, Tertiâ incepta, illùc se contulerat. Interea Subdiaconus Apostolicus Epistolam cantaturus, desumptis ab Altari per manus Reverendissimi Sacristæ Sandaliis super pelvim positis, veloque coopertis, una cum Pontificiarum vestium Subcustode accessit ad Pontificem, quem Subdiacono adjuvante iis induit Subcustos, elevantibus duobus Acolythis Signaturæ Justitiæ Votantibus anteriores faldæ fimbrias. Absolutis præparatoriis precibus, cùm Cantores ad Capitulum Tertiæ pervenissent, Summus Pontifex surrexit cum Mitra, eodemque tempore Eminentissimus Acciajolus ex Episcopis Cardinalibus antiquior accessit ad Pontificem, qui completis per Cantores Versiculis Responsorii,

(1) *Ord. Rom. Petri Amelii cap.153. relat. in Musæo Italico P. Mabilon tom. 2.*

ſorii, ſedens depoſuit Mitram, & mox iterum ſurgens, ex libro Miſſali cum candela oblato ab Epiſcopis Aſſiſtentibus, memorato Epiſcopo Cardinali eundem librum ſupra caput tenente, ac duobus Acolythis Apoſtolicis ſtantibus juxta Solii gradus, Candelabra accenſa geſtantibus, cecinit.

Dominus vobiſcum. ℟. *Et cum Spiritu tuo*: Et Orationem ſequentem Officii currentis, & Miſſæ de SS. Trinitate.

OREMUS.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ Fidei, æternæ Trinitatis *gloriam agnoſcere, & in potentia majeſtatis adorare unitatem: quæſumus, ut ejuſdem Fidei firmitate, ab omnibus ſemper muniamur adverſis. Per Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum: qui tecum vivit, & regnat, in unitate Spiritus Sancti Deus: per omnia ſecula ſeculorum.*

℟. *Amen.*

Dominus vobiſcum.

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Duo Cantores: *Benedicamus Domino.*

℟. *Deo gratias.*

Pontifex: *Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.*

His peractis, diſcedentibus Acolythis, ſedit Pontifex, & Mitram ſumpſit: Tunc Dux Poli Magiſter S. Hoſpitii, ex Nobilioribus Laicis locum habentibus in Cappella poſtremus, acceſſit ad Pontificem, aquam deferens pro manuum ejuſdem lotione, ad præſcriptum Cœremonialis Romani, (1) & ſinè enſe, ut ex Decreto (2) Gregorii XIII. Cùm ſibi manus lavaret Pontifex, Laici omnes genua ſubmiſerunt: ſteterant Cardinales depoſitâ Mitrâ, reliqui nudato capite.

Lotis manibus, Diaconus Euangelii aſcendens imum ſedis gradum [*ſcabellum* appellat Cœremoniale] exuit Mitrâ Pontificem ſedentem, mox ſtantem Pluviali, & ſtolâ.

Dum cantabatur hora Tertia, Reverendiſſimus Sacriſta ex Altari, ſuper quod erant diſpoſita, ſacra Summi Pontificis indumenta, Acolythis Apoſtolicis illuc accedentibus, & primò in genua provolutis, per ordinem diſtribuerat, manus nempe ipſorum parvo cooperiens velo, & ſuper velum componens ornatum Pontificalem; Illi, unus poſt alium, aſcendebant, ſacroque Ornatu ſumpto, deſcendentes extra infimum Altaris gradum, ſeſe ita diſponebant, ut ad Altare converſi ex recto ſtarent, & qui geſtabat ornatum, quo primùm Pontifex erat induendus, propinquior fieret Baſi æneæ columnæ in cornu Epiſtolæ erectæ: qui verò poſtremum, exadverſo locum teneret; Exindè tranſeunte Poli Duce, aquam Pontifici ad lavandas manus deferente, factâ de genu Cruci reverentiâ, ad nutum Cœremoniarii, ad Theatrum converſi, ordine ritè ſervato, ſenſim ad eminentem ſedem proceſſerunt; cùmque illuc perveniſſent, ubi eorum ſiniſtrum latus objiciebatur Pontifici manus lavanti, vultu unâ in lævam verſo, ante eum ſtatim genua ſubmiſerunt, ac ſeſe elevantes, aſcenderunt, tum Theatri, in ea parte, tum Solii gradus, unus poſt alium, Diacono Euangelii ſacra Summi Pontificis ornamenta ordine miniſtraturi.

Porrò Diaconus Cardinalis Miniſter, poſt exutum Pontificem Mitrâ, Pluviali, & Stolâ, eundem præcinxit ſubcinctorio, cingulo ſcilicet, ex quo appenſus excurrit, veluti quidem alter manipulus, in quo viſitur Agnus cum rubea Cruce phrygio opere pictus, quique ita aptatur, ut ſupra ſiniſtrum defluat Pontificis femur. Tum eundem Summum Pontificem priori diſcinxit cingulo; & ſubinde Cruce, Fanone, Stolâ, Tunicellâ, Dalmaticâ, Chirothecis, Caſulâ, & Pallio exornavit: Ex his Crucem, Fanonem, Stolam, & Pallium eidem porrexit oſculanda; ſanè Fanon, quem Orale [3] Innoc. III., & [4] Durandus appellavere, Crucem habet in anteriori parte, eſtque peculiare Pontificis indumentum, tanquam duplex penula ex leviori textili ſerico, tenuique auro variegatum ad ſimilitudinem ſcortearum, quibus utuntur ad Loca Sancta Peregrinantes, quæ, ubi foramen habent in centro, ad amiciendum conſuuntur, ac colligantur, ſuper humeros à tergo, & ante pectus dependentes undique clauſæ. Has inter induitur Pontifex Stolâ, Tunicellâ, Dalmaticâ, & Caſulâ, adeò ut quæ ſubter eſt, albam tangat, quæ ſupra, Caſulæ partem ſuperiorem cooperiat, & quodammodo comprimat interpoſita indumenta, conſtringatque; revolvitur autem identidem ſuper Caput Pontificis, ad eum faciliùs ſacris veſtibus induendum.

Pallium verò, Stola ſcilicet Apoſtolatus, cujus uſus originem Lino Petri proximo Succeſſori in ſuo S. R. E. Cœremoniali [5] Auguſtinus Piccolomineus attribuit, ita ſuper Fanone aptatur, ut ejus extremitates

(1) *Lib.3. ſect.5. cap.4.* (2) *De Ref. cap. Pontif.* (3) *Lib.1. de myſt. Miſſæ cap.53.* (4) *Rational. lib.3. c.9.* (5) *Lib.1. ſect.10. cap.5.*

ante pectus, & à tergo inter scapulas defluant, & pars, ubi duplicatur, super humerum sinistrum remaneat extensa.

Hujusmodi autem Stola, quæ Pallium dicitur, ut aliquid de ejus forma enarremus, est quasi quædam oblonga tænia ex candida lana contexta, quæ haud ullo nexu in orbem ad morem torquis circumvolvitur, & ita consuitur, ut æquè pendentes habeat extremitates, in quibus, nè facilè circumagantur, tenuis plumbea lamina insuitur serico nigro contecta; sex insignitur Crucibus ex eodem serico pulli coloris confectis, quarum quatuor æquo intervallo dispositæ, externam circuli faciem; geminæ aliæ oras defluentes exornant.

Detulerat jam ab Altari hoc idem Pallium velo coopertum Subdiaconus Epistolæ Latinæ, Acolytho Apostolico ipsum sequente, tresque aureas spinulas in summo Orbe segmentatas gestante. Tunc Cardinalis Diaconus Euangelii Pallio Pontifici imposito ex his tantùm binas inseruit. Unam scilicet pretiosiorem in Crucem anteriorem Pallii, alteram verò in Crucem super humerum sinistrum infixit, & ita infixit, ut tertiò Crucem, Pallio minimè perforato, pertransiret, ac spinulæ gemma ad sui ipsius dexteram remaneret. Postremam autem spinulam Subdiaconus ipse, pari fermè pacto, in Crucem posteriorem immisit.

Exinde Cardinalis Minister, postquam Pontifici Mitram imposuit, locum suum repetiit. Tum Episcopus Cardinalis Assistens manum Pontificiam, quam exosculatus est, annulo exornavit, & accedente Acolytho cum thuribulo, & navicula, eam obtulit Summo Pontifici, qui thus de more injecit in thuribulum, & subinde veluti à Secretario, quod etiam nunc ab Episcopis intrà suas Ecclesias celebraturis, ad Cœremonialis præscriptum, in separato Sacello, ac etiam à nobis pro Summo Pontifice in die Coronationis ejus ad vestiendum solenniter comparatur, supplicabundo ritu, circumiens aream Theatri superiorem, ad Altare descendit hoc ordine. Præibat Thuriferarius: sequebantur septem Acolythi, Candelabra cum candelis accensis deferentes, mediumque habentes Subministrum Apostolicum, Crucem gestantem, ac quantum ipsius areæ amplitudo patiebatur, semicirculi speciem retinentes: subinde Epistolæ Latinæ Subdiaconus, medius inter Diaconum, & Subdiaconum Græcos, librumque Missalem gestans ante pectus clausum, ac intrà ipsum librum Summi Pontificis manipulum: Proximè incedebat Episcopus Cardinalis assistens à dexteris Diaconi Cardinalis Ministri: Tum Summus Pontifex medius inter duos Cardinales Diaconos assistentes, manu benedicens sacro Conventui, ac demùm bini, bini, quatuor ex primoribus Episcopis Solio Pontificio assistentibus. Pontifici ultra medium progresso, in sinistra scilicet Theatri parte, ab extremo subselliorum Cardinalium Diaconorum, ubi locum tenebant, occurrerunt tres ultimi Presbyteri Cardinales, tres Magos [1] Orientales, qui Christum Infantem adorare venerant, denotantes, & reverenter osculati sunt eum, primùm in facie, deinde in pectore, gemino illo osculo geminam in Christo [2] naturam, Divinam scilicet, & humanam confitentes: Divinam, quasi latentem in pectore; humanam, quasi patentem in ore: Subministro Apostolico interim manus suas Pontificiis spatulis admovente, statimque ad locum suum inter Græcos Ministros revertente. Ubi Summus Pontifex ante gradus Altaris pervênit, detractâ illi Mitrâ à Diacono Cardinali Ministro, cum eo à sinistris stante, & Episcopo Cardinali à dextris assistente, cantantibus interea Introitum Missæ Cantoribus, sacram ex more protulit Confessionem, omnibus de sacro Conventu statis in locis id ipsum facientibus. Ad verba, *Indulgentiam &c.* Subminister Apostolicus Latinus sinistrum ornavit Pontificis brachium manipulo, quem priùs exosculatus Summus Pontifex, prolatisque subinde versiculis, ascendit ad Altare submissâ voce dicens: *Aufer à nobis &c.* & manibus junctis, ac super Altare positis, inclinatus: *Oramus &c.* opportunè osculando Altare, & librum Euangeliorum ex latere Euangelii à Subdiacono Latino, Cardinali Episcopo ipsum adjuvante, oblatum; mox Diacono Cardinale Ministro Acerram ministrante, ac benedictionem petente, thus ingessit Thuribulo benedicens ex more, incensoque thure, ex consuetudine fumigavit Altari, postremò in cornu Epistolæ eidem Cardinali Diacono restituit Thuribulum, quo ter ducto, & adhuc fumigante, Mitrâ per priorem Cardinalem Diaconum assistentem insignitus, in ipso Altaris cornu ab eodem Cardinali Ministro cultus fuit; & continuò ex eodemmet loco ipsum Cardinalem primò, deinde alios duos Cardinales Diaconos assistentes excepit ad osculum oris, & pectoris, ut proximè de postremis Presbyteris Cardinalibus recensuimus.

Post hæc Summus Pontifex ad medium Alta-

[1] *Innoc. 3. lib. 2. de myst. Missæ cap. 11. Macr. Hierolex. v. Euangelium.* [2] *Innoc. 3. & Macr. ubi supra.*

Altaris regressus, devotâ capitis inclinatione veneratus est Crucem: Exinde conversus, Cardinale Diacono Ministro, Subdiacono Latino, Diacono, & Subdiacono Græcis apud Altare remanentibus, per anteriores ipsius Altaris gradus descendit in Caveam Theatri, ex qua utrimque manu benedicens, sedem conscendit eminentem, ubi, cùm aliquantisper sedisset, detractâ Mitrâ consurgens, ex libro Rituali ab Assistentibus Episcopis cum candela oblato, legit Introitum Missæ, quam solenniter est prosequutus de Festo currenti, in quo [1] uno Dei sub nomine Ineffabilis Trinitatis arcanum confitemur, cum Collectis à se confectis de Sanctis nuperrimè canonizatis, sub unica conclusione, quarum tenor est.

Magnificantes, Domine, clementiam tuam, suppliciter exoramus, ut qui nos hodie Sanctorum tuorum Pii Pontificis, Andreæ, Felicis, & Catharinæ Virginis glorificatione lætificas, illorum etiam præsidio salves semper, & munias. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

SECRETA.

Munera, Domine, plebis tuæ, quæsumus, Sanctorum tuorum Pii Pontificis, Andreæ, Felicis, & Catharinæ Virginis fiant grata suffragiis; & pro quorum triumphis tuo nomini offeruntur, ipsorum digna perficiantur & meritis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

POSTCOMMUN.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut sacra sumpta libamina, tuorum interventione Sanctorum Pii Pontificis, Andreæ, Felicis, & Catharinæ Virginis, & temporalem nobis misericordiam conferant, & æternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Pontificiæ Missæ ritum, propterea quòd cum descripto in Cœremoniali Romano [2] conveniat, iis exceptis, quæ soli Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi congruunt solennitati, tum ea, quæ proximè sequuntur, intermittimus. Etenim utroque Euangelio tum Latino, tum Græco decantato, post exhibita eorumdem libris oscula à Summo Pontifice, quem adhuc stantem sinè Mitra, descendens è solii gradibus Episcopus Cardinalis assistens, thure coluit: Ipsemet Sanctissimus Pontifex sedit, & reassumptâ Mitrâ, ad Venerabiles Fratres, & dilectos Filios sequentem habuit Homiliam, non absimilem à præcedentibus vigintiseptem, variis in solennitatibus, ab eo dictis, quæ præstantissimum tum Leonis, tum Gregorii stylum, & spiritum æmulantes, in varia sunt idiomata translatæ, typisque commissæ

Ecce ego (3) vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. His planè verbis æterni Patris unigenitus Filius, humanæ reparationis opere completo, ascensurus in Cœlum, mœrentibus de suo discessu Discipulis, se omni tempore eis adfuturum spopondit: ut Nobis ostenderet nec se Patrem (4) dimisisse, cùm ad Nos descendit, nec Nos deseruisse, cùm ad Patrem ascendit. Loquente siquidem per Prophetam (5) Spiritu Sancto, vocatum fuerat Nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus; (6) Implevit propterea Dominus Nominis sui proprietatem, dum Nobis pollicitus est præsentiæ suæ perenne præsidium, ut certi essemus nunquam pugnantibus defuturum in Terris, qui vincentibus coronam parabat in

Cœlis

[1] *S. Max. in Homil. 1. de Epiph.* [2] *Lib. 2. sect. 1. cap. 14.* [3] *Matth. 28. v. 20.* [4] *Ex S. Leone ser. 2. de Ascens. Dom. circa med.* [5] *Isai. c 7. v. 14.* [6] *Ex S. Leone ser. 2. de Resurrectione Dom. circa med*

Cœlis. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Adest Nobis Dominus, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, adest innumeris Divinæ suæ providentiæ beneficiis: adest ineffabilis suæ gratiæ salutaribus donis; Nunquam tamen propiùs adest, quàm cùm illum longiùs abesse reputamus. Solet scilicet Dominus in tempestate, (1) ac turbine delitescere, ut repentè inde prosiliens Divinæ suæ vocis imperio (2) faciat tranquillitatem: sciantque omnes (3) invocantes eum in veritate nunquam promptiora Nobis esse Cœlestia subsidia, quàm cùm Nobis magis deesse experimur terrena consilia. Hoc est supremi rerum moderatoris ingenium, ut tum maximè sit ad lenitatem paratus, cùm in brachio (4) forti gladium educit, ut feriat: nec unquam magis sit exorabilis ad veniam, quàm cùm manum elevat ad ultionem: ut clariùs semper servatum noscant omnes, quod promisit: Ecce ego *vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Præclarum, ac magnum compertæ hujus veritatis datur Nobis hodie argumentum; Nec sanè absque supernæ providentiæ consilio contigisse arbitramur, ut quo die Divini promissi memoriam in* Euan*gelica lectione recolimus, nostro illud experimento cumulatè impletum sentiamus, ac Dominum in circuitu* (5) *populi sui semper excubantem agnoscamus.* Perspe*ctæ vobis sunt, Dilectissimi, diuturnę, ac multiplices Christianę Reipublicę calamitates:* Perspe*ctę itidem sunt* Ecclesię, *ac* Reli*gionis jacturę, collabente in dies Fidelium pietate, graviores. Non est propterea, quod singulas, vobis benè illas intuentibus, recenseamus; nè profunda nimiùm vulnera acerbiùs exasperemus, ac hodiernę celebritatis lętitiam importunâ miseriarum recordatione funestemus. Quęcumque tamen, & quantęcumque illę sint, compertum hoc est, atque exploratum, nihil ad tanta, ac tam acerba mala sedanda opportunius unquam excogitari potuisse, quàm propositis heroicarum virtutum documentis frigescentem populorum charitatem excitare, novisque auctis è Cœlo pręsidiis Christianę rei* undi-

[1] *Nahum cap.* 1. *v.* 3. [2] *Ex Matth. cap.* 8. *v.* 26. [3] *Ex Psal.* 144. *v.* 18. [4] *Ex Jerem c.* 21. *v.* 5. [5] *Ex Psal.* 124. *v.* 2.

undique periclitanti subvenire. Utrumque hodie præstare dignatus est Dominus, dum eo fermè tempore, quo sic promerentibus hominum flagitiis, visitabat Nos (1) in virga furoris sui, nè videretur plebem (2) suam repellere, ac hæreditatem suam derelinquere, per ministerium humilitatis nostræ dedit in lucem gentium, ac tutelam Ecclesiæ splendidissima lumina sanctitatis, hoc est: Pium V. Pontificem, Andream Avellinum, & Felicem à Cantalicio Confessores, ac Catharinam de Bononia Virginem; in quibus habeant fideles omnes quid intueantur: habeant Episcopi, aliique animarum Pastores impavidam Pii fortitudinem, quâ roborentur, assiduam vigilantiam, quâ excitentur, indefessos labores, quibus instruantur: habeant in sortem Domini vocati, sive inter seculi fluctus degentes, sive in portum religiosæ stationis recepti, Andreæ, ac Felicis cœlestia charismata, quæ æmulentur: habeant mulieres Catharinam tam inter aulæ pericula versantem, quàm securioribus inclusam septis, Christianæ ubique perfectionis Magistram, ac Ducem, quam sequantur; habeant omnes illustria exempla, quæ imitentur: habeant fortissimum patrocinium, quo custodiantur. Patri itaque misericordiarum, (3) ac Deo totius consolationis, humiles agamus gratias, quòd inter tot, quibus circumdamur, Ecclesiæ, ac Reipublicæ pericula, non fuerit oblitus (4) misereri, nec continuerit in ira sua misericordias suas: quòd quæsiverit Viros, (5) qui interponerent sepem, & starent oppositi contra eum pro terra, nè dissiparet eam, & invenerit: quòd demùm exaudiens nos (6) in abscondito tempestatis apertiùs semper monstraverit, se nobiscum verè esse velle omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Sed liceat jam nobis spes nostras, liceat nostra in vos vota convertere, felicissimi Cœlites, quorum magnis nominibus in Sanctorum Albo per Nos hodie relatis, grandia fideli populo præsidia dantur, & exempla. Respicite è Cœlo, ubi de vestra (7) jam felicitate securi, sed adhuc de nostra incolumitate soliciti, sublimiores inter Spi-

ritus

[1] *Ex Psal.* 88. *v.* 33. [2] *Ex Psal.* 93. *v.* 14. [3] *Ex* 2. *Corinth. cap.* 1. *v.* 3. [4] *Ex Psal.* 76. *v.* 10. [5] *Ex Ezechiel. cap.* 22. *v.* 30. [6] *Ex Psal.* 80. *v.* 8. [7] *Ex S. Cyprian lib. de mortalit.*

ritus ambitu syderum coronamini, respicite Christiani Orbis ærumnas, Ecclesiæ vulnera, pericula Religionis; respicite calamitates nostras, quibus commissam Vobis hodie populi nostri tutelam debetis, curam etiam Superis splendidam. Nè igitur dedignemini hanc curam, cujus propositâ nobis spe inter tot adversa, quibus affligimur, tanta jam felicitate pensamur, ut de nostris vulneribus ampliùs non doleamus. Divinam, quâ semper exarsistis, & nunc exardetis, ac in æternum exardebitis, flammam cordibus nostris impertimini, ut ab illa nunquam deflectamus viâ, quam vestrarum fulgore virtutum ad sempiternæ felicitatis domicilium quàm clarissimè præmonstratis. Lenite iram Dei in (1) furore suo terras arguentis. Romanam hanc Sedem cæterarum Magistram, & Matrem, quæ vos colit, ac colendos præcipit, defendite. Circumdate (2) hanc novam Sion, & circumvallate eam; hoc est, custodite, munite, precibus firmate. Custodite potissimùm, custodite Italiam vestram, Italiam, quæ vos genuit, quæ vos aluit, quæ vos amavit, quæ Cœlo vos dedit: supernæ pietatis latices, ac cœlestium divitiarum thesauros in populos, qui vestras laudes enarrant, effundite. Exorate demùm Omnipotentem Principem Pacis, in cujus manibus sunt (3) corda Regum, & sub (4) quo curvantur, qui portant Orbem, ut Christianos Principes diuturnis nimiùm dissidiis inter se decertantes in pristinæ charitatis compagem restituat, efficiatque, ut fœderatis illorum viribus, atque animis, in hac altissima terrarum specula canere possimus classicum Cœli, non aliàs quàm ad Regnum Christi propagandum, plaudente concilio justorum, & triumphante Religione: Unde omnis (5) lingua confiteatur, Cœlo etiam, & (6) Terrâ transeuntibus, nunquam transitura esse verba Divinæ illius promissionis: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

Inten-

[1] *Ex Psal.6.v.2.* [2] *Ex S.Jo.Chrysost. Homil. in SS.duodecim Apost. prope fin.* [3] *Ex Prverb.cap.21.v.1.* [4] *Job. cap. 9. v. 13.* [5] *Ex Philippen.cap. 2. v. 11.* [6] *Ex Luc. cap. 21. v. 33.*

Intentis omnium auribus excepta est Sanctissimi Patris Homilia, cujus rei exemplum in anteactis Canonizationibus frustrà expetivimus post annum 1519. In eo enim legimus Leonem X. in numerum Sanctorum Beatum Franciscum de Paula Kalendis Maji solenniter retulisse, & [1] in ea actione ad Populum luculentissimum habuisse sermonem. Absolutâ Homiliâ Diaconus Cardinalis Minister è superiori Altaris gradu, in quo interim residebat, Cœremoniarum Magistro duce, ad sinistrum Areæ Solii latus accessit, ibique erga Pontificem inclinatus devotè iteratò cecinit *Confiteor*, eoque absoluto; eò, unde venerat, Cœremoniario comitante, remigravit. Tum sedit Pontifex, & ab eo Episcopus Cardinalis assistens Indulgentias postulavit his verbis: *Indulgentias* Pater Sancte: cui Ipse respondit: *Præsentibus Plenariam, & visitantibus quotannis Sepulcra SS. Pii V., Andreæ Avellini, Felicis à Cantalicio, & Catharinæ de Bononia, die eorum natali septem annos, & totidem quadragenas*: Tum ille stans ante Cathedram suam ad Populum conversus, Indulgentiam hisce conceptis verbis evulgavit.

Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster, Dominus Clemens *Divinâ Providentiâ Papa XI. dat, & concedit omnibus hìc præsentibus Indulgentiam Plenariam: visitantibus autem quotannis Sepulcra Sanctorum Pii Pontificis, Andreæ, Felicis, & Catharinæ Virginis, die eorum natalitio septem annorum, & totidem quadragenarum in forma Ecclesiæ consueta: Rogate igitur Deum pro felici statu Sanctitatis Suæ, & S. Matris Ecclesiæ.*

Eâ promulgatâ, Sanctissimus Pontifex depositâ Mitrâ ex libro ab eodem Episcopo Cardinali, adjuvantibus hinc indè duobus Episcopis assistentibus, cum candela sibi oblato, iterùm Absolutionem pronunciavit, & salutari Crucis signo consuetis verbis Conventu, & Populo communito, ex eodem libro confestim præcinuit Symbolum Fidei, quod submissa voce cùm Cardinalibus Diaconis assistentibus complevit, Cantoribus illud ipsum in cantu prosequentibus: Sedit deinde, & accepit Mitram, & gremiale, pannum scilicet pretiosum quadrangulum, Crucem insertam in sui medio referentem, qui ponitur in gremio Pontificis solenniter celebrantis, super quo idem Pontifex manus tenet compositè extensas, dum sedet, ad munditiem certè servandam: Eo etiam utitur Summus Pontifex, licèt minùs pretioso, super albam, & stolam, tum in Candelarum, & Cinerum, tum in Palmarum distributione.

Expleto per Cantores Symboli cantu, Sanctissimus Pontifex depositis gremiali, & Mitrâ, consurrexit, & cecinit, *Dominus vobiscum*, & *Oremus*, atque ex libro illi per Episcopos assistentes cum candela oblato, legit Offertorium: *Benedictus sit Deus Pater &c.* quo completo sedit iterum, & impositâ ei Mitrâ, detractisque per Diaconos assistentes anulo, & chirotecis; rursus anulo, & gremiali ornatus, Mysteriorum plenam à Cardinalibus Sacrorum Rituum Congregationis in ordine antiquioribus excepit Oblationem.

Porrò Oblationis cœremonia sic se habuit. Quot in Albo Sanctorum descripti, tot Oblationes, & unaquæque ab altera dispartita, ornatu tamen, ac specie similis: Omnes unà super amplas mensas mantilibus tectas, & è conspectu parvi Solii super area Theatri collocatas, ordine digestæ, veloque albo serico translucido coopertæ: circum ipsas ad Indictionis præscriptum Postulatores Religiosi Viri, & Nobiles oblationum Portitores.

Post Symboli versiculum: *Et Incarnatus &c.* Cardinales Diaconi assistentes, novissimis succedentibus, Albano excepto Oblationum munia obituro, ab assistentia recesserunt; & per Cœremoniarium ad prædictas mensas deducti sunt pro prima Oblatione, Cardinalis de Abdua Episcopi Cardinalis vicem gerens, Pignatellus Presbyter, Pamphilius Diaconus, & Albanus Canonizationis Procurator. Ibi, perlecto à Pontifice Offertorio, ad Oblationem, quæ per Postulatores B. Pii præstabatur, ab imo Theatri hoc ordine processerunt. Præibat Cœremoniarum Magister; sequebantur bini quatuor Servientes Armorum clavas argenteas super humeros deferentes; mox Clericali togâ induti duo ex nobilioribus Domesticis Eminentissimi de Abdua, prægrandes Cereos Sancti Pii imagine, & Summi Pontificis Insignibus arabicè pictos suppositâ mappulâ [2] lineâ deferentes: tum ipse Cardinalis de Abdua Mitram manu gestans à dextris Cardinalis Albani; subinde Reverendissimi Patres Fr. Antoninus Cloche totius Ordinis Prædicatorum Magister Generalis, & Fr. Gregorius Sellari Sacri Apostolici Palatii Magister: ille minorem Cereum ex æquo pictum, & ornatum deferebat:

[1] *Ex Diar. Blasii de Cæsena ad ann.* 1519. *die* 1. *Maji*. [2] Mappulam hanc antiquissimus apud Hittorpium Ordo Romanus *pag.* 3, §. *Deinde salutat,* appellat *Favonem*: ibi: *Et offerunt cum Favonibus candidis*.

rebat: alter par Turturum in Caniſtro affabrè inciſo, & inaurato. Deinde ex Aulicis Eminentiſſimi Pignatelli Nobiles duo talari veſte induti, prægrandes panes, auro unum, alterum argento inductos geſtantes, utrumque in centro ſupernè Pontificio Inſigni ex opere anaglyphico exornatum: tum ipſe Presbyter Cardinalis Pignatellus, & proximè Reverendiſſimi PP. Fr. Joſeph Tabaglio S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Commiſſarius, & Fr. Guillelmus Angelus Molo totius Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis: primus minorem alium Cereum: alter par Columbarum in parvo argentato Caniſtro ferentes. Duo exinde Nobiles familiares Eminentiſſimi Cardinalis Pamphilii Clericali togâ itidem amicti, doliola duo, vini ſcilicet, & aquæ, alterum auro, alterum argento obducta, Inſignibuſque Summi Pontificis, & Poſtulatorum, in fundis decorata geſtantes; tum idem Cardinalis Pamphilius Diaconorum Prior, & demum Rev. PP. Fr. Magiſter Auguſtinus Pipia Sac. Congregationis Indicis Secretarius, & Fr. Magiſter Thomas Ripol Terræ Sanctæ Provincialis: hic varias aviculas caveâ incluſas argento, auroque obductâ: ille minorem alium Cereum, aliiſque ſimilem, lineâ pariter ſuppoſitâ mappulâ, deferebat. Hic idem reliquarum fuit ordo, ſpecieſque Oblationum, quarum primâ procedente, inſtruebatur altera novis ſuccedentibus Oblatoribus.

Porrò ad alteram S. Andreæ Avellini Oblationem cum ſuis Nobilibus familiaribus Cereos, Panes, Doliola, & Caniſtra, caveaſque ferentibus, perrexerunt D. Cardinalis S. Clementis, Presbyter, Epiſcopi loco; de la Tremoille Presbyter; & Otthobonus Diaconus: Cereos minores, & Caniſtella tulerunt RR. PP. D. Antonius Maria Correale Clericorum Regularium Theatinorum Præpoſitus Generalis, & D. Cajetanus Luconi; D. Cajetanus Sarſale, & D Antonius Maria Borromeus Conſultores; D. Alexander Sallaroli, & D. Emmanuel Spinelli, iſte Præpoſitus, ille eorundem Clericorum Regularium Procurator Generalis, & Canonizationis Poſtulator.

Ad Tertiam S. Felicis à Cantalicio contenderunt DD. Cardinales Sacripantes Presbyter pro Epiſcopo; Fabronus Presbyter; & Bichius Diaconus: RR. PP. Fr. Michael Angelus de Raguſia, & Fr. Jo. Antonius à Florentia, iſte Procurator Generalis, ille totius Ordinis S. Franciſci Capuccinorum Generalis Miniſter; Fr. Franciſcus à Cramburgo, & Fr. Timotheus de la Feche ejuſdem Ordinis Definitor Generalis, & Sac. Rit. Congregationis Conſultor; Fr. Timotheus à Rodenas itidem Definitor Generalis, & Fr. Bernardinus ab Aretio totius Ordinis Ex-Vicarius Generalis.

Ad quartam S. Catharinæ de Bononia DD. Cardinales Pauluccius Presbyter Epiſcopi loco; Thomaſius Presbyter; & Barberinus Diaconus. Illuſtriſſimus Comes Philippus Aldrovandus apud Sanctitatem Suam Bononiæ Orator, Canonizationiſque Beatæ Catharinæ Poſtulator, qui minorem Cereum geſtavit, & Reverendiſſimus Fr. Cœleſtinus à Mediolano Ordinis S. Franciſci Minor. Obſerv. Procommiſſarius Generalis, qui Caniſtellum Turturum detulit (Socio ipſi dato Reverendiſſimo Fr. Deodato à Roma Reformatorum ejuſdem Ordinis Generali Procommiſſario) Pater Aldobrandinus Malvezzi Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Presbyter, & Abbas Marius Bolognetti. Demum Abbas Raynerius Aldrovandus, & Petrus Martelli Bononienſes.

Hujuſmodi autem fuit offerendi ritus. Servientibus Armorum, & Nobilibus Aulicis ad imum Solii Pontificii gradum deductis, conſiſtentibuſque, & relicto juxta ipſum in conſpectu Pontificis intervallo, lævorsùm, dextrorsùmque æquè partitis, ac in genua provolutis, DD. Cardinales de Abdua, & Albanus, exhibitâ ſimul ex eodem intervallo Sanctissimo Patri reverentiâ, ad ejus dexteram aſcenderunt. De Abdua ſurgentibus interim, & eum ſequentibus Aulicis Cereos deferentibus, prævio ipſorum Cereorum oſculo, eos reverenter obtulit Summo Pontifici dexteram illis admoventi manum, quam mox, genuque dexterum oſculatus, continuò reverſus eſt ad ſubſellia. Conſtitit Albanus Cereos omnes minores, & Caniſtella opportunè oblaturus pari modo, tanquam Canonizationis Procurator: Cæteri DD. Cardinales, Panes, & Doliola offerendo, quæ de Eminentiſſimis de Abdua, & Albano recenſuimus, prorſus obiere. Oblationum Portitores oſculati ſunt pedem Sanctitatis Suæ. Servientes Armorum primæ Oblationis, aliis ſuccedentibus, receſſerunt: Oblata per ſiniſtros Solii gradus apud menſas ordinatè cum iiſdem lineis mappulis reportata, Jacobo Manſueto Miniſtro ad id deputato tradita ſunt cuſtodienda.

Oblationibus ritè, & ordine peractis, Pontifex lotis manibus Miſſam celebrare perrexit, in qua unum prætereundum non cenſeo, ſcilicet, cur Summus Pontifex rem ſacram ſolenniter faciens in Solio communicet.

nicet. Ille namque consecratione jam peracta, cæterisque ad Missæ sacrificium pertinentibus expletis, Pace Episcopo Cardinali assistenti, qui eam aliis ex consuetudine distribuit, necnon duobus Cardinalibus Diaconis assistentibus impertita, ab iisdem associatus, ac ab assistentibus Prælatis, detecto capite ad Solium revertitur, ibique consistit, ac manibus junctis, vultuque ad reverentiam composito, stans, Eucharistiæ SACRAMENTUM expectat. Sanè tum Cardinalis Diaconus Minister Sacratissimam Hostiam in patena positam Populo reverenter ostendit; qua expleta cœremonia, eam ad sinistrum Pontificis latus deferendam, superposito aureo asterisco, nè à vento possit circumferri, Subdiacono dat Apostolico (olim (1) Archisubdiaconus dicebatur) in dextero Altari cornu in genua provoluto. Diaconus subinde Calicem cum Sanguine Populo itidem monstrat; eumque textili aureo coopertum ad dexterum Pontificis latus, incessu gravi, summoque Religionis sensu defert. Tum Sanctissimus Pontifex adlævam conversus, Subdiacono patenam tenente, integram Hostiæ medietatem, summa, qua decet, veneratione sumit; alteram verò medietatem in duas partes dividendam pro Diacono, & Subdiacono, super ipsam patenam relinquit: Deinde, brevi peracta tanti SACRAMENTI meditatione, ad dexteram conversus, Sanguinis partem aureo calamo (Antiquitùs (2) *Siphon*, seu *Pugillaris*; nostris temporibus *Fistula* appellatur) Diacono adhuc Calicem tenente, sugit perquàm reverenter; reliquum à Diacono, & Subdiacono cum Hostiæ particula jam in Calicem dimissa super Altari sumendum relinquit. Singularem hanc Summi Pontificis cœremoniam, quam impiorum dogmatum Magistri cæci, cæcorumque Duces, in superbiam vertunt ejusdem Summi Pontificis sibi ad Thronum deferri Christum permittentis, ad imitamentum fieri ipsius Christi consentiunt Scriptores eruditione, & omnium virtutum genere præstantissimi. Quia tamen illi diversimodè opinantur, non ambitione, non contentione discordes, sed mysterii significatione, idcirco debeo opiniones ponere singulorum. (3) Innocentius III. sic habet: *Romanus Pontifex ideo non communicat, ubi frangit, sed ad Altare frangit, & ad sedem communicat, quia Christus in Emmaus coram duobus Discipulis fregit, & in Hierusalem coram decem Apostolis manducavit. In Emmaus fregisse legitur, sed manducasse non legitur. In Hierusalem non legitur fregisse, sed legitur comedisse.*

Hujusmodi sententiæ adhærens (4) Guillelmus Durandus, alteram de ipso ritu subdit rationem, videlicet: *Sicut Sanctissimus Pontifex est Christi Vicarius, & Caput omnium, qui in Ecclesia degunt militanti, ita Christum Ecclesiæ Caput perfectiùs, ac sublimiùs repræsentans, ad sublimiorem locum communicare solet.*

Doctor Seraphicus D. Bonaventura in explicatione XXI. Psalmi Tom. 1. ritum à solo Papa per ævum custoditum contemplans, eum ad ipsius Christi Passionem coram omnibus in Sacratissima Crucis Ara consummatam refert, his verbis: *Christus in communi, & omnibus videntibus passus est; unde Papa, quando sumit Corpus Christi in Missa solenni, sumit omnibus videntibus; nam sedens* (5) *in Cathedra convertit se ad Populum*: (quàm mirabiliter Sanctus Doctor!) Sicut enim Christus Dominus panem, & vinum consecravit in Cœnaculo, deinde in conspectu totius Populi se ipsum offerens Deo Patri, Sacrificium consummavit in Calvario; ita Summus Pontifex ejus Vicarius super Altare, quod est Cœnaculi (6) figura, consecrat, & in sublimi Throno omnibus videntibus Communionem sumit, ad imitandum Christum in Monte Crucifixum.

Placuit Angelo Roccha Seraphici Doctoris sententia; verùm & suam addidit, videlicet, Summum Pontificem juxta præscriptum Cœrem. Rom. (7) stare in Solio capite inclinato, & ibi communicari, ut Christum Dominum in Triclinio cum Discipulis communicantem repræsentet, & quasi quemdam recumbendi modum adumbratim præseferens, Divinum sumat Eucharistiæ SACRAMENTUM: cui congruit illud D. Thomæ Aquinatis: *Quod in Cœna Christus gessit, faciendum hoc expressit in sui memoriam.*

Non defuerunt & alii ex recentioribus opinantes, quod per Augustissimum Altaris Sacrificium juxta prælaudati Angelici Doctoris (8) mentem, non solùm Christi Salvatoris nostri Cœna cum Apostolis novissimè cele-

[1] *Ord. Rom. c. 1. fol. 5. col. 1. relat. ab Hittorp. cum notis apud me M. S. eruditiss. Torrigii*: ibi: Decanus Subdiacon. *& Magr. in Hierolex. verb.* Archisubdiac. [2] *Idem Magr. in eod. Hierolex. verb.* Siphon. *ex Anast. Biblioth. & verb.* Pugillaris: *Item Ord. Rom. c. 1. fol. 5. col. 2. relat. ab Hittorp. cum iisdem Torrigii notis apud me*: ibi: Pugillaris: fistula argentea, quâ sugebatur Sanguis Christi. [3]. *Lib. 6. Myster. Miss.* [4] *In Rational. Div. Offic. lib. 4. c. 54.* [5] Hoc etiam permittit *Cœrem. Rom. lib. 2. sect. 2. c. 1.* Ibi: communione facta Papa surgit, si communicando sedebit. [6] *Gulielm. Durandus in Rational. lib. 1. c. 2. de Altari num. 16.* [7] *Lib. 2. sect. 1. cap. 14.* [8] *In Off. Corp. Christi.*

celebrata, sed etiam Sacratissima ipsius Passio in Ara Crucis consummata repræsentetur, ac recolatur utraque peracti Sacrificii ratio, tam incruenti scilicet, quàm cruenti; idcirco Romanus Pontifex unâ Missæ celebratione utrumque mysterium complectatur, & expressiùs insinuet: In Altari enim, veluti in Cœnaculo, Hostiam consecrando præstat primum; alterum, cùm in Solio, veluti in Calvario, Hostiam ipsam manducat. Ex his tamen omnibus Authorum sententiis, si mihi, quid sentiam, proferre fas est, illam præ reliquis Divi Bonaventuræ amplectendam reor.

Communione rite in Solio peracta, Summus Pontifex ad Altare remigravit, ibique rem Divinam perfecit; subinde Pallio, ac manipulo super Altari relictis, in Theatri Caveam descendit, seditque in sede gestatoria Regno exornatus. Tum Eminentissimus Albanus ejusdem Ecclesiæ Archipresbyter unà cum duobus Canonicis Sacrario Præfectis accessit ad Sanctitatem Suam, cui solitum obtulit Presbyterium, his verbis: Beatissime Pater, *Capitulum, & Canonici hujus Sacrosanctæ Basilicæ Sanctitati Vestræ consuetum offerunt Presbyterium pro Missa bene cantata*: & osculatus est Pontificis manum; Canonici verò pedem. *Presbyterium* est certæ pecuniæ erogatio, scilicet XXV. denariorum signo signatorum veterum Pontificum, qui aureo textili marsupio inclusi Pontifici, quoties in hac potissimùm Sacrosancta Basilica solenni ritu celebrat, peracto Sacrificio, ab Archipresbytero, & Canonicis, ut supra ex antiqua consuetudine offeruntur. Pontifex acceptum marsupium Diacono Euangelii tradit. Diaconus autem suo Caudatario elargiri solet.

Re tandem omni ritè peracta, Summus Antistes effusis in transitu ante Eucharistiæ Sacramentum adhuc publicæ venerationi expositum precibus, à Cardinalibus Cappâ indutis, ad Aulam Paramentorum deductus est, ibique Sacris exutus, omnes benedictionis signo dimisit.

Magnificam hujus diei gloriam, sanctamque lætitiam verbis efferat Christianus Orbis, & ingenii, operisque emulatione gloriosiorem, æternamque reddant Artes ingenuæ. Sit etiam, qui Possonium Hungaricum spectet hâc ipsâ die Coronationis in Hungariæ Regem Caroli Cæsaris celebratione illustratum: sit qui unà contempletur Romam, & Possonium. An non utrique accidit æquè læta, ac triumphalis hæc dies? Opus sanè, munusque Divinum, ut qui Apostolici nomen, & Jus præferendæ Crucis hæreditavit electus Ecclesiæ Advocatus; eâdem die Regiâ Coronâ Possonii donaretur, qua Christi in Terris Vicarius Romæ in Basilica Principis Apostolorum, quatuor in Cœlis novos Ecclesiæ Advocatos, & Defensores, splendidissima lumina sanctitatis, Orbi universo designavit, qua de re gratissimum fore putamus, si huic operi addantur literæ hinc & inde Cæsaris, & Pontificis, quibus alter de filiali erga Summum Pontificem obedientiâ, alter de Paterno in Cæsarem amore inter se certasse visi sunt. Habes illarum exemplar in exoptatæ publicæ tranquillitatis auspicium.

FORIS.

Beatissimo in Christo Patri Domino Clementi XI. Divinâ providentiâ Sanctæ Romanæ, ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Domino Reverendissimo.

INTUS.

Beatissime *in Christo* Pater *Domine Reverendissime. Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum; devoluto ad Nos post obitum Augustissimi Romanorum Imperatoris Josephi Fratris Nostri Charissimi æternùm colendæ memoriæ per hæreditariam Successionem Incly-to Hungariæ Regno unà cum annexis Regnis, Principatibus, & Provinciis Regium ejusdem Diadema rite suscipiendum constituimus, ac hodiernâ die* SS. Trinitati *Sacrâ summo omnium Ordinum, & Subditorum applausu solenniter suscepimus: Quod, ut Sanctitati Vestræ quantociùs annuntiemus, exigit filialis, quam eidem Nos debere profitemur, observantia, quoad vixerimus, duratura; atque ut tanti momenti negotium in Reipublicæ Christianæ perpetuum incrementum cedat, ab Omnipotente Deo Divinum auxilium, & à Sanctitate Vestra Pontificiam benedictionem enixè precamur, eandemque in militantis Ecclesiæ solatium diù sospitem, ac incolumen esse cupimus. Datum in Urbe nostra Regia Possonii die vigesima secunda mensis Maji Anno Domini millesimo septingentesimo duodecimo, Regnorum nostrorum, Romani primo, Hispanicorum nono, Hungarici, & Bohemici verò secundo.*

Charis-

Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Carolo Hiſpaniarum Catholico, necnon Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri in Romanorum Imperatorem electo.

CLEMENS PP. XI.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem &c. Summo cum animi gaudio percepimus eâ ipſâ die, nimirum die SS. Trinitati ſacrâ, qua Nos nova Catholicæ Eccleſiæ præſidia è Cœlo quæſituri, quatuor ſplendidiſſima lumina ſanctitatis, hoc eſt: Pium V. Pontificem, Andream Avellinum, & Felicem à Cantalicio Confeſſores, ac Catharinam de Bononia Virginem ſolenni ritu Sanctorum faſtis adſcripſimus: Majeſtatem quoque Tuam inclyti Hungariæ Regni Regalem Coronam more Majorum, plaudente omnium Ordinum, Subditorumque cœtu, ac exultante Religione, ſuſcepiſſe. Nec ſanè abſque Divinæ providentiæ conſilio factum arbitramur, ut eadem dies huic Sanctæ Sedi æquè, ac Regio Hungariæ Throno læta adeò, & triumphalis acciderit; ut ſcilicet qui ſpeciali, arctoque nexu ab antiquis temporibus inter ſe conjuncti ſunt, pari quoque ſucceſſuum felicitate conjungerentur; quandoquidem, ſicuti vetera tum ſacræ, tum prophanæ Hiſtoriæ monumenta teſtantur, qui primus in Hungariam Chriſti fidem, & Regium nomen invexit Sanctus Rex Stephanus Regiâ Coronâ à Romano Pontifice impetratâ, ejuſque juſſu in Regem inunctus, Regnum ipſum Apoſtolicę Sedi humiliter obtulit. Eo itaque peculiari, præter alia plurima, nomine fauſtum hunc eventum Majeſtati Tuæ effusè, ac prorſus ex animo gratulamur, & de eximia, avitaque pietate tua Nobis grandia quæque polliciti, magnam in ſpem adducimur fore ut, quæ intrà ejuſdem Regni fines, qua Hæreticorum dolis afflicta, qua Turcarum oppreſſa jugo jacet, & ſervit Catholica fides, dexteræ tuæ potentiâ aliquando ſublevetur, ac Te vindice captiva filia ſolvat vincula colli ſui. Hoc à Te flagitant, Chariſſime in Chriſto Fili noſter, pia monita, quæ per Sacerdotale miniſterium in ipſo inaugurationis actu Tibi Eccleſia denuntiavit. Hoc debes auſpiciis, quibus eidem inaugurationi tuæ plaudit Chriſtiana Reſpublica. Hoc à Te præſtolantur clariſſimis Majorum tuorum exemplis conſona bonorum omnium vota. Hanc demùm à Te poſtulat vicem, qui Te tot, tantiſque muneribus extulit, quique interrogabit opera Regum, & cogitationes ſcrutabitur. Nos interea Thronum ejuſdem Regis Regum humilibus, enixiſque precibus adire non omittemus, ut de theſauris ſuis abundantiùs largiri Tibi dignetur ſpiritum conſilii, & fortitudinis, ſpiritum ſapientiæ, & intellectus, quatenus ea omnia, quæ Divini ſui nominis gloriam, ſanctæque fidei, & Eccleſiæ incrementa reſpiciunt, animo concipere, ac re ipſâ exequi ſtrenuè poſſis. Et Majeſtati Tuæ Apoſtolicam benedictionem cum perpetuo felicitatis Tuæ voto conjunctam amantiſſimè impertimur. Dat. Romæ &c. die 13. Julii 1712. &c.

J. C. Battellus.

Cùmque Deo, ſicut creditur, ita diſponente contigerit, ut eo ipſo die, quo memorati Sancti triumphalem in Terris Coronam (1) acceperunt de conſummatione virtutis, Auguſtiſſimus idem Cæſar Regiâ Hungariæ Coronâ donatus ſit, eam ſibi ſpem ingeri Chriſtiana Reſpublica experiatur, fore ut illi quidem de Cœlis, ubi cum Chriſto regnant; hìc autem in Terris, ubi inter Chriſtianos Principes ſublimiorem obtinet locum, Catholicam Religionem tot, tantiſque ærumnis afflictam ſtrenuè protegant, ac tueantur.

Reſtat, ut ingentes Deo Optimo Maximo gratias habeamus, qui nobis hiſce turbulentis temporibus, tantos apud ipſum dedit Interceſſores; Reſtat, ut & debitas referamus Summo Pontifici, qui eoſdem nobis monſtravit ſupra cœleſtes Orbes evectos, facie ad faciem bonorum omnium Auctorem Deum contemplari, illis opitulaturos, qui in eorum fidem confugiunt, & clientelam. Reſtat, ut ſicut olim Dominus, (2) Patriarcharum nomina ad pectus inſcripta perpetuò Summis Sacerdotibus geſtanda præceperat, ita nobis non tantùm Sacerdotibus, ſed omnibus, qui Chriſtianæ militiæ nomen dedimus, id ipſum imitandum proponamus, tantorum videlicet cœleſtis Patriæ Civium virtutes, & geſta perpetuò geramus in corde.

Ita enim illud nobis profectò eveniet, quod magnus ille (3) Gregorius Romanus Pontifex, inquit, *Adſcriptos Patres in pectore ſemper ferre, eſt Antiquorum vitam ſinè intermiſſione cogitare, nam tunc Sacerdos ſinè querela vivit, cùm exempla Patrum præcedentium intuetur, ac Sanctorum veſtigia ſinè ceſſatione conſiderat*: vel ut ſcriptum reliquit (4) Divus Baſilius: *Sicut ex igne ſuapte natura emicat ſplendor; ſicut ex unguento præſtanti ſuavis diffunditur odor, ita è Sanctorum commemoratione geſtorum ad omnes provenit emolumentum.*

ORNA-

[1] *Cypr. l.2. ep.6.* [2] *Exod. 28.* [3] *S. Greg. l.1. ep.24. & Paſtoral. par. 2. cap. 2.* [4] *S. Baſil. in orat. S. Gordiani.*

ORNATUS ECCLESIÆ
DESCRIPTIO.



Agnificentissimi, totoque jam Terrarum Orbe celeberrimi Vaticani Templi frons ex solido lapide Tyburtino, tum etiam universus ejusdem externus murorum ambitus, quæque illi ad augendam venustatem accedunt, perampli marmorei gradus, & latissima Area ingenti quadrigemino Peristylio cum Sanctorum Simulacris in vertice collocatis, ac binis uberrimis aquæ salientis fontibus, quorum in medio miræ altitudinis ex Ægyptio marmore Obeliscus erigitur, exornata, eam undique præseferunt majestatem, ut intuentium, & maximè Advenarum oculi tot pulcherrimarum rerum specie, varietate, ac splendore non leviter perstringantur, iisque identidem evenire soleat id, quod olim Constantio Cæsari Trajani Forum hac ipsa in Urbe spectanti contigisse traditur, de quo (1) Amianus Marcellinus hæc ait: *Cùm ad Forum Trajani venisset, singularem sub omni Cœlo structuram, ut opinamur, etiam Numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos*; Verumtamen ad reddendam Canonizationis pompam magìs etiam, magìsque splendidam, & augustam, ejusdem Templi facies, novo, speciosoque aucta fuit ornamento, cujus compendiariam descriptionem aggredimur.

Supra fastigium medii ex quinque amplissimis Ostiis, quæ ferreis munita Cancellis in magnam Templi Porticum transmittunt, ingens spectabatur instar Numismatis suspensa Tabula, quæ Canonizandos in cœlestem Patriam migrantes, effundente super eos Paracleto Spiritu lucis suæ radios, auro subobscurè illuminata referebat, illiusque coronidem multo illatam auro, Summi Pontificis, & Postulatorum Insignibus ex ea pendentibus, geminæ Angelorum effigies excipiebant, sustinebantque.

Reliqua autem quatuor minora Ostia, totidem ex æquo minores tabulas Canonizandorum gloriam aptissimâ Lemmatum varietate indicantes præseferebant; quarum geminæ Ostio principi proximiores, supernè ornabantur alatis Cherubinorum Capitibus, encarpis utrinque concinnè defluentibus; cæteræ ab alatis Angelis ferebantur, quarum Lemmata hinc: *Domine spes Sanctorum, & Turris fortitudinis eorum*: *Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum, & habitabunt in Tabernaculo tuo in secula*: Illinc: *Admirabile est nomen tuum Domine, quia gloriâ, & honore coronasti Sanctos tuos, & constituisti eos super opera manuum tuarum.*

Illarum verò, à dextris ingredientium: *Sapientiam Sanctorum narrent Populi, & laudes eorum nunciet Ecclesia*: *Eccles.* 44.

A sinistris.

Sancti tui Domine benedicent te, gloriam Regni tui dicent: *Psalm.* 144.

Velaverant simul, atque undique ornaverant amplissimam Porticum à scapis usque deorsum, mira discretione atrebatica peristromata, sub admirabili Raphaelis Urbinatis graphide, auro, argentove contexta; sumptuosissimæ Culcitræ; & Holosericum Damascenum rubrum, tæniis aureis per suturas decurrentibus interstinctum. Templum ingredientibus, continuò, ultra B. Petri Confessionem, sese conspiciendam exhibebat magnificentissimi Canonizationis Theatri machina.

Porrò Theatrum Canonizationis in conspectu majoris Aræ ad Orientem constructæ, inter utramque ingentem magni Hemisphærii pilam, versùs Absidem Principem, longè protensum, turbinati pyri speciem repræsentans, ab Ecclesiæ marmoreo pavimento sensim elevabatur. Quadrigemini gradus altitudine palmari, duplâque latitudine flexuosam formam tenentes in medio, ac in rectam desinentes, in amplam, latamque undequaque aream præbebant ascensum. Porrò in hujus areæ medio, adversâ Arâ, Thronus Pontificius septem undique gradibus elatus conspiciebatur: utrinque ad recensitas pilas triplex subselliorum ordo perpetuus, unus post alium, & alter altero sublimior, omnesque unà turbinatè versùs Solium protendebantur: Horum primus, Solioque proximior, ex areæ planitie, gemino, perpetuoque gradu scandebatur, ad Sacri Senatus sessionem constructus

(1) *lib.* 16. *num.* 25.

Ornatus exterioris ... Basilicae Vaticanae pro solenni quatuor Sanctorum Canonizatione à SS. D. N. CLEMENTE XI celebratâ et praecipuae Processionis partis delineatio

3. Clerici Cameræ
4. Auditores Rotæ cum Magistro Sac. Pal.
5. Acolythi cum candelabris
6. Subdiac. cum cruce
8. Abbates
12. Card.les Episc.
14. Conservatores
16. Gubernator Vrbis insimul.
18. Papa sub Baldacchino à Referendarijs delato
20. Protonotarij Ap.lici
21. Generales Ordinum

li
ar
in
&
bi
q
p
ea
in
tc
te
iif
ol
ip
dc
Ci
fu
N
ni
m
ta
da
m:
dc
&
de

pl
lis
tu
fu
le
cc
fu
co
tif
pe
ex

to
za

ſtructus. Ad alterum in uſum Prælatorum non Aſſiſtentium, & Abbatum, atque ad poſtremum hinc Pœnitentiariorum Baſilicæ; illinc ab Urbis Gubernatore, Protonotariorum Apoſtolicorum Participantium, Auditoris Contradictarum, Correctoris Literarum Apoſtolicarum, Præſidis Plumbi, & Præceptoris Archioſpitalis Sancti Spiritus in Saxia, necnon Generalium Miniſtrorum, & Procuratorum quinque Ordinum Mendicantium, per geminos gradus lateralis patebat aſcenſus. Hos inter, & ingentes Hemiſphærii pilas, cratibus ligneis perpetuis, veluti tranſennis ſuperpoſitis, munitæ conſurgebant contignationes, quæ in Legatorum novi Cæſaris, & Regis Luſitani, Marchionis ſcilicet de Priè, & Marchionis de Fontes, qui nondum hoc idem munus apud Sanctitatem Suam publicè profitebantur; necnon Nepotum Papæ, ejuſque Fratriæ, & nobiliſſimarum Matronarum gratiam conſtructæ, à Pontificio Solio uſque ad maximum tranſverſum Pronaum, grandia Veronicæ, & Helenæ tegentes loculamenta, continuabant. In ipſa adhuc Theatri area, juxta Veronicæ loculamentum, trium graduum altitudinis parvum Pontificis Solium cernebatur; & è regione illius Oblationum menſæ, ibique ſuper, & juxta areæ gradus, Abaci omnes, quos Summi Antiſtitis cantaturi Sacrum repoſcit.

Anteriorem Theatri partem ab una ad alteram magni Hemiſphærii pilam, per tranſverſum Pronaum, mediumque, ubi æneum Beati Petri ſimulacrum, amplo ibi relicto ad tranſitum intervallo, vallabant ex productis ſuper fulcris in longum trabibus repagula. Intrà eadem duplex erat à Theatri gradibus ex aſſeribus in utroque Beati Petri Confeſſionis latere ſepimentum, valvis ubique munitum, vectibuſque ferreis, tigilliſque obfirmatum, atque ita diviſum, ut quælibet Religioſa illius Ordinis, quem profeſſi fuerant Canonizandi, Familia ſeorſim, juxta gradus Theatri, locum ad ſacram Actionem proſpiciendam obtineret: à tergo autem earundem Familiarum Viri nobiles advenæ: cæteri intrà primum repagulum; & extra Populus: amplâ hinc, atque illinc juxta venerandam Beati Petri Confeſſionem relictâ ad Theatrum viâ.

Poſteriorem præalta aſſerum ſtructura, veluti ligneus paries, cuſtodiebat, ubi ad exitum oſtia duo ſeris munita: totidem forinſecus in utroque latere, ubi gradus ad aſcenſum in contignationes; atque intùs in Solii parte poſtica, ad opportunum, temporaneumque Pontificis receſſum, parvum Cubiculum ab hominum turba, aſpectuque remotum.

Geminæ adhuc contignationes juxta gemina Divorum Andreæ, & Longini loculamenta, aliis nobilitate loci, ac ſtructurâ haud impares, cernebantur, quibus infernè pro honeſtis, civilibuſque fœminis geminæ ſinè cratibus contabulationes jungebantur, loricâ ex aſſeribus, valvuliſque munitæ: poſtremò his proximæ, haud tamen junctæ, neque ejuſdem ſymetriæ, viſebantur geminæ contignationes, Eminentiſſimi Cardinalis Albani Baſilicæ Archipresbyteri impenſâ conſtructæ, ad Capituli, Clerique Baſilicæ commoditatem.

Sanè ſuper univerſam Theatri machinam ab editiſſima ſub fornice pilarum corona pendebat ampliſſimum velum ex textili Damaſceno, laciniis, & lemniſcis labentibus magnificè fimbriatum.

Caveam, gradus, totamque Theatri aream, ac Prælatorum ſubſellia cooperiebat textum laneum viride: Aream, & gradus utriuſque Solii par textum rubrum. Cardinalium ſubſellia atrebaticis tegebantur Tapetibus: uterque Thronus Pontificius Attalicis Aulæis.

Porrò Princeps Thronus Pontificius, quo non alius ubivis, aut ſplendidior ornatu, aut magnificentior opere, aut majeſtate auguſtior, ſub aureo pendente cœlo, culcitræ molliter decidenti hærebat: Tractus laterum integer, & ſupra cœlum ex anaglyptico opere magnificentiam augebat; ſiquidem, ubi cœli culcitra in imo deſinebat, in ſublime procurrebant magni Calices ab Architectis vulgò *Guſcioni* appellati, quorum ſupercilium expanſis velabant alis Cherubini, venuſtiſſimis encarpis infra per Calices ipſos, eorumque reflexos margines defluentibus. Cœlum ſuſtentabat parva, veluti epiſtylium, corona grandiori ſubjecta, zophoro inter utrumque multâ auri vi, & egregiis cælaturis decurrente, variiſque permixtarum frondium, palmarum, & florum luſibus, nexibus, atque mæandris. Porrò ſuper ipſa grandiori corona, geminâ elatum famâ, quatuor Beatos Viros Sanctorum numero adſcribendos referens, ovatum cernebatur grande numiſma, & in ejus faſtigio inter nubes alati Cherubinorum vultus.

Utrumque latus gemina tuebantur Eccleſiæ, & Juſtitiæ ſimulacra integræ eminentiæ, inaurata, auratiſque veſtibus expreſſa. Emicabant hæc ſuper firmis, grandibuſque geminatis ſtylobatis, & ſoleis ex vario ementito vetuſto marmore; uni enim quadratæ

dratæ soleæ altera superinducta conspiciebatur, stylobata stylobatæ. Ima solea Lacedæmonii marmoris [quod *viride antiquum* vocant] colores referebat, alterâ Crocini veteris maculosas venas assimilante. Stylobatæ primi itidem quadrati facies *Portæ sanctæ* ementito marmore Summi Pontificis Insigne excipiebat, venustissimo encarpo tæniis alligato per latera decurrente: alter, supremusque multâ auri vi undique illuminatus aureum fulciebat Simulacrum cymatiis miræ concinnitatis coronatus.

Ejusmodi erat magnificentissimi Throni facies, quæ, servata in utroque latere debita humiliori proportione, quinquagintaquinque palmorum sublimitatem æquabat in medio; universam latitudinem trigintasex.

Cæterùm recensitis Simulacrorum stylobatis scitè cohærebant craticulatæ contignationes, quarum, quæ Solio appositiores, in Summi Pontificis reverentiam, nemini ad prospiciendum datæ; omnes tamen unà luteis coloribus, auroque micanti subobscurè illuminatę continenter procurrebant, subjectis utrinque Prælatorum subselliis; & ubi hæc deficiebant, Atrebaticis Aulæis zonâ ex serico Damasceno rubro tæniis, fimbriisque aureis discriminatâ, supra recurrente lignea, perpetuaque lorica confictis anaglyphis distincta, & cratibus coronatâ per discreta intervalla parvis illustri cælaturâ exornatis intersecabatur parastadibus, quarum projecturas alati Cherubinorum vultus ornabant, encarpis eleganti flexu infrà decidentibus.

Transennarum verò super continenter procurrentem coronam per discreta spatia integræ eminentiæ, multoque illita auro, spectabantur nexus Puerorum manu elatas Stellas gestantium, & radiata Summi Pontificis Regna, palmarum ramusculis, conchyliisque venustè, discretèque interjectis; atque intermediæ juxta infera pilarum Hemisphęrii loculamenta præfixę eminebant hinc, & inde prægrandes ovatæ Tesseræ, quæ intercinctæ aureâ coronide alatis Cherubinorum capitibus superfulgente, totidem adumbrabant symbola virtutis, & gloriæ Canonizandorum; Prima, scilicet, Lilium cum lemmate: ***Florebunt sicut Lilium***: Altera exorientem Solem cum lemmate: ***Fulgebunt sicut Sol***.

Extremam contignationum, & alarum Theatri partem, quæ in transversum Pronaum obliquabat, aureis affabrè subjectis quadratis stylobatis, mirâ juxta pilarum stereobatas concinnitate muniebant ex integro anaglypho binæ inauratæ Statuæ binas Virtutes, hinc Fidem, illinc Spem, referentes.


Purpureus undique tæniis aureis per suturas à sũmo pilarum usque deorsum decurrentibus ex textili Damasceno rubro decidens amictus, per discreta spatia picturatis Insignium, Virtutumque tabulis, laciniatis sericis, prægrandibus numismatibus, & polylychnis pensilibus variatus, patentia Templi latera, & perpetuum, latumque zophorum contegebat. Sexdecim Scutariæ Tesseræ Civitatis Bononiæ, & trium Religiosarum Familiarum Canonizationem postulantium, auro subobscurè illuminatæ, septem scilicet alatæ peltis, involucris, & encarpis utrinque interjectis, totidemque palmis, liliisque præcinctæ super procerâ arcus cujusque fornicis summâ in speciem mutuli compactione ritè, & ordine collocatæ spectabantur, geminis aliis, præ loci angustia contracto margine contentis in interioris Templi fronte super lateralium fenestrarum fastigio distributis.

Porrò quot Insignia, tot non usitatæ magnitudinis numerabantur numismata Canonizandorum signa aptissimâ varietate indicantia, multoque illito auro spectabilia, quorum quatuordecim, quæ Templi latera discriminabant, ab ipsa anterioris arcus fornicis summâ compactione, inter laciniosa usque ad incumbas fornicis geminatim decidentia utrinque miræ concinnitatis vela serica, aureis tæniolis interstincta, ac fimbriata pendebant, subjecto alato Angelo, qui tabulam cum Epigraphe miraculum in numismate auro subobscurè expressum referente eleganti volatu gestabat. Ubi verò super prominentem fornicis incumbam recensita serica vela mutuis nexibus in Rosarum speciem excipiebantur, reste, tæniis, & lemniscis demissi pendebant: Utrinque gemini grandes turbinati polylychni subobscurè pariter auro depicti, qui sexdecim brachiolis totidem cereos funales sexilibres flagrantes discretè, & ordine portantibus, quadrigeminis ex integro anaglypho argenteis Cherubinorum capitibus per æqua intervalla intromissis, encarpos lemniscatos scitè utrinque defluentes argento itidem simulante, numismata ipsa, Templumque venustissimè illustrabant.

Numismatibus verò Canonizandorum miracula, quo sequuntur ordine ab ingredientium dextera, inde à sinistra desumpto, ad vivum referebantur.

Primum numisma ante Christi Cruci affixi Sacellum. Subita truncati pedis restitutio cum Epigraphe.

Trun-



Theatrum ... Felicis a ... Catherinæ ... à SSmo D.N. CLEMENTE PP. XI. an. 1712. celebrata

Truncatum uni ex sororibus in Horto pedem, Catharina signum Crucis impertiens, integrum, sanumque restituit.

Secundum. Angelus B. Felicis gerens vices, cum Epigraphe.

Felix ut Sacro intersit, Aratrum relinquit, Angelo interim Boves dirigente.

Tertium. Actus super naturam infantium, cum Epigraphe.

Sponte, sæpiùsque, domesticis demirantibus, Cruce se signat Infans Andreas.

Quartum. Repentinus sanguinis mador in pulvere, cum Epigraphe.

Poloniæ Legato Martyrum Reliquias quærenti pulverem Pius ex publica via tradit repentino cruore madentem.

Quintum. Jesus Catharinæ cœlestes geminas sedes indigitat, cum Epigraphe.

Duas in Cœlo sedes Catharinæ Jesus ostendens, alteram ex his nobiliorem ipsi Bononiensi Virgini paratam declarat.

Sextum. D. Andreas splendore circumfusus, cum Epigraphe.

Molientes Andreæ necem ob Sacrarum Virginum custodiam ejus perterriti splendore constiterunt.

Septimum. Defuncti Pueri resurrectio, cum Epigraphe.

Puerum exanimem Andreas exoratus ad vitam revocat.

Octavum Ante Fontis Baptismalis Sacellum. Jesus apparet Catharinæ cum Angelo concinente, cum Epigraphe.

Catharinam Jesus amabili sui specie delectat unà cum Angelo ea modulante: ET GLORIA EJUS IN TE VIDEBITUR.

Nonum. Deipara Puerum Jesum in ulnis Felicis deponit, cum Epigraphe.

Felici oranti exhibet Deipara Puerum Jesum, quo inter ulnas excepto, cœlesti gaudio superfunditur.

Decimum. Andreas ab imbre minimè madefactus, cum Epigraphe.

Obscura, & pluvia nocte iter agens coruscat non madefactus cum Sociis Andreas.

Undecimum. E Mulieris corpore Dæmonis ejectio, cum Epigraphe.

Mulierem à Dæmone vexatam Pius Crucis signo extemplò liberat.

Duodecimum. De instituenda Religiosa Familia consultatio, cum Epigraphe.

Dei Spiritu plenus Felix à Sancto Carolo cum Sancto Philippo Nerio pro instituenda Oblatorum Congregatione consulitur.

Decimumtertium. Ignis Pii Imaginem non comburit, cum Epigraphe.

Inter furentes flammas quæque absumentes Pii Imago illæsa servatur.

Decimumquartum. Ad Echinadas navalis pugna, cum Epigraphe.

Christianæ Classis de Turca victoriam revelatione cognitam Pius prænuntiat.

Reliqua duo cæteris simillima super laterales interioris frontis Templi Portas collocata sequentibus signis emicabant.

Primum. Deiparæ Apparitio tradentis Infantem Jesum in amplexum Catharinæ, cum Epigraphe.

Natali Filii sui nocte spectandam se præbens Maria, parvulum Jesum Catharinæ offert amplexibus.

Alterum. Defuncti Pueri ad vitam revocatio, cum Epigraphe.

Puerum à matre oppressum Felix ad vitam revocatum eidem reddit.

Superiora per omnem Templi amplitudinem loculamenta omnino viginti totidem monstrabant Insignia Pontificia, auro, luteisque coloribus subobscurè illuminata, quorum quatuor tergeminos Montes, & Stellam, fasciamque interjectam exprimebant: reliqua sexdecim Scutarii Syderis loco radiantia Summi Pontificis Regna magnificè proferebant; illa in angustioribus, ista in latioribus loculamentis collocata.

Excipiebant inferiora maximi Pronai loculamenta Tabulas octo, Canonizandorum virtutum Simulacra subobscurè referentes, hinc Orationem, Humilitatem, Charitatem, & Justitiam super fulgentem Divi Petri antiquissimam Statuam: illinc Castitatem, Paupertatem, Pœnitentiam, & Religionem.

Præterea in transverso Pronao super quatuor loculamenta Pilarum Hemisphærii prægrandes emicabant integræ eminentiæ Canonizandorum Statuæ ex vero expressæ: Prima ad dexteram Theatri Beatum Pium; ad lævam altera Beatum Andream; & ex adverso tertia, & quarta Beatum Felicem, & Beatam Catharinam indicabant.

Ex reliquis quatuor proximis loculamentis sub Hemicyclis Sacellorum SS. Simonis, & Judæ, ac SS. Processi, & Martiniani, unum à dextris Theatri occupabat vetustum ex marmore Divi Andreæ Apostoli Simulacrum: tria verò exornabant Tabulæ multo illito auro spectabiles aliarum Beatorum virtutum Simulacra subobscurè indicantes; Obedientiam scilicet, Constantiam, Perseverantiam.

Milleni, & ultra per discreta Templi spatia flagrabant cerei funales quadrilibres, sexilibres, & octolibres præter grandiores picturatos quadrigeminos Confessionem B. Petri innumeris lampadibus perpetuò ar-

dentibus illustratam circumsepientes. Centum supra duodecim in Ecclesiæ superioribus Aris super grandia ænea Candelabra collucebant: Septem super aurea signata, & emblematibus insertis, extantibusque figurata, statis in locis Aræ maximæ, auro, argentove variis coloribus arabicè picti; totidemque in Abaco æquè similes per Acolythos Apost. comportandi. Octoginta omnino per orbem coronæ Hemisphærii numerabantur, subjectis lychnuchis luteo colore subobscurè depictis, & altitudinis varietate spectabilibus. Summum super editissimis fornicibus continenter procurrentis maximæ coronæ spatium biscentum, & quadragintaduos discretè regebat, in intestina scilicet valvarum majorum fronte, & super gyrum ingentium Hemisphærii Pilarum, & trium majorum Templi Absidarum distributos. Centum viginti, & unum fulciebant procurrentes super Epistylia, majorum valvarum, & transversi Pronai Altarium coronæ. Trigintaduo ante appensa Canonizandorum vexilla in quadrigeminis sub Hemisphærio podiis collucebant. Duos supra quadringentos regebant prægrandes, spectabilesque polylychni omnino vigintisex, quorum duo minores ab antica fixæ umbellæ supra æneam Beatissimi Apostolorum Principis Statuam recensitæ Tabulæ simulacrum adumbrantis Justitiæ subjectam, reste sericis, aureisque tæniolis, ac lemniscatis nexibus circumscripto, venustè dependebant.

Porro Statua illa cœlestis Clavigeri, sedentis speciem, benedicentis, pedemque ad oscula præbentis repræsentans, toto Orbe celeberrima, quam submisso capite, & osculis adorat Gens universa, in tam illustris dici, actionisque argumentum, Ependyte (*Pluviale vocant*) Attalico super albam gemmâ in pectore conserto, ac Mitrâ pretiosè segmentatâ fuerat appositè amicta. Ea est, quam conterendam (1) Gregorio II. Summo Pontifici comminatus est Leo Isauricus infensissimus, atque perpetuus sacrarum Imaginum hostis; quam (2) Cæsar Cardinalis Baronius tanti habuit, ut dum quotidie Vaticanam Basilicam inviseret, Caput pedibus illius humiliter subjiceret, eosdemque devotissimè oscularetur, tacitè dicens: *Pax*, *& obedientia*. *Credo unam Sanctam Catholicam*, *& Apostolicam Ecclesiam Romanam*: quam (3) tandem autumant aliqui à Leone Magno post suum in Urbem reditum ab Attilæ occursu ex contriti Capitolini Jovis ære conflatam in æternum accepti beneficii monumentum.

Centum denique trigintaquatuor cerei in medio Templi gremio ante septem enunciatas Tabulas Virtutum simulacra indicantes, & ante ipsas Beatorum Statuas ita scitè distributi cernebantur, ut quælibet Tabula, Statuaque latè diffuso splendore æquè suos haberet circumstantes cereos super mensam ad instar coronæ compactos. Porrò mensa illa soleæ loculamentorum præfixa, suppositis mutulis firmata, lychnuchos in gyrum sustentabat, aureoque Thymiamabulo (*vulgo Profumiera*) fumigante in medio ejusdem composito, mirè reliquo ornatui non modò congruebat, verùm etiam novo invento, maximum universo apparatui splendoris, & magnificentiæ afferebat additamentum.

BRE

[1] *Severan. de septem Urbis Ecclesiis.* [2] *Ciacon. in vit. B. Petri.* [3] *Torrig. Grot. Vatic. pag.* 126. *Ciamp. de Sac. ædif. Maph. Veg. lib.* 4. *antiq. Basil. & m. s. Archiv. Basil. Vatican.*

BREVIS NARRATIO

Omnium, quæ pro ſolenni hac quatuor Sanctorum Canonizatione præparata fuerunt, ad aliorum futuris temporibus Poſtulatorum inſtructionem.

Pro Altari S. Petri ad Orientem poſito, duplicem frontem habente.

BIna Frontalia æquè ex auro, acu perquàm affabrè elaborata.

Linteum unum, ſeu mappa ſuperior linea ſubtiliſſima, aureis pinis interſepta, & circumornata.

Alia tria lintea munda ad Aram inſternendam.

Sacræ Veſtes celebrante Summo Pontifice, quæ lineæ, erant pinis ſubtiliſſimis exornatæ; quæ ſericeæ, phrygio opere elaboratæ, auro, vel argento contextæ.

SOleæ, & Caligæ. Amictus. Alba. Cingulum. Succinctorium. Fanon. Stola. Dalmatica. Tunicula. Chirothecæ. Planeta, ſeu Penula. Mitra gemmata. Gremiale. Ependytes magnus, [*Mantum vocamus.*] Stola altera. Binæ myſticæ Sindones, ideſt Corporalia. Binæ pallæ, Calicis tegumenta. Bis duo Strophiola, vulgò *Purificatori.* Bis duo Sudariola, pinulis lineis per oras exornata. Duo de quinquaginta Mantilia ad Oblationes ferendas. Manutergia ſex tenuiſſimi fili.

Alter Ependytes pro Card. Epiſcopo Aſſiſtente.

Amictus, Alba, Cingulum, Dalmatica, Stola, & Manipulus pro Card. Diacono Euangelii.

Amictus, Alba, Cingulum, Tunicula, & Manipulus pro Subdiacono.

Amicti duo, Albæ duæ, Cingula duo, Dalmatica, & Tunicula pro Diacono, & Subdiacono Græcis. Stola, & duo Manipuli pro iiſdem.

Velum humerale pro Subdiacono.

Velum humerale pro Sacrarii Apoſtolici Præfecto.

Velum ex filo argenteo, pinis aureis circumornato, pro Oratore, ſeu Principe aquam manibus Papæ miniſtraturo.

Linteamen prægrande lineum ſubtile ad operiendum lectum Paramentorum.

Grande oblongum ſericum ſtragulum phrygio opere laboratum ad cooperienda ſacra Pontificis indumenta ſuper lectum Paramentorum diſpoſita.

Ampla theca myſticæ Sindonis [vulgò *Corporale*] ſimili opere confecta.

Peramplum velū ſimile ad ipſam thecam cooperiendam, quæ Calici ſuperponitur.

Sericum Plutei anagnoſtici, vulgò *Legile*, ad decantandum Euangelium tum Latinum, tum Græcum parati, non abſimilis operis integumentum.

Sex ſacrorum Librorum ſimilia tegumenta, totidemque ſericeæ ligulæ, ea quæ legi debent, ſignantes.

Cœremoniale Canonizationis, & Myſteriorum Liber.

Undecim parva vela pro miniſtrandis indumentis Pontificiis, pinulis aureis circumornata.

Pectorale lineum aureis venis interſertum, pinulis, reſtibuſque aureis per oras decoratum pro Subdiacono Latino.

Bis duo linteamina, quibus inſternendæ Oblationum menſæ.

Totidem ad inſternendas menſas Abacorum

Velum ſericum album translucidum ad Oblationes cooperiendas.

Ampla Pulvinaria duo Phrygionica cum aureis lemniſcis pro ſubgenuale Summi Pontificis.

Alia tria minora pro Altari, & ſcabello luminis [*Lanternam vocamus*] cum tegumento ſimili ſerico.

De Cereis majoribus, & minoribus pro Supplicatione, ſolenni Oblatione, Altaribus, Candelabris, elevatione Hoſtiæ in Miſſa, aliiſque ſuper Confeſſionem Apoſtolorum, ſupra Templi coronam, alibique diſpoſitis, cæteriſque Clero ſinè numero diſtributis, ſupra egimus ſatìs; ſicuti etiam de Panibus, Doliolis, & Caveis, aliiſque ad tantam ſolennitatem neceſſariis. Hæc enim omnia à Canonizationis Poſtulatoribus ſunt paranda ſub diſciplina Cœremoniariorum Pontificiorum, & imperio alicujus Perſonæ auctoritate præditæ, quæ in Canonizatione S. Didaci ſub Sixto PP. V. fuit, & quidem laudabiliter, unus ex S. R. E. Cardinalibus.

NARRATIO

Festivitatum post Solennia Canonizationis.

EXactis SS. Pii V. Summi Pontificis, Andreæ Avellini, Felicis à Cantalicio, & Catharinæ de Bononia Canonizationis Solenniis, ut Populorum devotioni fieret satis, & ad augendam erga eosdem Sanctos per Orbem venerationem, ac etiam ad earum, quæ in illis coruscarunt, assequendarum virtutum incitamentum, Sanctissimus Dominus Noster Indulgentiarum sacris eorum æneis Imaginibus applicandarum Formam imprimi mandavit, quæ est hujusmodi.

INDULGENZE,

Che la Santità di Nost. Sig. CLEMENTE Papa XI. concede alle Corone, Rosarj, Immagini, Croci, e Medaglie benedette in occasione della Canonizazione de' Santi Pio V. Sommo Pontefice, Andrea Avellino, e Felice da Cantalice Confessori, e di Santa Caterina da Bologna Vergine.

CHi sarà solito dire, una volta almeno la settimana, la Corona del Signore, o della Beatissima Vergine, o il Rosario, o la sua terza parte, o l' Officio Divino, o picciolo della Madonna, o de' Morti, ovvero i Sette Salmi Penitenziali, o Graduali, o pure avrà il costume d'insegnare la Dottrina Cristiana, o di visitare i Carcerati, o gl'Infermi di qualche Spedale, o di sovvenire i Poveri, o d'intervenire alla Messa, o dirla, essendo Sacerdote; se veramente pentito, e confessato da Confessore approvato dall' Ordinario, si communicherà in qualsivoglia degl' infrascritti giorni, cioè Natale del Signore, Epifania, Resurrezione, Ascensione, Pentecoste, Festa della Santissima Trinità, e Corpus Domini, Festa della Purificazione, Annunciazione, Assunzione, e Natività della Beatissima Vergine, Natività di S. Gio: Battista, Festa de' Santi Apostoli Pietro, e Paolo, Andrea, Giacomo, Giovanni, Tommaso, Filippo, e Giacomo, Bartolomeo, Matteo, Simone, e Giuda, e Mattia, o pure nella Festa di S. Gioseppe Sposo della Beata Vergine, o nel giorno di ciasceduno de' suddetti quattro Santi nuovamente canonizati, o nella Festa di Ogni Santi, e divotamente pregherà Dio per l'estirpazione dell' Eresie, e propagazione della Fede Cattolica, e per la pace, e concordia de' Prencipi Cristiani, e per altri bisogni di S. Chiesa, conseguirà l'Indulgenza plenaria, e la remissione de' suoi peccati.

Chi digiunerà la Vigilia di ciascheduno de' suddetti quattro Santi, e confessato si communicherà nel giorno della loro Festa, e pregherà come sopra, acquisti ogni volta l' indulgenza plenaria.

Chi pentito de' suoi peccati con proposito di emendarsi visiterà in uno stesso giorno sette Chiese a sua elezione, e dove sette Chiese non sieno, visiterà tutte quelle Chiese, che vi sono, e dove ve ne sia una sola, visiterà tutti gli Altari di essa; similmente pregando per l'estirpazione dell' eresie &c. una volta l'anno guadagni l'Indulgenze delle sette Chiese di Roma.

Chi penserà divotamente a qualche Mistero della Passione di Nostro Signore, ed a riverenza della medesima Passione bacierà umilmente la terra sette volte, in quel giorno acquisterà l'Indulgenza della Scala santa, e ciò una volta l'anno.

Chi farà un atto di pentimento vero de' suoi peccati con fermo proposito di emendarsene, o eserciterà qualche atto di virtù ad esempio de' suddetti Santi, guadagni ogni volta sette anni d' Indulgenze, ed altretante quarantene.

Chi leggerà, o sentirà leggere qualche capitolo della Vita de' suddetti quattro Santi, o visiterà il di loro Altare, o venererà la di loro Immagine, pregando per l'esaltazione di Santa Chiesa, e per la conversione de' Peccatori, guadagni ogni volta cento giorni d'Indulgenza.

Chi farà qualche limosina a' Poveri, o pure gl'istruirà, o farà istruire nelle cose, che appartengono alla Fede, ed a' buoni costumi, acquisti ogni volta cento giorni d'Indulgenza.

Chiunque si eserciterà nella divozione del Santissimo Sagramento dell' Altare, o della Beata Vergine, meditando quel Mistero, ed i beneficj, che a noi ne derivano; ovvero compatendo a i dolori, che sentì la Beatissima Vergine per la Passione, e Morte del suo Figliuolo, o in altra forma venerando il Santissimo Sagramento, e pregando per i bisogni della Santa Chiesa, guadagni ogni volta cento giorni d'Indulgenza.

Chi al suono della Campana di qualche Chiesa, la mattina, la sera, o al mezzo giorno reciterà divotamente le solite preci Angelus Domi-

Domini &c.; *o non ſapendole*, *un* Pater noſter, *ed un'* Ave Maria; *o parimente ſuonando il ſegno per li Morti reciterà il Salmo* De profundis, *o non ſapendo detto Salmo, dirà un* Pater noſter, *ed un'* Ave Maria, *conſeguiſca cento giorni d'Indulgenza.*

Chi ſtando in Roma, o nel ſuo Diſtretto per lo ſpazio di venti miglia, per legitimo impedimento non potrà eſſer preſente alla benedizione ſolenne, che il Sommo Pontefice ſuol dare nel giorno di Paſqua, e dell'Aſcenſione, ſe confeſſato, e communicato, pregherà per l'eſtirpazione dell'ereſie &c. acquiſterà l'Indulgenza, come ſe foſſe preſente, la qual Indulgenza conſeguirà parimente, chi ſarà fuori di Roma, e di tal Diſtretto, in qualſivoglia luogo ſi ſia, benche egli non ſia impedito, facendo le coſe ſuddette.

Chiunque in articolo di morte raccommanderà divotamente a Dio l'anima ſua invocando il Santiſſimo Nome di Gesù con la bocca, e non potendo, col cuore; pentito veramente, e come ſopra confeſſato, e communicato, o non potendo, contrito almeno, conſeguirà la remiſſione di tutti li peccati, e l'Indulgenza plenaria.

Ciaſcheduna delle ſopradette Indulgenze potrà applicarſi per modo di ſuffragio alle anime del Purgatorio.

Per acquiſtare le ſopradette Indulgenze baſta avere una Corona, o Medaglia &c. benedetta da Sua Santità con le medeſime Indulgenze, facendo gli atti preſcritti, come ſopra, benche per altro ſi doveſſero fare per obbligo.

Commanda Sua Santità, che nella diſtribuzione, ed uſo di queſte Medaglie, Corone &c. ſi oſſervi il decreto della fel. mem. di Aleſſandro VII. ſtampato ſotto li 6. Febraro 1657., cioè, che le Medaglie, Corone &c. benedette con le ſopradette Indulgenze non paſſino la perſona di quelli, a' quali ſaranno concedute, o a' quali da queſti ſaranno diſtribuite per la prima volta, e che non poſſino preſtarſi ad altri, o darſi precariamente; altrimenti pardano l'Indulgenze, che hanno, e che perdendoſene una, non ſe ne poſſa ſoſtituire in ſuo luogo un'altra, non oſtante qualunque conceſſione, o privilegio in contrario.

Sua Santità proibiſce la ſtampa di queſte Indulgenze in ogni altro luogo fuori di Roma.

Raffaello Coſimo Girolami Segret.

Præterea, cùm Proceſſiones *Vexillorum* nuncupatæ à Baſilica S. Petri ad Eccleſias Cœnobiorum illarum Religionum, quas profeſſi fuerant Sancti Canonizati, eſſent de more peragendæ, pro quibus fel. rec. Alexander PP. VII. etiam interfuturis plenariam [1] Indulgentiam conceſſit: Cùmque Solennitates, ſeu Feſtivitates Canonizationis per octo continuos dies in eiſdem Eccleſiis, & aliis Cœnobiorum earundem Religionum ubique Terrarum exiſtentibus eſſent pariter celebrandæ, Sanctiſſimus Pontifex Plenariam item Indulgentiam eas viſitantibus Literis Apoſtolicis in forma Brevis indulſit, cujus primò expediti pro Dominicana Familia exemplar eſt hujuſmodi.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUm Nos nuper ad honorem Sanctiſſimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ Fidei, & Chriſtianæ Religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Alma Urbe noſtra exiſtentium conſilio, Beatum Pium PP. V. Prædeceſſorem noſtrum, qui dum in minoribus conſtitutus erat, profeſſionem regularem in Ordine S. Dominici emiſit, auctoritate Nobis à Domino tradita, Sanctum eſſe decreverimus, & definiverimus, ac Sanctorum Catalogo ſolenni ritu adſcripſerimus; Et, ſicut accepimus, dilecti filii Fratres Conventuum, & dilectæ in Chriſto filiæ Moniales Monaſteriorum Ordinis præfati, Solennitatem, ſeu Feſtivitatem Canonizationis ejuſdem S. Pii V. in ſuis reſpectivè Eccleſiis celebrare intendant. Nos ad augendam fidelium religionem, & Animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ theſauris, pia charitate intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui Eccleſias quorumcumque Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum Regularium, tam Fratrum, quàm Monialium dicti Ordinis ubicumque locorum exiſtentes, die, quo Solennitas, ſeu Feſtivitas Canonizationis hujuſmodi ibidem reſpectivè celebrabitur, vel aliquo ex ſeptem diebus immediatè ſequentibus devotè viſitaverint, ac ibidem pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deũ preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus: Præſentibus pro unica vice quoad Eccleſias præfatas, earumque ſingulas valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid, vel minimum detur, aut

[1] *Act. Canoniz. S. Thom. de Villanova pag.* 123.

aut spontè oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint; Utque earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die ix. Julii MDCCXII. Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

F. Oliverius.

Primus igitur in recolendis in Urbe Canonizationis Solenniis fuit Ordo Fratrum Prædicatorum in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam, quam P. Antoninus Cloche totius illius Ordinis Generalis Minister nunquam satis laudandus ita studuit exornare, ut nulli parcens sumptui, eam, si amplitudinem, & nativam murorum compaginem demas, Vaticani ferè reddiderit haud imparem Templi; Etenim, si hujus exterior facies conspiciebatur, tela erat aquaria suis tamen eminentiis depicta, quæ ab imo ad summum per centum & decem palmos altitudinis, omnibusque architectonicis præceptis, Corynthii infra Columnarum, supra Parastatum ordinis extendebatur; ubi auro subobscurè illuminata visebantur, veluti in tabulis, præclariora S.Pii miracula, & supra frontem ipsam septem integræ eminentiæ Simulacra, quorum supremum, Sanctum Pontificem: quæ infra, veluti Sancto famularentur, sex virtutes, Fidem, Spem, Charitatem, Justitiam, Prudentiam, & Fortitudinem, exhibebant. Si verò interiores Ecclesiæ partes spectabantur, undique, etiam in concamerationibus, vel peristromatibus, ac pretiosissimis aulæis, vel serico damasceno,& holoserico, aureis lineis, fimbriisque, vel per suturas decurrentibus, vel intersecantibus, vel nexus in rosarum speciem efformantibus, exornato, pro majori Cosmetarum artis perfectione erant obductæ. Aræ verò majoris Ornatus ita fuit efformatus, ut novo invento Vexillum S. Pii ab Ecclesia Vaticana solenniter deportandum super eadem Ara pro Icone peraptè posset collocari.

Cùm autem pro Vexilli solenni gestatione à Basilica Vaticana statuta esset dies Sabbati sexta Augusti currentis anni 1712: pro prima verò octiduæ festivitatis sequens Dominica dies septima ejusdem; cùmque Sanctissimus Dominus Noster pro ingenita veneratione erga Sanctum Prædecessorem suum Solenni sacrificio in honorem ejusdem Sancti ibidem celebrando cupierit interesse, pridiè intimatâ Cappellâ Pontificiâ, pro eadem,ante prædictam Aram majorem Solium Pontificium, & sedilia pro Sacro Cardinalium Cœtu, & aliis Cappellæ Ordinibus, fuerunt de more collocata. Post Vesperas itaque præstitutæ diei Sabbati sextæ Augusti, convenientibus in Basilicam Vaticanam universâ Ordinis Prædicatorum Familiâ, & Archiconfraternitate *Agonizantium* vulgò nuncupata, plus solito numerosiore, Clerus Basilicæ cum hebdomadario Canonico, pluviali, & duobus Beneficiatis itidem pluvialibus indutis, in Chorum ante Confessionem Principis Apostolorum (præparatâ Theatri Canonizationis machinâ adhuc integrâ fieri Chorum ante majorem Aram impediente) convênit. Tunc cœpta est Processio, præfata Archiconfraternitate, & Dominicana Familia per medium Chori ex ordine transeuntibus, & Altari genuflectentibus, iis exceptis, qui Cruces, vexilla, Candelabra, cæteraque Insignia gestabant: Ultimo loco à Confratribus Societatis Sanctissimi Sacramenti ejusdem Basilicæ deferebatur S. Pii Vexillum, quod constitit in cornu Epistolæ Altaris Chori, in apertura scamnorum è regione Hebdomadarii. Tunc Cantores Basilicæ cecinerunt Antiphonam: *Sacerdos, & Pontifex, & virtutum opifex, Pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum, Sancte Pie*; qua absoluta duo Cantores Beneficiati cantarunt ℣. *Ora pro nobis Sancte Pie*, & cæteri Cantores responderunt *Ut digni efficiamur promissionibus Christi*. Tum Hebdomadarius è Legili, duobus Acolythis ante ipsum Candelabra sustinentibus, cecinit Orationem propriam S. Pii, in fine Cantoribus respondentibus: *Amen*. Et exinde imposito thure in thuribulo perrexit ad Vexillum S. Pontificis, cujus Imaginem in dicto Vexillo delineatam stans tribus ductibus thurificavit. Universus interim Basilicæ Clerus funalia deferens,preeunte Cruce cum tintinnabulo, & aliis Insignibus, prout in Processione S. Marci, post Dominicanam Familiam procedere incœpit. Hebdomadarius autem post thurificatam Imaginem oblongas restes è Vexillo pendulas è manibus Confratrum Societatis Basilicæ acceptas, quatuor Patribus, ex primoribus Dominicanis, pluvialibus indutis attribuit; moxque in genua provolutus sacram Imaginem veneratus est, & surgens cum suis assistentibus in Sacrarium se recepit. Proximè incesserunt post Clerum Basilicæ duo ex Confratribus Societatis

cietatis Basilicæ portitores Vexilli, cujus hastas sub Porticu ejusdem Basilicæ Confratribus Agonizantium tradiderunt.

Clerus, & Capitulum è ferreis cancellis Porticus extrinsecùs ad ultimum gradum scalarum ordine retrogrado hinc inde se se disposuerunt, & genuflexi pertranseuntem Imaginem Sancti venerati sunt, & ad Sacrarium redierunt.

Ordo Processionis fuit hujusmodi. Præibant Tympanistæ Populi Romani; sequebantur Paraphrænarii Cardinalium funalia accensa deferentes; Tubicines Populi Romani; Confratres Archiconfraternitatis Agonizantium, cum Cruce, Vexillo, Laternis hastatis, aliisque de more Societatis, præ manibus habentes candelas accensas, & inter eos plures Musicorum chori identidem Hymnum *Iste Confessor* præcinentes.

Post Confraternitatem sequebatur universa Dominicanorum Familia cum Cruce mediâ inter duos Acolythos candelabra deferentes; omnesque illius Ordinis candelas pariter ferebant accensas.

Musicorum chorus numerosior; Duodecim Fratres cum superpelliceis, & funalibus accensis, quos sequebantur sex aliis cum magnis Laternis auro undique illitis.

Tum vexillum S. Pii, ut supra gestatum, inter viginti Paraphrenarios Papæ vestibus rubeis indutos cum funalibus, & triginta Milites Helveticæ Custodiæ Sanctissimi cum Alabardis.

Demum P. M. Fr. Thomas Ripol Provincialis Terræ Sanctæ Postulator Canonizationis, Albâ, & Pluviali indutus, cum intortitio accenso, medius inter alios duos Fratres ex Primoribus Ordinis, similiter Albâ, & Pluviali indutos, ac intorticia accensa deferentes.

Mandatarii Eminentissimi Cardinalis Vicarii, Clavas præ manibus gestantes divisim dirigebant Processionem.

Ecclesiæ omnes, prope quas Supplicationem contigit transire, Campanas pulsarunt, & domorum fenestræ visæ sunt ubique ornatæ, ac nocte superveniente crebris luminibus instructæ.

Per Plateam S.Petri transeunte Vexillo, Milites Helvetici ænea tormenta exploserunt; quæ veneratio exhibita etiam fuit ab Arce S. Angeli, tum primò scloporum, tum postea tormentorum bellicorum explosione. Idem præstitit ipsa Agonizantium Archiconfraternitas, ante suam Ecclesiam, centum tormentis minoribus, vulgò *Mortaletti*. Ac demum sumptibus Dominicanæ Familiæ quinquaginta explosa fuere in prædictæ Ecclesiæ S. Mariæ supra Minervam Area plurimis diutinè duraturi ignis arte confecti sartaginibus illuminatâ.

Via fuit à Basilica Vaticana ad Castrum S. Angeli: hinc ante Ecclesiam SS. Celsi, & Juliani; per vicum, vulgò *Banchi*, rectâ ad Parionem: inde ad Ecclesiam S. Andreæ de Valle; ad Arcum, vulgò *della Ciambella*; ante Ecclesiam S. Claræ; ad S. Mariæ supra Minervam, quam omnes de Supplicatione ingressi sunt, binas alas per longum Ecclesiæ efformantes:

Ingredienti proximè dictam Ecclesiam S. Mariæ supra Minervam Vexillo, Eminentissimus Cardinalis Ferrarius S. Clementis nuncupatus, qui prope Portam, amictu, alba, cingulo, stola, pluviali, & mitra ornatus, medius inter Diaconum, & Subdiaconum Cappellæ Pontificiæ, Dalmatica, & Tunicella indutos, super Faldistorio sederat, venerabundus occurrit, & mitrâ depositâ, genuflexus super tapete stratum, & pulvinare, S. Pii Imaginem adoravit; moxque surgens thurificavit, & reassumptâ mitrâ, ante Vexillum incedens ad Aram majorem se contulit, & juxta cornu Epistolæ constitit. Porrò Vexillum gestatum est ad ipsum Altare majus, ut ibi pro Icone collocaretur; cùmque cœpisset elevari, Cardinalis versus ad Crucem Altaris intonavit Hymnum *Te Deum laudamus*, quem bis duo Cantorum chori prosequuti sunt. Circa finem prædicti Hymni, Vexillo jam aptè super Altare collocato, D. Cardinalis thus in thuribulum posuit, & descendens ante medium Altaris, in inferiori gradu genuflexus iterum Imaginem S. Pontificis thurificavit, & mox ascendens ad cornu Epistolæ, Hymno absoluto, post cantatum ℣. *Ora pro nobis S. Pie* per Diaconum, & responsum à Cantoribus: *Ut digni efficiamur promissionibus Christi*, cecinit Orationem propriam S. Pii, Cantoribus respondentibus: *Amen*.

Demum Cardinalis sumptâ mitrâ processit ad medium Altaris, & eo deosculato solennem dedit benedictionem, inter tubarum clangores, tympanorum sonitus, ac tormentorum bellicorum explosiones.

Sequenti die Dominica, prima die octiduæ festivitatis, ut supra meminimus, in eadem Ecclesia habita fuit Cappella Pontificia cum interventu Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & 29. Cardinalium. Missam cantavit solennem de more Cardinalis Ferrarius S. Clementis nuncupatus, & eâ expletâ in laudem S. Pii absolutissimam Panegyrim habuit P. M. Fr. Thomas Maria Minorelli.

Infra Octavam ejusdem Solennitatis tum Missæ, tum Vesperæ solennes decantatæ sunt.

Feria 2. Missam cecinit Archiepiscopus Theodosiæ Zaulius, cum interventu Archiepiscoporum, & Episcoporum assistentium Solio Pontificio. Panegyrim verò elegantissimam pronunciavit Abbas Thomas Mancini.

Feria 3. Missam cecinit Archiepiscopus Myræ Nicolai Basilicæ S. Petri Vicarius, cum interventu DD. Protonotariorum Apostolicorum. Panegyrim habuit R. P. Fr. Carolus à Guastalla Ordinis Minorum Reformatorum.

Feria 4. Missam cecinit Episcopus Licien. Pignatellus, cum interventu Auditorum Sac.Rotæ. Panegyrim dixit R.P.Fr. Carolus Antonius Duara Ordinis S. Augustini.

Feria 5. Missam cecinit idem Episcopus Licien. Pignatellus assistentibus Clericis Cameræ Apostolicæ. Panegyrim habuit P. Ignatius Guarini Soc. Jesu.

Feria 6. Missam cecinit Episcopus Viglevanen. Cataneus, cum interventu Referendariorum Signaturæ Justitiæ. Panegyrim pronunciavit R. Fr. Romualdus à Parma Ordinis S. Francisci Capuccinorum.

Sabbato Missam cecinit Episcopus Neritonen. Sanfelice cum interventu Advocatorum Consistorialium. Panegyrim habuit P. Julianus de S. Agatha Clericus Reg. Scholarum Piarum.

Dominica die sequenti, & ultima octiduæ Festivitatis, post peractam Communionem frequentissimi populi, cui attributa fuit sacra Imago ænea S. Pii cum Indulgentia superiùs memorata, Missam cecinit P.M. Fr. Antoninus Cloche Dominicanæ Familiæ Minister Generalis, cum interventu Consultorum Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis. Panegyrim verò habuit Abbas Cajetanus Zuanelli.

Præterea per totum octiduum in sero factæ sunt illuminationes, festique ignes in communis lætitiæ signum pro tanti Pontificis Canonizatione.

Verùm non hic finis Festivitatis in honorem S. Pii. Etenim Capitulum, & Clerus Basilicæ Liberianæ, in qua Sancti illius Pontificis Corpus repositum est, pio Eminentissimi Petri Cardinalis Otthoboni S. R. E. Vicecancellarii, & dictæ Ecclesiæ Archipresbyteri impulsu, plaudente tota Urbe, suam erga eum devotionem per integrum triduum voluit ostendere: Et Summus ipse Pontifex, nunquam satis votis suis augendæ gloriæ Prædecessoris factum putans, hujus etiam Festivitatis particeps fieri voluit, Indulgentiam Plenariam pro hujusmodi triduo largitus, Pontificiamque Cappellam pro prima tridui die indicens.

Triduum hoc statutum à die 2. Octobris ejusdem anni Dominicâ primâ mensis; & meritò quidem, occurrente in eadem Festo Sanctissimi Rosarii à S. Pio memorabiliter instituto. Quare Templum illud Patriarchali nomine à Summis Pontificibus pluribus ab hinc seculis insignitum, magnificentissimo ornatu, tam per omnes ejus partes interiores, quàm extrinsecùs in fronte, & sub Porticu fuit decoratum.

Vexillum tamen S. Pii non à Basilica Vaticana publicè delatum est, sed à Ministro Generali Ordinis Prædicatorum acceptum, privatè est translatum à Canonicis Basilicæ Liberianæ, à quibus post Vesperas, cum interventu Cardinalis Archipresbyteri, Sabbato ante dictam primam Dominicam, publicè, & solenni Processione gestatum est à Cappella Assumptionis B. M. V. per Ecclesiam usque ad Aram Principem, ubi sub Abside funi alligatum, ad fornicem elevatum est, Archiepiscopo Nazianzeno Alexandro Bonaventura officium faciente, qui Pluviali, & Mitra indutus, cum assistentia duorum Canonicorum, Cœremonias ferè omnes, quæ in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam pro Vexilli elevatione peractæ sunt, implevit.

Mane ergo Dominicæ primæ Octobris celebrata est Pontificia Cappella ante Aram Principem ejusdem Basilicæ. Interfuit Sanctissimus Dominus Noster de more sacris indutus, cum interventu 29. Cardinalium Cappâ rubeâ indutorum, & omnium Ordinum Prælatorum. Missam de S. Pio cantavit Thomas Cardinalis Ferrarius S. Clementis nuncupatus, & eâ finitâ Jo: Christophorus Battellus à Secretis Brevium ad Principes, Rocchetto, & Cappâ indutus, uti Canonicus ejusdem Basilicæ, sequentem Latinam Panegyrim pronunciavit omnibus numeris absolutam.

Gloriosa, & triumphalis hæc dies Sanctissimi Pontificis Pii V. laudibus consecrata, BEATISSIME PATER, *quæ cæteris omnibus tam ampla, & planè justa suppeditat argumenta lætitiæ, uni mihi (quod ingenuè fateri cogor) non levem ingerit solicitudinem, & pavorem. Me siquidem augustissima hujus theatri majestas, rerum dicendarum copia, & magnitudo,*

tudo, ac circumscripti laudationi fines ita perturbant, ut maximè verear, nè, qui excelsi Viri, omnique Christianarum virtutum genere cumulatissimi imaginem, numeris omnibus absolutam, ex hoc loco spectandam proponere deberem, non tam impolitum, rudemque typum sterilitate ingenii, quàm magna ex parte mutilatum inopia temporis videar exhibere. Illud tamen fluctuantem animum præcipuè confirmat, quòd cùm Sancti Pii heroica, & usque ad consummationem seculi memoranda gesta toto jam Christiano Orbe splendidè celebrentur, nihil ejus gloriæ detrahere possit incultus Orator, ac indisertus. Suo ipse fulgore satìs, superque coruscat: suis ipse se laudibus affatim ornat; nec aliunde quæsitis, ac iis potissimùm, quæ ab eloquentiæ luminibus peti solent, indiget ornamentis. Quinimò ad ejus laudes aliquid addere velle (quòd de S. Eusebio Vercellensi Episcopo Beatus Ambrosius ait) (1) decerpere prorsus est. Nulla itaque artis ope, nullo colorum fuco, nullis verborum phaleris utar: sed quæ Pius in triplici suæ vitæ gradu gessit, nuda, ac simplici narratione percurrens, &, quod tempus monet, ex plurimis pauca deligens, breviter ostendere conabor eum, dum in Religiosæ Prædicatorum Familiæ septis versaretur, Sanctum: postquam ad sublimem Cardinalitiam dignitatem evectus fuit, Sanctiorem: in summo demum Pontificatu verè Sanctissimum, ac planè admirabilem extitisse.

Quæ morum integritatem, ac innocentiam, vitæque sanctimoniam in hac mortali peregrinatione concilient, non obscurè docet Apostolus, cùm ait (2) Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo. *Quod clariùs explicans Beatus Bernardus*, tria, (3) *inquit*, sunt, quæ vitam hominis sanctam faciunt: victus sobrius: actus justus: sensus pius. *Hæc porrò Sanctitatis documenta cùm præclarè intelligeret Beatus Pius, nedum toto tempore, quo in religiosæ militiæ castris stipendia fecit, verùm etiam in ipso susceptæ militiæ limine ea implere quàm diligentissimè studuit. Sortitus enim animam bonam, & angelicam potiùs, quàm humanam indolem, ubi primùm laudatissimo Dominicano Ordini, non sinè Divini Numinis afflatu, nomen dedit, eam vitæ, morumque rationem instituit, ut si sobrietatem requireres, nemo à secularibus desideriis, & carnis illecebris ipso continentior, nemo paupertatis amantior, nemo tandem in omnes humilior cerneretur. Si actuum justitiam spectares, nulli in mentis æquitate, nulli in exteriorum custodiâ sensuum, nulli demum in religiosi Instituti, ac severioris disciplinæ observatione concederet. Si denique interiorum sensuum pietatem respiceres, religione in Deum, charitate in proximum, contemptu mundi, suique, socios omnes facilè superaret. Eam itaque virtutis maturitatem in ipso adolescentiæ flore præsetulit Pius, ut ex firmiori ætate, ac longiori rerum usu nihil illi potuisse videretur accedere. Quamobrem erumpente jam tum, latèque manante ejus Sanctitatis odore, præclaram illam laudem assecutus fuit, ut juvenis senibus, tyro veteranis, novitius exercitatis, tamquam illustre Christianæ perfectionis exemplar, ad imitandum proponeretur. Nec profectò religioso in stadio tam egregiè currentem quidpiam deinde fascinavit, aut retardavit, quominùs in incœpto cursu persisteret; sed totum reliquæ viæ spatium ita confecit, ut quotidiè se ipso melior, ac perfectior haberetur. Præ cæteris autem virtutibus pietatem, ut certum religiosæ vitæ patrimonium, sibi unicè colendam statuit. Hinc sanè illa frequens, & sedula cœlestium rerum contemplatio: hinc illud Divini honoris assiduum, & flagrantissimum studium: hinc tandem ille, quem nunquam remisit, sui corporis castigandi, ac in servitutem redigendi,*

[1] *Serm. 69. in princ. edit. Parisien.* 1569. [2] *Ad Tit. cap.* 2. *num.* 11. & 12. [3] *Serm.* 64. *de diversis tom.* 2. *edit. Lugdunen.* 1658.

gendi, singularis, & mirus ardor effluxit. Quoniam verò ex ipsa veritate didicerat optimus Adolescens, non qui fecerit tantùm divina mandata, sed qui (1) fecerit, & docuerit, hunc magnum vocandum esse in Regno Cœlorum: proinde cum pietatis cultu literarum etiam studia præclarè conjunxit, nè si pius tantùm foret, ad procurandam animarum salutem, ad quam incitatissimè ferebatur, minus idoneus esset; vel animarum lucra imminueret, si doctrinâ dumtaxat excellere videretur. Suscepto hinc publicè docendi munere, quod toto sexdecim annorum spatio per varias Italiæ Urbes magnâ cum laude gessit, non aliud antiquius habuit, quàm ut doctrinâ simul, ac pietate auditorum animos imbueret. Quantum porrò tum pietate, tum etiam doctrinâ præstaret, & quàm eximio Divinæ gloriæ propagandæ, ac omnes Christo lucrifaciendi zelo incensus esset, non aliàs magìs ostendit, quàm cum Divini Verbi Præco constitutus fuit. Eo quippè in munere, ut Apostolus monet, (2) non semetipsum, sed Christum Crucifixum prædicans, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, populos ab ignorantiæ tenebris ad scientiæ lumen, ab erroribus ad veritatem, à vitiis demum ad virtutes revocare impensissimè satagebat. Nil igitur mirum, si benedictionem omnium gentium dedit illi clementissimus Dominus, ac uberi bonorum operum proventu sacros ejus labores fœcundavit. Non ille interea inflari pietatis, ac scientiæ famâ, non adeptâ temporalis gloriæ vanitate gaudere, non honorum, & dignitatum culmina quærere visus unquam fuit: sed contra de se quàm humillimè sentire, humana omnia, tamquam fluxa, inania, ac peritura despicere, nihil præter Dei gloriam, & proximi utilitatem appetere, uni Deo constanter adhærere.

Præclara quidem hæc, & quæ meritò suspicerentur, in hoc religiosissimo Viro fuerunt; nihil tamen in eo magìs eluxit, quàm ardentissimum, & nunquam satìs laudandum Orthodoxæ Religionis studium, quod inter cæteras ejus virtutes principem sanè locum obtinuit. Vastum hic ego campum ingrederer, ubi singula recensenda susciperem, quæ ipse tum aliàs, tum præcipuè, cùm in Novocomensi primùm, deinde in Bergomensi ditione Quæsitoris Fidei munere fungeretur, præclarè gessit, ut grassantem per eas regiones hæresim profligaret, & Catholicam veritatem ubique vel nutantem fulciret, vel labefactatam restitueret, vel integram, & incorruptam ab impendenti discrimine tutaretur. Quas ille Potentum offensiones, & minas, quæ ab Hæreticorum insidiis pericula, quas vitæ, & capitis dimicationes, dum invicto animi robore gravissimum munus exequitur, non sustinuit? Quoties ab impiis, quibus implacabile bellum indixerat, conquisitus ad necem, manifesta Divini Numinis providentia servatus est, nè propugnator, & vindex acerrimus Catholicæ Ecclesiæ eriperetur. Innumera planè sunt, quæ de hoc argumento mihi in medium proferenda suppeterent: sed nè institutæ brevitatis fines egrediar, omnium loco testes mihi appellare liceat Comum, Bergomum, aliasque nobiles Italiæ Urbes, quæ Pii post Deum providę vigilantię acceptum retulerunt, quòd à nefaria hęresis contagione purgatę, aut immunes servatę fuissent: testes itidem appellare liceat illustres Insubrię populos, qui illius eximium Divini honoris zelum, ac heroicum rerum omnium terrenarum, vitę etiam, pro Religione contemptum demirantes, eum, tamquam humanę conditionis terminos supergressum, Sanctum palam nuncupabant, ac venerabantur.

Quàm verò egregiè Beatus Pius de Catholica Religione meritus esset, quantoque in pretio insignes illius virtutes haberentur, ęquissimus earum ęstimator Paulus IV. apertè declaravit; dum ipsum, tametsi invitum, & quoad licuit, detrectantem, Nepesinę primùm, ac Sutrinę invicem unitis Ecclesiis Episcopum pręfecit,

[1] *Matth. cap. 5. v. 19.* [2] *2. Corinth. cap. 4. v. 5. & 1. ad Corinth. cap. 2. v. 4.*

cit, nec multò post Sacro Cardinalium Collegio adscripsit, Summumque prætereà, ac perpetuum in universa Christiana Republica Inquisitorem magna cum potestate constituit. Non equidem amplissimę Dignitatis fulgor Sanctum Virum ulla ex parte vel leviter immutavit, sed, quod de Justorum semita dictum (1) est, fecit, ut quasi lux splendens procederet, & cresceret usque ad perfectam diem. Illam igitur ipsam, quam cum in Cœnobio degeret, humanitatem, atque modestiam, illam ipsam disciplinę severitatem, illum ipsum, si externam vestem exciperes, vitę cultum, frugalitatemque retinuit. Domestici omnes, quos pręcipua cura delegit semper, eadem disciplina instituti, filiorum loco habiti, paternaque charitate dilecti. In his autem, quę ad officium pertinerent, preces apud eum neque ad justa obtinenda necessarię, neque ad injusta extorquenda efficaces. Non in sermone tantùm, sed in vultu ipso, nutuque ejus magna inesse putabatur authoritas; tantaque erat illius integritatis, & gravitatis opinio, ut ullam rem improbam, aut minùs honestam petituri (quod in summam Catonis Majoris laudem vertit antiquitas) ad ipsum accedere non auderent. Verùm hęc, & his similia cum aliis multis communia Pius habuit. Unum profectò fuit, in quo facilè cęteris omnibus antecellens singularem de se admirationem in omnibus excitabat: Summa scilicet, ac planè Senatoria in dicenda sententia libertas, quam ipsi optimę mentis conscientia, & excelsus ille, ac sanè heroicus, atque sanctissimus quarumcumque humanarum rationum contemptus instillabat. Una erat omnium vox neminem esse, qui & privatim, & publicè, quod Dei gloriæ, & Ecclesiæ bono congruere arbitraretur, liberiori sinceritate proferret: qui minus vel metui, vel gratię tribueret: qui quod æquum, justumque erat, constantiùs, aut alacriùs propugnaret. Hęc ipsa digna Sacerdote, digna Ecclesię Senatore libertas tum pręcipuè refulsit, cum Pio IV. Ferdinandum Mediceum, ac Federicum Gonzagam, morum quidem integritate, & generis claritudine commendatos, adolescentulos tamen, & sacris honoribus immaturos, Apostolicum in Senatum adlegere volenti, nè id faceret, violatis Tridentini Concilii, quę recens ea de re prodierant, sanctionibus palàm obstitit. Multò autem illustriùs ea ipsa mirifica, & penè Divina Sanctissimi Viri libertas enituit, cùm eumdem Pontificem Avenionensis Legationis munus Alexandro Cardinali Farnesio abrogare, ac alteri mandare cogitantem, quod ea res grave Catholicę Religioni detrimentum allatura videretur, à sententia deducere strenuè contendit. Quo præsertim conatu, quamvis honestissimâ causâ suscepto, cum eam subiisset invidiam, ut essent, qui dicerent fore, ut ab irato Pontifice in Adrianę Molis Arcem detruderetur: iis ipse tranquillo, pacatoque animo, Mihi, *inquit,* locus nunquam deerit meum in Ordinem redeundi, quoties ob testificationem veritatis in hoc Collegio permanere non possim. *O aurea profectò verba, & Sacerdotalis plena constantię! O veritatis impavidum assertorem! O Religionis vindicem eximium, atque fortissimum! Eamdem animi libertatem, simulque pręstantem Ecclesiasticę disciplinę tuendę zelum ostendit Pius, quo tempore Maximilianus Cęsar, aliique Germanię Principes, falsa publicę utilitatis imagine decepti, à Pontifice summoperè flagitabant, ut Germanicæ Nationis Presbyteris, Græcorum exemplo, uxores permitterentur. Ejusmodi siquidem postulata, tamquam Apostolicis præceptis, sacrisque legibus adversantia, eatenùs oppugnavit, ut ejus potissimùm authoritate, ac ope repulsa fuerint: adeòque Sacrosancto Sacerdotio sua dignitas in Germaniâ Pii propemodùm beneficio servata fuit.*

Hæc, & quamplura alia pulcherrima facta, quæ, ne longior sim, sciens, prudensque prætereo, eam nominis celebritatem Pio pepererant, ut omnium consensu, & cæteris Patribus sanctior, & Summo Pon-

[1] *Proverb. cap.4. vers.18.*

Pontificatu dignissimus haberetur. Igitur Pio Quarto è vivis sublato unanimi Patrum sententiâ, nec sinè manifesto divinæ providentiæ consilio, licèt invitus, ad supremum Ecclesiæ regimen assumptus fuit. Quo nuncio per Urbem evulgato, illud statim omnium animos certam in spem publicæ felicitatis erexit, quòd boni hilares, & gaudio triumphantes, improbi verò magnâ in tristitia positi spectarentur; illi certatim ad templa gratulabundi concurrerent; hi aspectum hominum, lucemque vitantes de voluntario suscipiendo exilio deliberarent. Primum ergò novi Pontificis, nec vulgare beneficium fuit, fœdam illam hominum colluvionem, & pestem, quæ diù Urbem afflixerat, sola nominis reverentia fugasse. Intereà verò optimus, ac Sanctissimus Pontifex, ut ad Rempublicam temperandam securior accederet, domesticam priùs disciplinam summa cura composuit. Eamdem itaque prioris victus, cultusque rationem, eadem jejunia, easdem preces, eamdem interiorum vestium asperitatem, eamdem à quibuscumque corporis voluptatibus abstinentiam religiosissimè servandam sibi proposuit. In omnibus (1) se ipsum præbere studuit exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Nullum ex ejus ore prodibat verbum, quod non aut ad Dei laudem, aut ad proximi ædificationem pertineret. Domini exemplum secuta Palatina Familia ita vivere instituit, ut à cæteris Aulicis nulla re magis, quàm modestia singulari, & præcipua quadam sanctimoniæ professione distingueretur.

Reipublicæ deinde administrationem aggressus Pius tum maximè testatum fecit, quàm excelsis, & dignis Christiano Principe, dignis Supremo Ecclesiæ Rectore virtutibus instructus esset. Ea siquidem inter ipsa Principatus initia justitiæ, religionis, prudentiæ, fortitudinis, & magnanimitatis luculentissima edidit argumenta, ut constans omnium sententia foret multis retrò seculis nullum extitisse Pontificem, qui ad veteres illos Silvestrum, Leonem, Gregorium, aliaque laudatissima antiquitatis nomina propiùs accederet. Indè mira brevi tempore in Urbe facta morum emendatio, ac excitatus in omnibus Principem æmulandi amor, validior, quàm pœna ex legibus, & metus. Judiciorum integritas, quam jam improbus quisque labefactare consueverat, restituta. Restituta, & decretis sanctissimis communita, quæ è veteri dignitate prorsus exciderat, Ecclesiastica Disciplina. Ecclesiæ Sacerdotia, Reipublicæ munera iis tantùm delata, quos perspecta virtus, ac pietas commendaret. Apostolicæ Sedis dignitas, & authoritas, Clerique, & Ecclesiæ libertas invicta ubique animi fortitudine propugnata. Impiorum, & exulum, qui communem quietem turbabant, gravissimis Edictis coercita audacia. Innumeris demùm aliis, optimisque Sanctionibus publica populorum felicitas, atque sanctitas procurata. Emicuit prætereà in hoc Sanctissimo Viro tuendæ, amplificandæque Catholicæ veritatis perpetuum studium, in extirpandis vitiis indefessa solicitudo, mira in egenos charitas, & quę Deo simillimum Principem facit, inexhausta in omnes liberalitas, ac beneficentia. Suspexit Pastoris providentissimi vigilantiam Christianus Orbis, cùm ipse latentes in Michaelis Baji scriptis errores, unde postmodùm nefaria illa, toties confixa, numquam tamen satìs extirpata Janseniana dogmata in Ecclesiæ perniciem eruperunt, primus detexit, editaque saluberrima Constitutione damnavit. Senserunt Apostolicum Sancti Pontificis zelum Belgæ, Scoti, Angli, Germani, Sarmatæ: Indi etiam vastissimis marium, terrarumque spatiis ab Orbe nostro divisi senserunt; Quos omnes ut ab errorum tenebris avocaret, ac ad veræ pietatis lumen, & cultum adduceret, nullis sumptibus, nulli labori, nulli umquam pepercit industriæ. Heroicam Principis amantissimi charitatem Urbs ipsa experta fuit, tum præcipuè, cùm eam gravi afflictam pesti-

[1] *Apost. ad Tit. cap.* 2. *v.* 7.

pestilentia opportunis tùm temporalibus, tum spiritualibus largè collatis subsidiis Pius ita juvit, fovitque, ut illius potissimùm solerti cura brevi tempore lues depulsa fuerit; ac rursus cum in magna annonæ difficultate, convecto ex Sicilia, & Gallia frumento, quod centum aureorum millibus constitit, publicisque horreis pauperum beneficio reseratis, Romanum Populum ab imminenti fame servavit.

Reliqua hic mihi, si tempus pateretur, explicanda forent insignia beneficia, quæ Pius nedum Urbi, & Pontificiæ ditioni, verùm etiam universo propemodùm Christiano Orbi largitus fuit: nec sanè tacitus præterire deberem, vel pecuniæ subsidia, & Hierosolymitanorum Equitum Magno Magistro, & Venetæ Reipublicæ, & Maximiliano Cæsari, ut sustinendis Turcarum conatibus pares essent, largiter attributa; vel auxiliares copias in Galliam cum strenuo Ductore submissas, quarum ope de iis, qui à Christo, & à Rege desciverant, pulcherrima relata victoria, Regi Regnum, Religionem Regno restituit. Verùm iis omnibus ob temporis angustias prætermissis, illud unum paucis memorare mihi liceat planè maximum, ac sempiterna omnium gentium, omniumque seculorum prædicatione celebrandum beneficium, quo Sanctus Vir universam Christianam Rempublicam affecit, cum Selymum Turcarum Tyrannum multis elatum victoriis, Cyproque capta, Christianis extrema minitantem, inito cum Rege Catholico, ac Venetis sacro fœdere, non tam armis, quàm precibus ad Echinadas Insulas profligavit. Hæc porrò Magnæ Virginis in primis ope obtenta victoria, post hominum memoriam amplissima, & gloriosissima, quam hac ipsa die in perenne, gratumque rei monumentum instituta celebritate recolimus, tanti fuit, ut & Barbarorum omnia jam sibi pollicentium audaciam fregerit, & jacentem rem Christianam erexerit, & infinitam propemodùm malorum seriem à Christiani Populi cervice sustulerit. Stetit autem potissimùm eo felici prælio Italiæ salus, cui Barbari avidissimè inhiabant. Stetit etiam hujus Sanctissimi veræ Religionis domicilii securitas, quæ, ubi improsperè pugnatum esset, magnum in periculum adducenda videbatur. Quod optimè intelligens Pontifex sapientissimus, divinam tam necessario tempore opem, atque præsidium assiduis lacrymis, jejuniis, supplicationibus implorabat. Respexit itaque pia sancti Senis vota clementissimus Dominus, & ad præclaram victoriam obtinendam illius preces, ac merita magis, quàm militum fortitudinem valuisse insigni miraculo patefecit. Ea enim ipsa, qua parta fuit, hora illam anxio Pontifici indicare dignatus fuit, ut fortunatissimi eventus, pro quo tantoperè laboraverat, nuncium, atque solatium prægustaret.

Immani Christiani nominis hoste prostrato, gravissimoque confecto bello, supererat, Sanctissime Pie, ut victorum more triumphum ageres, ac triumphali corona donareris. Sed quod triumphi genus, quæ coronæ species, in hac lacrymarum valle, par esse poterat tam gloriosæ victoriæ? Eum itaque triumphum, eam coronam omnipotens Deus Tibi non in terris, ubi fluxa omnia, & caduca, ac infra Te posita; sed in Cœlis, ubi immortalia cuncta, incorruptibilia, ac te prorsus digna, constituit. Te igitur non multò post ad felicem illam Beatorum Patriam, ubi vera sunt gaudia, idcirco vocavit, ut unà cum Angelis, ac Cœlitibus omnibus de superatis Barbaris triumphares, eaque ornareris immarcescibili gloriæ corona, quam legitimè certantibus repromisit.

Porrò quàm grande mortalibus perfugium, Sancto Pontifice in Cœlos abeunte, deficeret, ipsa etiam elementa sensere; publicamque jacturam terræ fremitu, fulminum jactu, amnium exundatione doluerunt. Non tamen ille sideribus illatus mortalium patrocinium deseruit: sed qua semper exarsit, Apostolica charitate adhuc incensus, innumera iis ab omnipotenti Domino impetravit, ac in dies im-

impetrat beneficia. Quot enim diuturnis affectos morbis priſtinam in valetudinem, incolumitatemque reſtituit? quot ab obſeſſis corporibus immundos ſpiritus ejecit? quot naufragio proximos, quot incendiis afflictos, quot demùm aliis vexatos ærumnis, vel ab imminentis lethi faucibus eripuit, vel à manifeſto vitæ diſcrimine liberavit? Quibus tum alibi, tum etiam in hac religioſiſſima Baſilica patratis miraculis D. O. M. eximiam Viri ſanctitatem maximè teſtatam fecit, & quale, quantumque in eo præſidium nobis conſtituerit, luculentiſſimè declaravit.

Tu verò, Sanctiſſime Pie, qui è ſuperna illa, beataque Cœlitum ſtatione celebrem hanc ſolemnitatem lætis, ut opinamur, oculis intueris, ſi Tibi gratum hoc officium, ſi jucundum eſt, reſpice devotum hujus Sanctiſſimi Templi Clerum, qui præcipuo Te obſequio colit, tuique Sacri Corporis hoſpitio gloriatur. Eſto propitius ampliſſimo huic Romanæ Eccleſiæ Senatui, qui tuæ gratulatur felicitati. Tuere cum univerſo Chriſtiano grege Paſtorem optimum, tuique ſimillimum, qui tua merita divinis honoribus coronavit. Suſcipe tandem, ſuſcipe curam tua pietate digniſſimam, Religionis nimirùm, ac Religionis Magiſtræ, Romanæ Sedis patrocinium, qui in terris utriuſque propugnator invictus, atque fortiſſimus extitiſti; tuiſque apud Deum precibus effice, ut quæ jactari quidem poſſunt: everti non poſſunt: ſedatis aliquandò eas nunc maximè agitantibus procellis, optata demùm, ac tantoperè neceſſaria temporum tranquillitate lætentur.

Veſperas eadem die cum interventu Cardinalis Archipresbyteri ſolennes celebravit Epiſcopus Cononenſis Carolus Maigrot. Sequenti mane iridem Miſſam cantavit Archiepiſcopus Thebarum Nicolaus Spinula Cam. Apoſt. Auditor Generalis cum interventu Cardinalium, Franciſci Mariæ Caſini, & Petri Othoboni Archipresbyteri. Miſſa abſoluta eloquentiſſimam Panegyrim habuit Fr. Jo: Antonius Federici Ordinis Sancti Franciſci Capuccinorum; & Veſperæ eadem die celebratæ ſunt, Archiepiſcopo Patracenſi, Sinibaldo ab Auria officium faciente, nec non præſente Eminentiſſimo Card. Archipresbytero. Tertia demum die Triduæ Solennitatis Miſſam cecinit Archiepiſcopus Theodoſiæ Dominicus Zaulius, eorumdem Cardinalium Caſini, & Otthoboni interventu; & poſt Veſperas ab Archiepiſcopo Nazianzeno, & Canonico ejuſdem Baſilicæ Alexandro Bonaventura celebratas, demiſſum eſt Vexillum à fornice Abſidis, à quo pependerat, & proceſſionali ritu geſtatum eſt per Eccleſiam, ac in medio Templi pronao iterum ſuſpenſum. Dum verò elevabatur præfatus Archiepiſcopus Nazianzenus hymnum *Te Deum* præcinuit, & circa hymni finem elevato jam vexillo S. Imaginem thure adolevit, cantatoque verſiculo, *Ora pro nobis S. Pie &c.* ejuſdem Sancti Pii cecinit orationem; qua ſolenne hujuſmodi triduum in honorem Sancti Pontificis abſolutum eſt.

Cæterum octiduæ etiam Feſtivitates, vexillorum geſtationis occaſione celebratæ ſunt ſubinde in Eccleſia S. Andreæ de Valle pro Sancto Andrea Avellino, & in Eccleſia Conceptionis B. M. V. FF. Ordinis S. Franciſci Capuccinorum, pro Sancto Felice, ſupradictis cœremoniis adhibitis in delatione Vexillorum, Cardinalibus Thomaſio, & Caſino in eiſdem Eccleſiis operantibus, ac utrobique habita Cappella Cardinalitia, prima Octidui die, illuminationibus in ſero, & feſtis ignibus in Sanctorum illorum honorem collucentibus, ac maximo, ſplendidiſſimoque illarum Eccleſiarum apparatu.

DIS-

DISSERTATIO

De Oblationum in Missa Canonizationis Sanctorum Mysteriis.

CUm oblationum, quæ Summo Pontifici in Missa post Canonizationem Sanctorum fiunt, Mysteria alii aliàs jam abundè retulerint, hujusmodi argumentum sicco calamo credideram transiliendum; verùm illorum, quibus non parere nefas est, auctoritate compulsus, perbrevem hoc in loco tradere curavi eorumdem explanationem; præmittens, compendiariam quidem, sed necessariam Offertorii, & Oblationis notitiam.

CAP. I.

De Offertorio.

AB Offertorio Missæ divina incipiunt Mysteria; incipiunt christiana [1] immensæ profunditatis Sacramenta, quibus olim non Infidelibus, sed Fidelibus tantummodo communicantibus patebat aditus; seclusis enim non communicantibus, [2] & Catechumenis, qui credebant in Jesum, sed Jesus [3] nondum credebat semetipsum eis, Mysteria ordiebantur. Hinc illa duplicis Missæ orta est partitio; prima [4] ab Introitu ad peractam usque Christianæ Fidei professionem: altera ab Offertorio usque ad Communionis Collectam, communiter *Postcommunio* appellatam.

Initium sumit Offertorium post Symbolum Fidei, & populi salutationem, scilicet *Dominus vobiscum*, à sequenti verbo *Oremus* dicto à celebrante; quod his versibus apprime complectitur Hildebertus Episcopus Cenomanensis. [5]

Sic confessa fidem pia plebs orare monetur,
Ut sit in hac stabilis, insuper aptet opus:
Effectum spondet Chorus, Offertoria cantans,
Tamquam si dicat, credo, fatebor, agam.

Hæc ferè eadem tradiderunt [6] Amalarius, [7] Walafridus, [8] Micrologus, [9] Rupertus, [10] & Innocentius; scilicet Euangelium sequi fidem in corde, laudem in ore, & fructum in opere. Fides enim in Symbolo est, laus in Offertorio, & fructus in Sacrificio.

Offertorium itaque est versus psalmorum, qui cantatur post monitionem Sacerdotis ad orandum, *Oremus*. Sacri Expositores apud Pamel., [11] institutum credunt à S. Cœlestino Papa, & ex illis Sigebertus, quem sequitur Martinus Polonus, [12] de Cœlestino scribit in hæc verba: *hic constituit ut Psalmi David ante sacrificium canerentur antiphonatim ex omnibus, quod ante non fiebat, nisi tantùm Epistola B. Pauli, & Sanctum Euangelium recitabatur. Ex hoc instituto excerpti ex psalmis Introitus, Gradalia, Offertoria ante Sacrificium, communiones* (sic enim MSS. Codices pro *communionis*) *inter communicandum, cum modulatione ad Missam in Ecclesia Romana cantari cœperunt.* Radulphus tamen Tungrensis, apud ipsum Pamel. (13) latius scribens, inquit: *Cœlestinus I. Natione Romanus, qui cœpit anno Domini 418., in ordine XLI. constituit, ut Psalmi David C. & L. ante Sacrificium canerentur antiphonatim ex omnibus, quod ante non fiebat, nisi tantùm Epistola B. Pauli, & Sanctum Euangelium recitabatur. Ex hoc instituto excerpti de Psalmis Introitus, Gradualia, Offertoria ante Sacrificium, Communiones inter communicandum* (qui ritus tamen ab Ecclesia recessit) *cum modulatione ad Missam, in Ecclesia Romana cantari cœperunt, secundum Sigebertum, & alios in Chronicis. Non autem intelligendum quod Cœlestinus primò introduxit psalmos dici particulatim ante sacrificium; imò ab initio diù ante eum à Patribus sunt servati.* Et post pauca; *quoties igitur idem à diversis constitutum reperitur, intelligi debet, quòd posterior constitutum, vel observatum à prioribus, vel innovavit, vel authorizavit, vel emendavit, declaravit, publicavit, aut quid simile fecit.* Ex his asseri potest, S. Gregorium I. post Cœlestinum, ordinem Offertorii accuratiùs disposuisse, ut in suo Antiphonario, cantumque ejusdem instituisse in signum alacritatis, quo delatæ, seu deferendæ oblationis læta largitio, nec non offerentis probaretur hilaritas; juxta illud: *Hilarem enim datorem diligit Deus*, [14] Et juxta S. Tho. [15]. Ad nos

[1] *[illegible] Observ. ad Rit. Eccl. Laudun. pag. 464.* [2] *Microlog. de Eccl. Observ. cap. 51.* [3] *S. Aug. Tract. 11. in Jo. tom. 3. part. 2. pag. 375. edit. Paris.* [4] *Quart. Rubr. Miss. Rom. pag. 12.* [5] *In Carmin. de Myster. Miss. pag. 1138. edit. Paris.* [6] *De Off. Eccl. lib. 3. cap. 19.* [7] *De Reb. Eccles. cap. 1.* [8] *De Eccl. Obser. cap. 10.* [9] *De Div. Offic. lib. 1. cap. 2.* [10] *De Myst. Miss. lib. 2. cap. 53.* (11) *Liturg. Tom. 1. pag. 554. & seq.* [12] *Ad annum 416.* [13] *Ibidem, in Obser. can. c. 23.* [14] *2. ad Cor. cap. 9.* [15] *P. 3. quæst. 83. art. 4.*

nos profluxisse cantum Offertorii à Judæorum consuetudine probat S. Isidorus (1) his verbis : *Offertoria , quæ in Sacrificiorum honore canuntur* , [2] *Ecclesiasticus Liber inditium est, veteres cantare solitos, quando victimæ immolabantur . Sic enim porrexit Sacerdos manum suam in libatione, & libavit de sanguine uvæ, & fudit in fundamentum Altaris odorem divinum excelso Principi . Tunc exclamaverunt filii Aaron in tubis ductilibus, & sonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Domino . Non aliter, & nunc in sono tubæ , idest vocis prædicatione cantus accendimur simulque corde , & opere laudes Domino declamantes, jubilamus in altum , in illo scilicet vero sacrificio , cujus sanguine salvatus est mundus .* Et hoc confirmat [3] Amalarius dicens : *Finitis prioribus Officiis superius memoratis officium introducitur, in quo celebratur oblatio eorum, qui Domino vota sua persolvunt . Docti sumus veteri Testamento, pro quibus offerre debeamus sacrificia &c. Interim cantus celebrabatur in Templo Domini, dicente Scriptura* ; (4) *Constituit quoque Levitas in Domo Domini cum Cymbalis , & Psalteriis, secundum dispositionem David .* Et paulo post : *Cumque offerrentur holocausta cœperunt laudes cantare Domino, & clangere tubis , atque diversis organis, quæ David Rex præceperat concrepare. Omni autem turba adorante, Cantores qui tenebant tubas erant in officio , donec compleretur holocaustum . Cumque finita esset oblatio incurvatus est Rex , & omnes qui erant cum eo, & adoraverunt .*

Per Offertorium autem designantur bona opera Domino offerenda, ne fides in Symbolo professa mortua sit ; non enim sufficit ad salutem sola fidei professio , nisi bonis operibus comprobetur . Interim notandum, sacros quosdam Expositores *Offertorium* confundere cum *Offerenda* , quamquam non modicum revera sit inter utrumque discrimen ; *Offertorium* enim propriè est *versus*, qui canitur tempore oblationis , & *offerenda* ex ipso verbo , est panis , & vinum cum aqua præparata, sic dicta ab offerendo per Sacerdotem sacrificio . At meum non est hîc quæstionem de hoc instituere ; ideoque ad oblationem , quæ fit dum cantatur Offertorium, ex instituto procedam .

CAP. II.

De Oblatione, quid sit , & quotuplex .

OBlationem Deo , esse donum aliqui dixerunt, quia offerre idem est, quod donare . Græci , ut legitur in Liturgia S. Joannis Chrysostomi offerendo dicunt ; τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν : idest , *tua ex tuis tibi offerimus* . Nos obsequium internum simul & externum erga Deum oblationem esse, ex Concilio Matisconensi II. sub Pelagio II. celebrato, arbitramur; Etenim in eo sic legitur : *Residentibus Nobis in Sacro Concilio cognovimus quosdam Christianos , relicto fratrum cœtu, à mandato Dei aliquibus locis deviasse , itaut nullus eorum legitimo obsecundationis parere velit officio Deitatis , dum sacris Altaribus illam admovent hostiam . Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur, tam panis, quàm vini, & per has immolationes, & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel ceteris justè offerentibus promereantur esse consortes .* Ubi notandum internam Abelis erga Deum intentionem, qua ejus acceptum fuit sacrificium, & externum in victima obsequium .

Porrò oblationes à Deo fuerunt demandatæ, cùm per Moysen dixit : (5) *Non apparebis in conspectu meo vacuus .* Et præcipiens quod omne masculinum ter in anno in conspectu suo compareret, ait : *Non apparebit ante Dominum vacuus , sed offeret unusquisque secundum quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dedit ei .* Et ipse Christus eas comprobavit dicens : *Si offers munus tuum ad Altare,* [6] *& ibi recordatus fueris , quia frater tuus habet aliquid adversum te , relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo , & tunc veniens offeres munus tuum .* Oblationes ab oblationibus secernentes Apostoli, vel saltem Apostolici Patres , ea videlicet munera, quæ Altari quidem offerebantur, & incruento Sacrificio, ac Altari congruebant, ab iis, quæ ad Sacerdotes , Diaconos, & reliquos de Clero pertinebant, ita sanxerunt in Canonibus Apostolicis , vel qui saltem eis tribuuntur : (7) *Si quis Episcopus, aut Presbyter, præter ordinationem Domini alia quædam in sacrificio offe-*

rat

[1] *De Offic. Eccles. cap.14.* [2] *Ecclesiast. 50. 16.* [3] *De Eccles. Off. lib.3. cap.19.* (4) *Paralip. cap.29. & Eccles. cap.50.* [5] *Exodi 23.* (6) *Matth.5.* [7] *Can. Apost.3. juxta versionem Dionysii Exigui apud Labbe Tom.1. pag.47.*

rat super Altare, idest aut mel aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina contra Constitutionem Domini faciens congruo tempore deponatur.

Et infra: [1] *Offerri non liceat aliquid ad Altare præter novas spicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, idest incensum tempore quo sacra celebratur oblatio.*

[2] *Reliqua poma omnia ad domum primitiæ Episcopo, & Presbyteris dirigantur, non offerantur in Altari. Certum est autem, quod Episcopus, & Presbyteri dividunt, & Diaconis, & reliquis Clericis.*

Quamobrem Walafridus Strabo [3] in hanc rem ait: *Dum ergo quædam probibentur offerri, ostenditur ea à quibusdam (licet extraordinariè) oblationibus adhibita. Unde Eutychianus XXVIII. Sedis Romanæ Præsul constituit, fruges super altare tantùm fabæ, & uvæ benedici. Et hæc idcirco fortasse, quia vino sanguinis Dominici mysterium celebratur; faba vero abstinentium cibus est.*

Et apud DD. Burchardum, (4) & Ivovem idipsum statuit Melchiades PP., inquiens post ea, quæ non licebat offerri super Altare: *Fabæ tantùm, & uvæ, novæ spicæ, & oleum, & odoramenta ad incensum, & cætera quæ Apostoli constituerunt super Altare offerantur.*

Reddita tamen per Magnum Constantinum Ecclesiæ pace, constructisque ipso Cæsare exemplum præbente, per universum Orbem Ecclesiis, adeò indiscriminatim auctæ sunt oblationes Altari, ut nemo, si aliquid non offerret, non verecundaretur, quare S. Hieronymus ad Heliodorum scripsit: (5) *Clerici pascunt oves, ego pascor: illi de Altario vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori, securis ponitur ad radicem, si munus ad Altare non defero; nec possumus ostendere paupertatem, cum in Euangelio anum viduam duo, quæ sola sibi supererant æra, mittentem laudaverit Dominus.*

S. Augustin. ait: (6) *Oblationes, quæ in Altario consecrentur offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit.*

Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum (7) respondit: *Igitur cùm in prælium proficisci disponitis, quod ipsi commemorastis, agere in Dei nomine non omittere, idest ad Ecclesias ire, Orationes peragere peccantibus indulgere, Missarum solenniis interesse, oblationes offerre &c.*

Sanctus Gregorius VII. *Omnis Christianus*, ait, *procuret ad Missarum Solennia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam quod Dominus per Moysem dixit*, non apparebis in conspectu meo vacuus. (8) *In Collectis SS. Patrum liquidò apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid ex usu SS. Patrum debent.*

Advertendum tamen (ut inquit Card. Bona [9] *Oblationis* nomen æquivocum esse; Omnes siquidem Oblationes hujusmodi fiunt Deo, sed non ad eumdem effectum: aliæ enim sunt rerum spiritualium; aliæ corporearum, & materialium, quæ tamen ad incruentum pertinent sacrificium, & quia sunt materia Sacramenti super Altare offeruntur. Aliæ inter Missarum Solennia Altari inferuntur, sed à Sacrificio sunt alienæ: aliæ sunt ipsa munera, quæ non Altari, sed Ecclesiæ, & extra Missam offeruntur, & aliquando etiam oblationis appellatione ipsum sacrificium Deo à Sacerdote oblatum intelligitur.

Primi generis præcipuè sunt, quæ prodeunt ex pinguedine Charitatis erga Deum; *Debent enim Fideles*, juxta doctrinam Petri Cirveli [10] *offerre Deo principaliter personas suas, deinde munera sua cum gaudio. Unde quamdiù Sacerdos munera à Populo recipit canitur Offertorium.* Et paulò infra: *Omnis Christianus Officio Missæ assistens tenetur de præcepto offerre Deo aliquam oblationem spiritualem, scilicet interiorem voluntatem actualem, vel habitualem, aut saltem virtualem, qua se ipsum exhibeat promptum, & obedientem divinis præceptis, & recognoscat se subjectum Deo, sicut Domino suo.* Quare & Bellot. (11) inquit: *Quisquis igitur in offerendo, Sacerdotem æmulari voluerit, discat & cum Sacerdote ita munus suum offerre, ut se quoque in Sacrificium offerat, atque adeò talis sit, qui cum eodem immolatam hostiam referre possit.* Alcuinus [12] ad rem apprimè concludit: *Omnis populus oblationi insistere jubeatur, dum oblaturi intentionem suam offerunt, quatenus illorum oblatio accepta sit Domino.*

Secundi generis sunt Oblationes panis, vini, & aquæ, quæ in antiquis Sacris Romanis Ordinibus à dicto Melchiore Hittorpio, Coloniæ editis, recensentur. In primo enim Ordine apud ipsum, (13) habetur; Inte-

[1] *Ibid. can.4.* [2] *Ibid. can.5.* (3) *Libro de Reb. Eccles. cap.18.* [4] *Burch. decret. lib.5. cap.7. Ivo par.2. cap.17.*
(5) *Tom.4. part.2. pag.10. edit. Monach. Paris.* (6) *Serm. de Tempore 215. seu alius antiquus Scriptor Serm.265. in Appendice Tom.5. operum S. Augustini edit. Paris.* [7] *Cap.35.* [8] *De Consecr. cap. omnis Christianus.*
[9] *Rer. Liturg. lib.2. cap.8. n.5. in fin.* (10) *In Expos. Lib. Missal. cap.12. pag.36. col.4.* [11] *In Observ. ad Ritus Laudunen. pag.471. col.2.* [12] *Lib. de Divin. Offic. cap.40. de celebratione Missæ pag.1101. edit. Paris.*
[13] *Pag. 3. col.2. §. Deinde salutat.*

*Interim Cantores cantant Offertorium cum versibus, & populus dat Oblationes suas, idest panem, & vinum, & offerunt cum * fanonibus candidis, primo masculi, deinde fœminæ; novissimè verò Sacerdotes, & Diaconi offerunt, sed solum panem, & hoc ante Altare. Subdiaconus verò cum calice vacuo sequitur Archidiaconum ... Archidiaconus suscipit post eum * amulas, & refundit in calicem majorem, tenente eum Subdiacono, quem sequitur cum * scypho super * Planetam Acolythus, in quem calix impletus refunditur.* Et paulò infra de aqua; *deinde descendit Subdiaconus sequens in Scholam, & accipit * fontem de manu * Archiparaphonistæ, & defert Archidiacono, & ille ex * amula infundit, faciens * Crucem in Calice &c.* Fusius apud ipsum Hittorpium (1) *Pontifex autem sustentatus hinc inde dextra, lævaque à Primicerio * Notariorum, * & Defensorum descendit ad * Senatorium, quod est locus Principum, ut suscipiat Oblationes eorum. Archidiaconus verò post eum * amulas suscipit, & in Calicem majorem, quem Subdiaconus Regionarius sequens portat, vacuum refundit, qui cùm fuerit impletus refunditur in * Scyphum, quem ibi tenebit sequens Acolythus. Oblationes vero Principum Subdiaconus Regionarius à Pontifice suscipit, ac sequenti Subdiacono porrigit, & ipse in Sindonem, quam tenent duo Acolythi, eas ponit. Sed Episcopus hebdomadarius suscipit post Pontificem oblationes reliquorum, quas ipse manu sua mittit in Sindonem, quæ sequitur eum, post quem Diaconus sequens * amulas suscipit, & in Scyphum manu sua post Archidiaconum eas refundit. Similiter transiens Pontifex in partem matronarum explet omnia, ut supra &c. Archidiaconus autem stans ante Altare lavat manus suas expleta susceptione &c. Tunc accipens per Subdiacones oblatas hinc inde porrigentes eas, ponit tantas super Altare, quantæ possint Populo sufficere. Composito igitur Altari &c., & ornato, Archidiaconus deinde sumit amulam Pontificis,* (Pontifex offerebat amulam vini) *de Subdiacono oblationario, & refundit in Calicem super * Colatorium, deinde Diaconorum, ac deinde Primiceriorum, & Secundiceriorum, postea autem Subdiaconus sequens descendit in Scholam, & accipit fontem* (idest *aquam*) *de manu Archiparaphonistæ, ac defert ad Archidiaconum, & ille infundit faciens Crucem in Calicem &c. Tunc Pontifex surgens à Sede descendit ad Altare, & salutat Altare, & suscipit oblatas de manu Presbyteri hebdomadarii, & Diaconorum, atque Primiceriorum. Deinde Archidiaconus suscipit oblatas Pontificis ..... atque cum * offertorio in cornu Altaris posito, involvens per ansas calicem stat post Pontificem.* Divina enim tunc Sacramenta suscipiebant Fideles sub utraque specie, & fuit hujus oblationis apud priscos Antistites tanta religio, ut eam Synodicis decretis sanciendam non dubitaverint, prout legitur in laudato Matisconensi Concilio II. [2] hìc necessariò repetendo; *propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur, tam panis, quàm vini &c.* Hoc idem legitur in Sacramentario S. Gregorii apud Pamelium [3]. Et habentur ejusdem oblationis duo celeberrima exempla in Theodosio Imperatore, [4] celebrante Ambrosio, & in Valente, celebrante Magno Basilio [5]: Moremque sacræ oblationis comprobat zelus minimè reticendus Sancti Cypriani, divitem fœminam increpantis his verbis; (6) *Locuples, & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis, quæ in Dominicum sinè sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?*

Tertii generis sunt ea munera, quæ ad sacrificium quidem pertinebant, sed non erant Sacrificii incruenti materia; iis enim non conficiebatur Sacramentum, videlicet Incensum, Thymiama, Cerei, Oleum ad luminaria, Candelabra, Calices, Scyphi, Amæ, Amulæ, & cætera alia vasa, & supellectilia Sacra, de quibus Ordo Romanus prædictus apud Hittorpium, & Anastasius Bibliothecarius in Vita S. Silvestri Papæ, Joannis II., ac aliorum Summorum Pontificum.

Quarti generis sunt omnes frugum, & armentorum primitiæ, quæ Sacerdotibus, & Clericis debebantur, & in Ecclesias, sive in domos eorumdem inferebantur.

Quinti generis, inferebantur ad pedes Summorum Pontificum, sive in pecunia, sive in aliqua alia re, cujus tanta olim fertur fuisse copia, ut annua triginta nummûm aureorum millia excederet, quæ juxta confessionem, & Altare B. Petri erogabantur. [8] Ad hoc genus etiam pertinent Possessiones, Census, & cætera hujusmodi, quæ à Fidelibus Ecclesiæ offeruntur, sive ultimis tabulis, sive alia quavis donatione, sive ad pauperum, sive ad Ecclesiasticorum sustentatio-

---

* *Verba asterisco notata capite ultimo illustrantur.* [1] *In ordine 4. p.17. col.2.* [2] *Cap.4.* [3] *Tom.2. fol. 178.*
[4] *Niceph. Hist. Eccl. lib.12. cap.4. pag. 645.* (5) *Theodoret. lib.4. cap.17. & lib.5. cap. item 17.*
[6] *In Lib. de Opere, & Eleemosynis pag.203. edit. Oxonien.* [7] *Severan. de VII. Urbis Eccles. par.1. pag.171.*
[8] *Pet. Manlius, & Paul. de Angelis de Basil. Vatic. c.40. & seq.*

tationem ; vel ad laudabilia Defunctorum ſuffragia .

In hiſce duobus poſtremis oblationum generibus non eſt cur immoremur ; de illis enim latè Doctores , & præcipuè Pirhing. [1]

De primi generis oblatione , quia eſt actus ſpiritualis internus , à Chriſtifidelibus ſaltem virtualiter fieri piè credendum.

Oblationes ſecundi generis , quæ à populo fiebant communionem Fidelium ſub utraque ſpecie reſpicientes , paſſim per Eccleſias deſierunt ; quo tempore autem deſierint incertum ; illud certum , loco panis Populum obtuliſſe farinam, cui deinde ſucceſſit oblatio pecuniæ . Tempore enim Honorii Auguſtodunenſis , ſæculo nimirùm XII., ſtatutum fuerat, ut inquit ille,(2) *ut populus pro oblatione farinæ denarios offerrent ..... qui tamen denarii in uſum pauperum .... cederent , vel in aliquid, quod ad hoc ſacrificium pertineret* . Cui conſonat B. Petrus Damiani (3) inquiens, ſibi *Myſteria celebranti Uxores Principum, Ducis* [ſcilicet Gothifredi] *& Marchionis , Byzanteos* obtuliſſe.

Hujuſmodi Olationum ſecundi generis perſeverat adhuc umbra in Metropolitana Eccleſia Mediolanenſi , in qua , cantata à Celebrante ſuper Sindonem Oratione, duo Senes ex parte virorum, vulgò *Vecchioni* de Schola, quam vocant S. Ambroſii , ſuper parvo diſco offerunt tres hoſtias , & amulam argenteam vino plenam : & ſubinde eodem ritu ex parte Mulierum offerunt eadem duæ ſeniores, vulgò *Vecchione* , quæ ſicuti & ſenes de cenſu Eccleſiæ piè , & caſtè vivunt .

Romana tamen Eccleſia non ejuſdem ſecundi generis antiquarum oblationum veſtigia ſolùm, ſed ex parte etiam tertii generis earumdem typum indeſinenter retinuit . [4] Etenim in Canonizatione Sanctorum , Conſecratione Electi in Epiſcopum , & Benedictione Abbatis offeruntur panis , vinum, & aqua , nec non intorticia ceræ albæ accenſa . [5] Ita offeruntur candelæ in collatione omnium ordinum Eccleſiaſticorum, & in Virginum benedictione ; & hæc poſtrema ſunt tertii generis .

Sic etiam offert ſtatis Solennitatibus Populus Romanus per Senatorem, & Magiſtratum ſuum ad Altaria præcipuarum Eccleſiarum Urbis Patenas, Calices , & intorticia , ſicut & offerunt alii Magiſtratus non diſſimilia ; Pro quinti generis oblatione offerunt Reges , & Reginæ in ipſorum coronatione aurum , quantum volunt in ſuæ ſignificationem potentiæ ; ſic in pagis , & oppidulis, de quo erubeſcere deberent Cives in Urbibus degentes , Ruſtici offerunt Sacerdoti eam , quam poſſunt pecuniam , memores quod quicquid homo habet Dei donum eſt, & propterea Deo reddit .

Demum, ut ad rem noſtram propiùs accedamus,offerunt, & quidem ſpecioſiſſimè, Sanctorum Canonizationis Poſtulatores veſtes ſacras pretioſiſſimas , & Pontificalia ornamenta, ſacra ſupellectilia , & quidem dum cantatur Offertorium in Miſſa Canonizationis, ſingularia , & myſterioſa munera offerunt Summo Pontifici , videlicet prægrandes Cereos , arabicè pictos , ut latiùs infra ; panes magnos, auro unum , argento alterum, obductos ; doliola vini , & aquæ, inauratum unum ; alterum , ideſt aquæ, argento illitum ; licet aliquando illorum errore, qui veluti omnium poſtulatores, univerſam in ſe , & à ſe omnium parandorum provinciam ſuſceperunt , has oblationes indiſtinctè auro tantùm profuſas fieri curarunt . Caniſtra item ſimiliter auro , & argento undequaque renitentia , in quibus turtures, columbæ, & aves variæ , de quarum forma , & ceremoniis ſupra in Actis præſentis Canonizationis egimus ſatis .

De horum ergo donorum , ſeu munerum Myſteriis, ut revertamur, unde ab initio forſan nimis longè diſceſſimus , in præſentiarum agendum à nobis eſt.

CAP. III.

De Cereorum oblatione , & eorum Myſteriis .

DIſtincta ſatis narratione in Actis proximæ Canonizationis oſtendimus ſolennis oblationis formam : nunc primo de Cereorum oblatorum myſteriis agendum .

Myſteria propriè arcana ſacra vocantur; *ſecluſa* Latini dicebant, teſte Feſto , quod Profani ab illorum inſpectione ſecludebantur, unde illud Maronis :

Procul, o procul eſte profani,
Conclamat vates, totoque abſiſtite luco .

Nos Myſteria dicimus illa, quæ docuit B. Dionyſius Areopagita , (6) his verbis : *Quapropter primitiva illa rituum Sacrorum inſtitutio Sanctiſſimam noſtram Hierarchiam, ſupermundana cœleſtium Hierarchiarum imita-*

[1] *De Jure Canon. Tom.3. lib.3. tit.30. n.179.* [2] *In Gemm. Anim. lib.1. cap.66.* [3] *Lib.5. Epiſt.13.*
(4) *Rubr. Pontif. Roman.* [5] *Rubr. ejuſd. Pontif.* (6) *De Cœleſti Hierarchia cap.1.*

tatione dignam censens, prædictas immateriales hierarchias, materialibus figuris, & formativis compositionibus variegando transcripsit, ut pro nostra cum illis proportione à sacratissimis fictionibus ad simplices figurarum expertes anagogas, & similitudines evehamur. Illa siquidem fidem augent, spem confirmant, & veram inter nos magis excitant charitatem, quibus omnibus magis, magisque in divinorum transferimur amorem. Propterea in Ecclesia nullæ ceremoniæ sinè alicujus institutæ fuerunt mysterii significatione, dicente Scriptura: [1] *In thesauris Sapientiæ significatio disciplinæ*. Unde nullæ sunt res, nullus locus, nulla persona, nulli gestus divinis ministeriis adhibiti, quin habeant alicujus mysterii repræsentationem. Ita Cerei suis non carent mysteriis.

Sanè Cereorum usum in Ecclesia antiquissimum esse, & non minus quàm Acolythorum institutionem, seu Ceroferariorum, quorum munus erat accensos ferre cereos, dignoscitur ex iis, quæ narrat Baronius [2]. Cereos accendi consuevisse ad Martyrum sepulchra scripsit B.Hieronymus adversùs Vigilantium: etiam sub Ethnicis Imperatoribus, qui Ecclesiam ipsam populabantur, hoc in more positum fuisse refert Prudentius in Hymno S. Laurentii, in persona Tyranni canens:

Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

Eumdem cereorum usum similiter innuit Paulinus, dum cecinit (3).

Ast alii pictis accendunt lumina ceris.

Ex quo etiam antiquus ritus pingendi cereos deducitur, qui apud nos usque adhuc perennat.

Deinceps etiam in Ecclesia cerei adhibiti sunt, & ad eos exhibendos Auctor Sermonis S. Augustino tributi [4] Fideles hortatur his verbis, *qui possunt, aut Cereolos, aut oleum, quod in Cicindilibus mittatur, exhibeant*.

Hæc de veteri, cereorum usu, quod autem ad significationem attinet; Cera humanitatem Christi designat juxta Amalar. (5) Similiter Cerei, quia ex cera fiunt, humanitatem ejusdem præfigurant. *Cera* [inquit Amalarius] *humanitatem Christi designat. Unanimitatem significationis vult habere Cereus iste*.

Ad rem faciunt verba S. Fulberti Carnotensis, qui undecimo seculo à Christi nativitate floruit, [6] in Sermone ad Populum de Purificatione Beatæ Mariæ; *Volumus*, inquit, *vobis breviter exponere, Fratres, unde cœpit Solennitas Purificationis, quam hodie celebratis, & quid significant Cerei, quos Vos offertis* [tunc temporis non solùm Fideles Cereos in processione accensos gerebant, sed in Missa eosdem ad Altare offerebant]. Et infra: Christum in Cereo accenso docet nos oportere meditari. *Per lumen Cerei, divinitatem Christi; per ceram significantes carnem ipsius Virginalem, apis enim, & ceræ, & mellis opifex, sinè coitu maris, & fœminæ procreatur*. Latiùs, clariùsque rem hanc exposuit, & de Christo, & de Fidelibus Petrus de Natalibus Episcopus Exquilinus (7) de Purificatione B. M. Virginis: *Tertiò*, inquit, *propter mysticam significationem & in capite, & in membris. In capite enim candela accensa Christum significat, in cereo enim tria sunt, quæ denotant tria, quæ in Christo fuerunt. Nam Cera, quam apes gignunt sinè commixtione, significat carnem Christi natam de Virgine sinè corruptione; lychnum in cera latens significat animam candidissimam in carne latentem. Ignis vero, sive lumen significat divinitatem quia Deus noster ignis consumens est. In membris verò, quia per hoc instruimur quomodo coram Deo purificari debemus, ut scilicet habeamus fidem veram, actionem bonam, & intentionem rectam*.

Jure merito itaque offeruntur Cerei humanitatem Christi significantes ad designandum eos, qui in Sanctorum album referuntur præ oculis semper Christum in gestis suis habuisse, insignitosque fuisse fide vera, actione bona, intentione recta.

Non est hæc unica Cereorum oblatorum mystica significatio: quamplures ab aliis Sanctis Patribus, Sacrisque Scriptoribus adnotantur.

Cera, ex qua Cerei, quia ex fructu fit apium, quæ virginalem custodiunt integritatem, quamvis pariant, castitatem in primis signat, quæ in Sanctorum numerum novissimè relatis mirabiliter eluxit, habentibus lumbos præcinctos, & lucernas ferentibus in manibus; præcipuè tamen castimoniæ Sacerdotalis est Symbolum ex Bellot., (8) qui ait S.Ambrosium (9) Sacerdotes apibus castimonia comparasse his verbis, *rectè comparantur apibus Sacerdotes, quia sicut Apes*

[1] *Ecclesʃ.1.* [2] *Ad annum* 58. [3] *In Natal.6. S. Felicis.* [4] *Serm.265. in App.Tom.V. part.2.* [5] *De Eccles. Offic. lib.1. cap.18.* [6] *Bibl. Patr. Lugdunen. tom.18. pag.37.* [7] *Lib.3. Catal. Sanctorum cap.72.* [8] *In Observ. ad Rit. Eccles. Laudunen. pag.734. col.2.* [9] *Tom.5. pag.102. edit. Roman. Serm.83.*

Apes, castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cœlestis exhibent, aculeum legis exercent.

In cereis oblatis lux etiam designatur, quæ in operibus Sanctorum, dum inter mortales agunt, coruscare debet; Etenim Sancti sic in terris conversantur, ut ubique lucem bonorum operum diffundant, juxta illud Matthæi V. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Lucerna est enim homo qui bene operatur*, ut docet S. Augustinus, (1) qui ibidem subdit: *Quod autem candelabrum? mihi autem absit gloriari nisi in Cruce D. N. Jesu Christi; qui ergo secundùm Christum facit, & propter Christum facit, ut non glorietur nisi in Christo, Candelabrum est*.

S. Hieronymus (2) docuit similiter per cereos, vigilantiam, & solicitudinem in bonis, & sanctis operibus repræsentari, ut scilicet Christo Domino tamquam Sponso, sicut Virgines prudentes, cum lampadibus occurramus, & hinc Rabanus Maurus (3) de Hypanti scripsit: *Cuncti cereos in manibus gestant ardentes non utique in lustrationem terrestris Imperii quinquennem, sed in perennem Regni Cœlestis memoriam, quando juxta parabolam Virginum prudentum omnes electi lucentibus bonorum operum lampadibus obviam Sponso, & Regi suo venientes mox cum eo ad nuptias supernæ Civitatis intrabunt*. Et Amalarius (4) ait: *Hoc est cereos accensos in manibus portare in* ὑπάντη, *quod est in præsentatione sui unumquemque secum habere opera sua, in quibus clarus, & lucidus appareat Cœtu Sanctorum Angelorum*.

Oblati sunt ergo in Canonizatione Sanctorum Cerei Deo, in manibus illius in terris Vicarii, in honorem Sanctorum, quorum lux coram hominibus luxit, & visa sunt opera eorum bona.

Æquè bene alii putarunt in lætitiæ signum cereos accendi, S.Hieronymo adversùs Vigilantium asserente, quod *per totas Orientis Ecclesias quando legendum est Euangelium accenduntur lumina jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum*. Hæc eadem confirmat Isidor. (5) in verbo *Acolythi*, addens luminaria, quæ ab eis deportantur signum esse lætitiæ, quatenus sub typo corporalis luminis, lux illa in memoria habeatur, de qua dicitur, *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Idem habet Alcuin. [6] & Concil. Aquisgr. I. [7], cui accedit Durand. [8] *In cornibus*, inquit, *Altaris duo sunt candelabra constituta ad significandum gaudium duorum populorum de Christi Nativitate lætantium, quæ candelabra mediante Cruce faculas ferunt accensas*.

Sed & Judæi in lætitiæ signum suas accendere lucernas, cùm aliquam agerent celebritatem, consueverunt, canente Persio, ubi agit de Natali Herodis Regis: (9)

At cùm
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino.

Nec modò in lætitiæ signum lumina proferuntur, sed etiam Religionis causa; in obsequium enim Martyrum Cerei etiam accendebantur teste Hieronymo adversùs Vigilan., (10) non quidem ad Martyres illuminandos, ut exprobrabat Vigilantius, sed ad pium religionis cultum.

Eadem itaque etiam ratione in tanta Canonizationis celebritate cereos offerimus, & innumeris facibus accensis Vaticanam illuminamus Ecclesiam, cùm in lætitiæ signum, tùm in honorem Sanctorum Canonizatorum, atque etiam ad ostendendum, (11) *Sanctos illos, ante quorum Imagines cereos accendimus luxisse, dum viverent, velut lumina in hoc mundo; nunc verò ex isto loco caliginoso eosdem pervenisse ad locum claritatis æternæ, ubi Agnus, qui in medio throni est, eos illuminat*.

CAP. IV.

De Panis, Vini, & Aquæ Oblatione, eorumque mysticis significationibus.

EXpensis variis, & multiplicibus cereorum in solenni Canonizatione Sanctorum oblationis mysterii significationibus, transeundum juxta ordinem ejusdem oblationis ad alteram Panis, Vini, & Aquæ, quæ, quia ad unum simul, & unicum pertinent sacrificium, sub unico capite veniunt expendenda.

Ne-

[1] *Ser.338.in dedicatione Ecclesiæ to.V.par.2.pag.1307.* [2] *In Epist.46.ad Marcellam Tom.4.pag.554.edit.Paris.* [3] *De Instit.Cleric.lib.2.cap.33.* [4] *De Ecclesiast. Offic.lib.4.cap.33.* (5) *Lib.7.Etymolog.cap.12.* [6] *De Divin. Offic. cap. de Tons. Cleric.* [7] *Cap.5. Tom.7. Conc. Labb. pag.1315.* (8) *Rational. lib.1. cap.3. n.27.* [9] *Satyr. 5.* [10] *In Epist.37. ad Ripar.* [11] *Molan. in Hist. Sanct. Imag. lib.2. cap.41.*

Nemo quidem ignorat eminentem Panis, Vini, & Aquæ præſtantiam, non tantùm ob ea, quæ vitam hominis temporalem, ſed etiam quæ ſpiritualem reſpiciunt. Spiritus Sanctus, [1] *Initium*, inquit, *vitæ hominis, Panis, & Aqua*.

Porrò prætermittens plura, quæ de *aquæ* uſu in Sacris, ejuſque ſignificatione apud Ethnicos dici poſſent, velut ea, quæ habet Ovidius [2].

An quia cunctarum contraria ſemina rerum
Sunt duo diſcordes ignis, & unda Dei;
Junxerunt elementa Patres, aptumque putarunt
Ignibus, & ſparſa tangere corpus aqua?

Nec non omittens, quod in more erat poſitum apud Iſraelitas, juxta præceptum Numer. cap.31. *Quicquid autem ignem non poteſt ſuſtinere, aqua expiationis ſanctificabitur*; & Ezechiel. cap.36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*. Dicam tantùm in novo Teſtamento occaſione aquarum, & in aquis D. Noſtrum Jeſum Chriſtum divinitatem ſuam voluiſſe manifeſtari, cùm invitatus ad nuptias aquam in vinum convertit, & cùm ſuſcepto à Joanne Baptiſmate conſecravit fluenta Jordanis, ſuumque ſimul purificavit Baptiſtam. Sic enim ſermocinabatur S. Maximus Epiſcopus, (3) inquiens: *Per hæc ergo miracula Chriſtus Dominus Redemptor noſter oculis ſe voluit revelare mortalium, quatenus inviſibilis ejus divinitas, quæ latebat in homine, in opere non lateret*.

Et B. Joannes (4) volens oſtendere tres in terra teſtari Chriſtum verum hominem, hanc aquæ ſecundo loco tribuit dignitatem, per ea; *& tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: ſpiritus, & aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt*.

Ad vinum quod attinet, notum eſt frequentiorem ejus, quàm aquæ uſum in ſacris fuiſſe, etſi aliquando aqua libatum in ſacrificiis ſcripſerit Nonnus Panopolita (5) canens ſacrificium Cadmi:

Bovem ſacram odoriferam conſtituens ad aram
Quærebat fontalium aquarum fluxum, ut ablueret
Sacrificantes ſuas manus, libaret verò ſacrificiis,
Sanctam aquam, nondum enim in vino conſitis areis
Pulcher creſcentis apparebat fructus vitis.

Et ideò hoc tantummodo factum cum nondum vini uſus eſſet apud homines. Poſtquam autem Noe primus vineas plantando, ac colendo novo hoc de genimine vitis homines donaverit liquore, ut legimus Geneſ. 9. 20. *Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam, bibenſque vinum inebriatus eſt*, deinceps nullum fermè Sacrum, cui vinum non adeſſet, & in quo vini libationes non fierent. Hæ autem libationes, ſive libamenta, apud Latinos plerumque ſignificabant leves deguſtationes; erant tamen adeò ſacris conjunctæ, ut tum apud illos, cum apud Græcos, *libare* paſſim pro *ſacrificare* ſumeretur. Et harum libationum, teſte eruditiſſimo Scaccho [6] in veterum ſacrificiis numquam finis, nam ſtatim, ac ignis erat accenſus, ante victimæ mactationem frons victimæ vino aſpergebatur; vino fovebatur ignis; vinum thuri jungebatur; ſuper ignem vino madebant exta, & adipes ſacrificiorum, vinumque bibebant ſacrificantes. Affirmant hæc plurima S. Scripturæ loca, & non ſpernendi Autores. Exſtat in teſtimonium poſtremi illius ritus inſignis locus Deuteronom.32. 38., in quo Deus exprobrat Iſraelitis ſacrorum profanorum cultum, in quibus fiduciam habebant, dicens: *Ubi ſunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum?* Homerus deſcribens Neſtoris ſacrificium, oſtendit non ſolùm exta, ſed etiam femora mactatæ hoſtiæ vino iterum, & tertiò perfundi ſolita, inquiens, [7] ἐπὶ δ' αἴθοπα οἶνον λεῖβε, ideſt, *ſuper autem femora vinum libavit*. Et Macrobius lib.7. Saturnal. *pari more*, inquit, &c. *hoſtiarumque cæſarum, quo putrefiat faciliùs, & percoquatur cibus frequentiſſimo irrigant, accipiuntque ſe vino*. Thura vino juncta demonſtrat Ovidius (8).

Da mihi thura puer, pingues facientia flammas
Quodque pio fuſum ſtridat in igne merum.

Sic vino perfundi accenſum ignem cecinit Virgilius [9].

Ter liquido ardentem perfudit nectare flammam,
Ter flamma ad ſummum tecti ſubjecta relucet.

Et frontem aſpergi victimæ idem expoſuit lib.4. Æneid.

Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido

Can-

[1] *In Eccleſ. cap.29.* [2] *Faſtor. lib.4.* [3] *In Homilia 1. de Epiphan.* [4] *Epiſt. 1. cap.5.* [5] *Dionyſiacorum lib.4. à verſ.351.* [6] *In Myroth.2.cap.42.* [7] *Scacch.Myroth.2.cap.42.pag.402.* [8] *Lib.5.Triſtium eleg.5.* [9] *Georg.4.*

Candentis Vaccæ media inter cornua fudit. Quare Ovidius [1] commiseratus vitem à capro corrosam, atque in illum insurgens ait:

Rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aram
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Dicendum tamen, ut ad sacra redeamus, Ethnicos ab institutis Mosaicis sacras has ceremonias suffuratos esse. Legimus enim primos Israelitas hæc adhibuisse in sacrificiis, juxta præceptum Exod. 29. 40. *Hoc est quod facies: Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter offeres*, & vinum *ad libandum*. Item Levit. 23. *Cædetur* [inquit Deus] *Agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini, & libamenta offerentur cum eo; duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, odoremque suavissimum, liba quoque vini quarta pars bin*; hebraicè: ונסכה יין רבעי ההין venischa jajin ravignhi hahin, hoc est, *& libamen illius*, vel, *ad effundendum ei*, scilicet oblationi, *vini quarta pars bin*. Erat autem lex generalis pro omni sacrificio Num. 15. *Cùm ingressi fueritis terram habitationis vestræ, quam ego dabo vobis, & feceritis oblationem Domino in holocaustum aut victimam, vota solventes, vel spontè offerentes munera, aut in solennitatibus vestris adolentes odorem suavitatis Domino, de bobus, sive de ovibus; offeret quicumque immolaverit victimam sacrificium similæ decimam partem Ephi conspersæ oleo, quod mensura habebit quartam partem hin, & vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ dabit in holocaustum, sive in victimam*. Et apertiùs ibidem cap. 28. repetitur: *Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas ista erunt &c.* Et cap. 29. de his sæpissimè agitur, unde perspicuum fit, vinum ad libamen sacrificiis Domini adeò familiare, ut nullum fermè sinè hoc libamine in Lege Mosaica sacrum fieret. Vinum etiam sanguini veteres commiscebant, ut apparet ex Herodiano lib. 5. referente Heliogabali insolentissimos mores, qui *vini quoque veterrimi, & optimi plures amphoras in aris perfundebat, ut rivi excurrerent vini, & sanguinis commixti*. Quod irridet Arnobius lib. 6. his verbis: *Non cæsorum sanguinem animalium damus, non thura, non fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum infusionibus*.

Præterea non est omittendum per ritum libandi non solùm vini prægustationem significari, quæ hostiarum mactationem præcedebat, atque illam vini effusionem, quæ super earumdem hostiarum membra supra ignem in Altari jam posita habebatur, sed etiam alteram vini effusionem, quæ ab Ethnicis, dum ad mensam accubuissent fiebat. Istos enim aliquid poculi Deorum in honorem effundere solitos, vel in terram, vel in ignem, quod religiosius putabant, vel etiam in mare dum navigarent legimus; ut apud Virgilium (2):

Dixit & in mensa laticum libavit honores,

& alibi: (3)

In mensam læti libant, divosque precantur,

ac iterum: (4)

Stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

Hujusmodi autem vini effusiones, & prægustationes in sacris quoquomodo fierent semper erant in suorum Numinum cultum, falsæque suæ Religionis argumentum. Et libationes adeò essentiales in sacris censebantur, ut ab eis sacrificia exordium sumerent. Primò enim quotquot ad sacrificium conveniebant vinum degustabant, teste Rosino, [5] ubi ait; *sed priusquam id effunderet* (Sacerdos).... *ipse leviter delibabat, & adstantibus gustandum deferebat, ut pariter libarent*; & Isaias cap. 62., de sacra compotatione ait; *Et qui comportant illud, bibent in atriis sanctis meis*. Quomodo autem degustarent vinum, seu biberent, idest quo vase, nolumus hîc inquirere. De hoc latè differit Scacch. [6] In templo Hierosolymitano extitisse libatoria argentea duo millia quadringenta, in Lib. 3. Esdræ apocrypho narratur. Nos cyathos credimus adhibitos, ex apertissimo textu Exod. 25. *Parabis, & acetabula, & phialas, thuribula & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina*; vel calices, quia cyathus est calicis genus, ut ex Lexicis liquet.

Hactenus de aqua, & vino; modò ad panem gradum facimus. Panis autem frumentaceus, omnium alimentorum ex terræ seminibus perfectior est ex Atheneo [7]; auctoritate Diphili Syphinii penes Scacch. [8] Ait ille: *Panes ex tritico melioris sunt alimenti, & præstantiores, ac omnino obtemperantes naturæ*. Panis apud Nationes omnes primas obtinuit, & hinc inter edulia sancta sacratiorem habuit locum, imò inter fœderum escas solus panis sacri fœderis nota fuit. Sic apud Macedones nullum ma-

[1] *Fastor. lib.* 1. [2] *Lib.* 5. *Æneid.* [3] *Lib.* 8. *Æneid.* [4] *Lib.* 5. *Æneid.* [5] *Lib.* 3. *cap.* 33. [6] *Myroth.* 2. *cap.* 43. [7] *Lib.* 4. *cap.* 29. [8] *Myroth.* 2. *cap.* 39.

majus amicitiæ ſymbolum, neque firmiſſimi fœderis notam majorem extitiſſe, quam panem gladio per medium ſectum porrigere illis, cum quibus fœdera feriebantur ex Auctore Antiq. Conviv. [1] perhibetur. Sic teſte Quinto Curtio (2) Magnus ille Macedo Roxanem ſibi matrimonio conjunxit. Verùm ſacra, quæ noſtri ſunt muneris repetamus.

Spiritus Sanctus in Eccleſ. cap.29. dixit, *Initium vitæ hominis panis*. Hujus alimenti tanta fuit excellentia, ut in ſacris Literis ſolius panis nomine quicumque cibus intelligeretur. *Panem*, inquit Belethus (3) apud Durand. fol. 507., *quaſi nominatum eſſe à Græco vocabulo* πὰν πάντος, *quod eſt omne, vel totum ſignificat*. In ejuſdem ſenſum explicat panem ipſe Durand. in dicto etiam ſuo Rational. (4), ubi poſtquam dixerit panem, & vinum pia fidelium deſideria, ſignificare ſubdit: *dicitur Panis à* πὰν, *quod eſt totum, quoniam hic, & in futuro eſt tota vita noſtra*. Hinc credimus Scacchum, [5] interpretantem illud Geneſ.31. *Juravit ergo Jacob per timorem Patris ſui Iſaac: immolatiſque victimis in monte vocavit fratres ſuos, ut ederent panem*, à vero non aberraſſe cùm dixit, per panem ſignificari convivium undequaque abſolutum, & perfectum, quale ſanè in fœderibus haberi mos erat.

Eſt etiam panis inſigne Dei beneficium, quod ut cognoſcerent filii Iſrael, juſſerat menſam parari, & ſuper eam panes duodecim prægrandes ad numerum Tribuum filiorum Iſrael, ut iidem victum, & alimentum ab ipſo ſummo Numine ſibi paratum agnoſcerent, atque ab alio nemine, quam ab ipſo vitam quoque ſibi ſervandam profiterentur. Hanc rationem tetigit Abulenſis [6], inquirens cur Deus vellet ſibi hos panes apponi, & ait: *Cauſa autem ſpecialis eſt etiam in hac oblatione, ut diſtinguitur contra alias, quia homines recipiunt à Deo multa beneficia, & inter cætera quædam ſunt præcipua. Maximum per quod homines conſervantur in vita eſt panis largitionum, initium vitæ hominis panis, & aqua, ut patet Eccleſ.29. ut ergo dentur ſpeciales gratiæ Deo de beneficio alimentationis in pane, ponebantur iſti panes coram Deo*.

Hæc Abulenſis de Veteri Teſtamento; Sicuti autem, quæ Iſraelitis contingebant in figuris noſtra deſignabant Sacramenta; ita panes non minoris certè ponderis panum propoſitionis, qui juxta Torniellum [7] erant ſinguli librarum decem, & ſemis in canonizatione Sanctorum offerimus, & primò quidem panis in gratiarum actionem offertur, quia ut inquit Irenæus [8] ex Pamel. [9] *Hanc oblationem Eccleſia ſola puram offert fabricatori; offerens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus, ideſt pane*. Et infra fol.155. *Offerimus autem ei*, inquit, *non quaſi indigenti, ſed gratias agentes donationi ejus*. Sic *Melchiſedech* (ait [10] Turrianus) *Panem Abrahæ dedit prius oblatum Deo in gratiarum actionem*.

Offerimus præterea panem, vinum, & aquam ad inſtar antiquæ oblationis, quæ in Miſſa à Fidelibus fiebat pro ſacrificio, ut ex laudato Ordine Romano apud Hittorpium colligitur. Illa ſiquidem erat in typum oblationis [11] Chriſti, Corporis ſcilicet & ſanguinis ſui in ultima Cœna factæ ſub ſpecie panis, & vini aqua mixti, adumbratæ quidem quoad aquam, ut docet Ambroſ. [12] in ea, quæ tempore Moyſis in heremo fluxit de petra; quoad panem verò, & vinum in ſacrificio Melchiſedech, Sacerdotis Dei ſummi, [13] qui Chriſti venturi figuram gerens, Deo obtulit panem, & vinum in typum Sacrificii Novi Teſtamenti; quod teſtimoniis plerorumque SS. Patrum cùm Græcorum, tùm Latinorum omiſſis, probè complexus eſt B.Cyprianus, inquiens: [14] *Ut ergo Geneſi per Melchiſedech Sacerdotem benedictio circa Abraham poſſet rite celebrari, præcedit ante imago Sacrificii Chriſti, in pane, & vino ſcilicet conſtituta, quam rem perficiens, & adimplens Dominus panem, & calicem mixtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit*.

In hujus igitur rei memoriam nos, ut ſupra diximus, ſicuti priſci fideles, in Miſſa Canonizationis, & in aliis Miſſis offerimus panem, vinum, & aquam.

Offerimus etiam poſt panem, & vinum, doliolum aqua plenum, & hoc propterea quod vinum in Sacrificio Miſſæ miſcendum eſt aqua, juxta antiquiſſimum inſtitutum, quod proculdubio uſque ad nos ab ipſis Apoſtolis perennavit, ut ex SS. Patribus, & Concilio Florentino, Tridentinoque certum eſt. Et meritò quidem, nam, cùm aqua deſignet eam, quæ ex latere Chriſti profluxit, & unâ cum vino perfectè domi-

ni-

[1] *Lib.1. cap.30.* [2] *Lib.8.* [3] *In Rational. Divin. Offic. cap.41.* [4] *Lib.4.cap.30.ſub n.15.* [5] *Myroth.1. cap.37., & 2. cap.76., ac 3. cap.66.* [6] *Quæſt.28. ſuper cap.25. Exodi,* (7) *Ad annum Mundi 2544. n.71.* [8] *Lib.4. contr. hæreſ. cap.34.* [9] *Liturg. Tom.1. fol.154.* (10) *De Sacram. Euchariſt. tract.2. c.15. pag.178.* (11) *Caſal. de Veter. Sacr. Chriſ. Ritib. cap.9.* (12) *Lib.V. de Sacramen. cap.1.* [13] *S.Paul.Epiſt. ad Hebr.cap.6. & 7.* [14] *In Epiſt.63. ad Cæcilium de Sacramento Dominici Calicis*.

nicam repræſentet paſſionem, & populum Chriſto adunatum, ut præclarè docent S. Cyprianus [1], S. Ambroſius (2), & Hildebertus (3). Hinc meritò offertur ad renovandam memoriam horum myſteriorum.

Aqua inſuper extra Altare, ſuas habet, & quidem multiplices ſignificationes, quas Patres enumerant, & præcipuè S. Bruno Herbipolenſis Epiſcopus, qui in ſua Expoſitione in Pſalterium ad ea verba pſal. 77. v.23. [4] *Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt*, per aquas dona Spiritus Sancti, ac Verbi Dei prædicationem ſignificari aſſerit, inquiens: *Aquæ myſticè ſignificant Donum Spiritus Sancti, & fluenta divinæ prædicationis, à petra, hoc eſt à Chriſto prolata: vel aqua, Apoſtolos; torrentes verò, reliquos Eccleſiæ Doctores, ex quorum prædicatione ſitim verbi Dei reſtinguimus: vel Chriſto, qui eſt petra, percuſſo propter peccata noſtra, fluxerunt aquæ Baptiſmi, & Martyrii.* Radulphus Flaviacenſis [5] ea Levitici cap.14. *ſuper aquas viventes*, ſic explicat docens in aquis Sacram Scripturam adumbrari: *Quas viventes aquas, niſi Scripturarum fluenta intelligimus?* Verba, *inquit Dominus*, quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt. *Joann. 6. itemque*, qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Joan. 7. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Si igitur ſpiritualis gratia aqua viva eſt, eademque ex Domini verbis hauritur, patet quòd aquæ viventes in ſcripturarum fontibus reperiantur.* Tandem Ambroſius Anſbertus Expoſ. in Apocalyp. lib.9. ad illud Pſal.77. *Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt*, multiplices aquæ ſignificationes eleganter enumerat, per hæc verba: *quem autem alium Petra illa deſignabat, niſi Principem Prædicatorum, Dominum videlicet Jeſum Chriſtum, Paulo atteſtante, qui ait,* Bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus? *Quæ ſcilicet petra virgâ Moyſi percuſſa, aquas manavit; quia Redemptor noſter accuſatione Plebis Judaicæ diſtrictè judicatus &c. Legis, ac Prophetarum eloquia, tamquam ſcilicet à fonte flumina, à ſe habuiſſe monſtravit originem. Et quia hæc aquarum inundatio per gratiam Sancti Spiritus de Cœlo miſſi, prædicatorum corda replevit, rectè illic additur,* Et torrentes inundaverunt. *Hinc Salomon ait*: Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons Sapientiæ. *Hinc idem fons Sapientiæ omni tempore aquas manans, in Euangelio de doctrina Spiritus Judæis dicit*: Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Hinc rurſum ait*: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei non ſitiet in æternum: ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

Ex his ſanè tantorum Patrum teſtimoniis, & expoſitionibus ſatis, & abundè remanet myſtica aquæ ſignificatio declarata.

CAP. V.

De Oblatione Turturum.

HActenus egimus de oblatione panis, vini, & aquæ; proximè ſequitur alia Turturum, quæ Columbis præferuntur, & quia in Lege Veteri etiam Turtures primò nominantur, & quia Symbolum præſeferunt *Fidei* primò requiſitæ inter virtutes ad Sanctorum Canonizationem. *Turturem* enim, ait S. Baſilius [6] *aſſerunt ſejugatam à conjuge nunquam ſocietatem inire cum alio, ſed ſinè conjuge vitam cœlibem degere, recordatione amiſſi conſortis, conjugium alterius abnuentem*; quod repetit etiam in Oratione *de Temper. & incontin.* cui permulti SS. Patres adſtipulantur.

Fidem igitur conjugalem præſtat Turtur; ſimilem fidem præſtant erga Chriſtum Sancti, quo ſpiritualiter conjuncti neque tribulationibus, neque anguſtiis, neque perſecutionibus, neque fame, neque nuditate, neque periculo, neque gladio poſſunt ſeparari à Chriſto, in quo manent, & Chriſtus in eis. Juſti in fide vixerunt, & ſinè fide impoſſibile eſt Deo placere, ut ait Apoſtolus [7]: *Credidit namque Abraham, & reputatum eſt ei ad juſtitiam*, Geneſ.15., & ideò in proteſtationem fidei Deus Abrahæ mandavit inter cætera animantia ſibi offerri Turturem, & Columbam, & cum alia omnia diviſiſſet, Aves illas non diviſit, fidei integritatem ſignificantes. Ita in lege veteri quando omnia in figura illis Patribus contingebant, ut in 1. ad Corinth. cap.10., Turturum oblatio paſſim injungebatur, & hujuſmodi ſacrificia populo illi carnali præcipiebantur, ut inquit Auguſt. [8], ne colerent Idola. Ideo Beatiſſima ſemper Vir-

[1] *Edit. Pamelii Epiſt.63. ad Cæcilium.* [2] *De Sacramen. lib.5. cap.1.* (3) *In Carmine de Myſteriis Miſſæ.*
(4) *Biblioth. PP. Lugdunen. tom.18. fol.205.* [5] *Bibl.PP.Lugdun. tom.17. pag.142. Expoſ.in Levit.lib.10.cap.1.*
[6] *Homilia 8. in Exaemer.* [7] *Ad Rom.4. & ad Hebræos 11.* [8] *Tractat.10. in Joann. cap.2.*

go Mater Dei Maria in fidei protestationem etiamsi purificatione non indigeret, nec legi teneretur, quia purissima; attamen legi paruit; etenim *tulerunt Jesum*, [inquit Luc. cap.2.] *in Hierusalem, ut sisterent eum Domino.... & ut darent hostiam secundùm quod dictum est in lege Domini: par Turturum, aut duos pullos Columbarum*. Voluitque Dominus in Templum præsentari duplici mysterio, quod ad rem nostram apprimè explicat Durand. [1] *Nascitur*, inquit, *primo Deus per fidem in homine, & sequitur circumcisio, quia quando fides in homine est, purificatur homo; unde in Actibus Apost.15. Fide purificans corda eorum; qui verò habent bonam fidem relinquunt omnia mala opera, & tunc apparet Deus, sed tunc facienda est pœnitentia, ut in nobis maneat sicut in Templo suo, & tunc fit ibi oblatio, & offertur ei par turturum, idest munditia mentis, & Corporis, quod non potest fieri nisi in jugi luctu, sicut turtur gemit pro cantu*. Turtur ergo præter fidem jugi gemitu suo pœnitentiam, & mortificationem etiam designat.

Insuper adumbrat (2) gemitum Christi, peccata nostra deflentis; & pro his Crucis ludibria ferentis, adeòque per hanc designatur tùm dolor ille, quo Sancti, vel propria, vel aliena peccata planxere, tùm patientia, qua facti imitatores Christi, Crucem tulere, & sequuti sunt ipsum. Rursus Turtur Christi Carnem designat, ut testatur B. Ivo Carnoten. [3], apud Hittorpium (4) ubi hæc habet: *Turturem carnem Christi esse manifestum est Salomone dicente: Speciosæ genæ tuæ sicut Turturis*; & infra (5) *Per Turturem quippe meritò Christi caro figuratur, quæ gemitum assumpsit nostræ passibilitatis, & humanitatis, & mortalitatis. Unde & Psalmista Psal.83. ait: Turtur invenit sibi nidum, idest dispensationem suæ Incarnationis, in quo pullos fecit, idest Fideles generavit*; Et Sanctos fecit; licet alii explicent, per nidum intelligi Ecclesiam, Piorum scilicet cœtus, ubi omne virtutum genus apparet, & per pullos ipsas virtutes, quas præsertim assequuntur per Orationes. Quare interpretans idem B.Ivo Præsentationem Christi Jesu in Templum, ibidem (6) ait, *voluit Dominus ut à Parentibus sub lege factus in Templo offerretur, & sacrificium Columbarum, & Turturum pro eo offerretur, quamvis ipse talibus non indigeret, sed per hoc significaret, Ecclesiam suam, aut per communes orationes, quas significant Columbæ, vel per privatas, quas significant Turtures esse mundandam*. Per privatas orationes in Turturibus significatas crederem vitam contemplativam adumbrari. Turtur enim apud Hebræos dicitur תור *tor*, a תור *tur*, idest *cogitare, meditari*; eo quod turtur gemebunda avis intus loqui videatur; eorum instar, qui meditabundi secum loquuntur juxta Psal.83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum; etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum, ubi ponat pullos suos*, idest divina verba, sermones sanctos in nidum cordis, ut appositè ait S. Augustinus in eumdem Psalmum; dicente etiam eodem B.Ivone ubi supra (7) *Turturem offerimus, cùm hujus exilii ærumnas in solitudine mentis deploramus, dicendo cum Psalmista: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*. Et revera B. Ildephonsus (8) per Turtures, & Columbas inquit, vitam activam, & contemplativam perbellè repræsentari; activam scilicet per Columbam, gregatim volare assuetam, & per Turturem solivagam, contemplativam, nequaquam facilè imitabilem: ambas Sanctis congruentes, & Deo gratas. Propterea B. Augustinus (9), eas descripsit ambas innocentes, ambas laudabiles: illam laboriosam; hanc otiosam; nullam tamen facinorosam, nullam desidiosam.

Offeramus ergo Turtures, tantarum symbolum virtutum, quibus nostri Sancti Canonizati coruscarunt. Gaudeamus in Domino diem Festum celebrantes eorum Canonizationi dicatum, & gaudeamus symbolo ipsius Turturis, cùm etiam per Turturem hilaritas temporis significetur, veris scilicet adventus, in quo tota exhilaratur terra. [Turtur namque custodit tempus adventus sui, adeò ut Aristoteles (10) dixerit, ferè neminem vidisse Turturem per hyemem] Tunc enim celebramus Festa Paschalia, in quibus *eduxit Dominus Populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia* (11). Tempus visitationis, & reconciliationis hominum cum Deo suo. *Introduxit enim nos Dominus in terram fluentem lac, & mel* (12). *Aqua Sapientiæ potavit nos, firmabitur in nobis, & non flectetur*, Eccles. 15. Vox jucunditatis annunciata est nobis annunciatur usque ad extremum terræ.

[1] *Rational. lib.7. cap.7. n.9. & seqq.* [2] *Roccha de Canonizatione Sanctorum in §. De Turturum, & Columbarum Oblatione.* [3] *De Reb. Eccles. Serm. de Convenientia Vet. & Nov. Sacrificii.* [4] *Pag.488. col.2.*
[5] *Fol.493. col.2.* [6] *Fol.492. col.2.* [7] *Fol.493. col.2.* [8] *In Serm. de Purificat. Tom.12. Biblioth. PP. Lugdun. fol.588. & 589.* [9] *Serm.104. de Verbis Euangelii Tom.V. pag.541.* [10] *Lib.8. de Animalib. cap.16.* [11] *Psal.104.* [12] *Exod.13.*

ræ. *Liberavit Dominus Populum ſuum*: (1) *Hæc dies, quam fecit Dominus exultemus, & lætemur in ea, quia jam hyems tranſiit, & receſſit; vox Turturis audita eſt in terra noſtra* (2). Hyems tranſiit, tempus divinæ ultionis, & Juſtitiæ; Vox Turturis audita eſt; tempus Divinæ gratiæ, & miſericordiæ. Fuit enim tempus, ut ait Cirvell. [3] *Plenitudinis gratiæ ſub Chriſto Principe in terris agente cum hominibus, ſcilicet à ſua Nativitate uſque ad Aſcenſionem ejus: diciturque à Sanctis tempus viſitationis, ſeu reconciliationis mundi, in quo Unigenitus Dei filius aſſumpta humanitate noſtra viſitavit nos oriens ex alto, & per ſacrificium Paſſionis ſuæ reconciliavit homines Deo Patri.*

His de Turturum oblatione, & earum myſtica ſignificatione expoſitis, cùm ad ſequens caput de Columbarum oblatione exponendum me parabam, ad manus pervenit (4) Sancti Ambroſii, ſive Euſebii Emiſſeni, ut aliqui putant, ſive cujuſvis priſci, celebriſque Auctoris, Sermo de Purificatione, ubi de Columba, & Turture imitandis perſuaſibiliter quàm pulchrè diſſeritur; cumque illum perlegiſſem non potui, quin hanc, haud longè ab inſtituto, perbrevem acceſſionem facerem, me cohibere: *Non ſinè cauſa* (inquit Auctor ille) *ſacrificium, quod pro Domino myſticè oblatum perhibetur ex turturibus, & columbis fuiſſe* [Lucas Euangeliſta] *enarrat; In turture enim caſtitas invenitur; & in Columba Charitas commendatur. Turtur namque intemeratam ſervat uni viro fidem: Columba verò aliarum cohabitantium non deſerit unitatem. Catholicus igitur Chriſtianus tunc verè ſpiritualis turtur efficitur, ſi veram Trinitatis Fidem firma ſedulitate conſervet, & hæreticæ pravitatis ſenſum, tamquam fornicationis inquinamentum repudiet. Tunc verò erit Columba ſi longanimiter uſque in finem in Catholica ſocietate permaneat, & contra tentationum ſcandala immobili firmitate perſiſtat, ut nec hæretica fornicatio corrumpat in corde fidei caſtitatem, nec amara diſſenſio Eccleſiaſticæ charitatis diſperdat unitatem.* Hinc ad ipſarum Columbarum oblationem gradum faciamus, de quarum ſymbolis multa, variaque ſunt diſſerenda.

CAP. VI.

De Columbarum Oblatione.

EXpoſuimus Turturum Oblationis myſteria, modò deveniendum ad Columbas. Videbantur equidem utrarumque ſignificata una ſimul explicanda, tum quia in Lege Veteri plerumque ſub uno præcepto utraſque Deus mandavit offerri: tum etiam quia parum differunt in figuris. Quoniam verò tam in veteri Teſtamento, quàm in nova Chriſti Lege diverſa leguntur de illis ſymbola; ideò ſeorſim oſtendenda curavimus.

Mitto ea, quæ de Columbis internunciis narrantur, apud Ethnicos olim adhibitis ad deferendas Epiſtolas, ut tradit Plinius, (5) qui Columbas in rebus magnis non ſemel fuiſſe internuncias aſſerit, ferentes ſcilicet Literas pedibus alligatas; quare putant nonnulli ideo Tibullum ceciniſſe;

Quid referam ut volitet crebras intacta per Urbes
Alba Palæſtino ſancta Columba Syro?

Hujuſmodi exempla quamplura congeſſit Ulyſſes Aldrovandus [6]. Sabellicus quoque [7] in Expeditione Sacra Chriſtianorum in Palæſtinam, intercepta Columba ad Regem Damaſci Literas ferente, quibus, ut eis ſubveniret, obſeſſi Tyrii poſtulabant, narrat, ad Tyrios eâdem remiſſa Columba cum Literis omnem auxilii ſpem adimentibus, mox Urbem illam noſtris ſe dedidiſſe. Verùm in Sacris Literis hujuſmodi Columbæ fauſti nuncii hiſtoriam legimus in Geneſi, cùm ſcilicet emiſſa à Noe, ſecundo humani generis parente, ex arca ſemel, & iterum rediens, ad eum ramuſculum olivæ virentem ſuo detulit ore, in ſignum quòd ceſſaſſent aquæ diluvii. Unde Columbam à Deo fuiſſe præelectam ad annunciandam pacem poſt univerſale diluvium Tertullianus affirmat, (8) dicens, *Pacem cœleſtis iræ præco Columba Terris adnunciavit demiſſa ex arca, & cum olea reverſa.* Columbam etiam, quæ emiſſa fuit ex arca, noſtra ſignificare Sacramenta, auctor eſt Cyprianus (9) qui de iſta loquens, *Ter*, ait, *emiſſa ex arca, volitans per aerem ſuper aquam, ſignificabat jam tum Eccleſiæ noſtræ Sacramenta.* Chriſtum quoque Columbam demonſtrare ſolitam docuit idem Tertullianus [10]. Præ-

[1] *Iſai.4.* [2] *Cant.2.* [3] *Ubi ſupra lib.2. cap.1. fol.42. col.1.* (4) *Sauſſay Panopl. Sacerdot. part.2. lib.4. cap.14. art.4. pag.793.* [5] *Lib.10. cap.37.* (6) *Tom.2. Ornitholog. lib.15. p.353. & ſeqq.* [7] *Rer. Venet. Decad.5. lib.6. p.1154. tom.2.* [8] *In cap.8. de Baptiſm.* [9] *Adversùs Novatianum cap.1.* [10] *In cap.2. adversùs Valentin.*

cipuè tamen per Columbam Spiritum Sanctum significari nemo est qui ignoret. Hinc ipse S. Petrus Apostolus dictus est *Filius Columbæ*, rationem reddente Sancto Hieronymo: (1) *Ex confessione*, inquit, *fortitum esse vocabulum, quod revelationem ex Spiritu Sancto habeat, cujus & filius appellandus sit; siquidem* BAR-JONA *in nostra lingua sonat* FILIUS COLUMBÆ, *& aptè quidem, quia Confessionem Fidei de Christi Divinitate, & gloria à Spiritu Sancto didicerat*. Et S. Ephræm Syrus, [2] Christo Domino in Cruce moriente Spiritum Sanctum refert sub specie Columbæ è Templo exiisse, inquiens; πάλιν θεασάμενον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸν ὄντα ἐν τῷ πατρὶ τὸν ἀγαπητὸν υἱὸν ἐπὶ ξύλου τοῦ σταυροῦ, ῥήξαν καταπέτασμα τὸ κόσμιον τοῦ ναοῦ ἄνωθεν ἕως κάτω, ἐν εἴδει περιστερᾶς ἐξῆλθεν παραχρῆμα. Quæ verba apud Gerard. Vossium (3) latinè redduntur: *Rursus Spiritus ipse Sanctus conspiciens dilectum Filium Patris in ligno Crucis pendentem, rupto mundissimo illo Templi velo, quod à sursum erat usque deorsum, in specie Columbæ continuò de templo exivit*. Idem legitur in Codice Arabico MSS. Vatic. pag. 217. B. Ivo Carnotensis, hanc eamdem significationem confirmat fol. 488. apud Hittorp. col. 2., *Columbam Spiritus Sancti habere figuram, Jo: Baptista declarat, dicens*: (4) *Super quem videris Spiritum Sanctum descendentem sicut Columbam, hic est filius meus*.

Offerimus itaque in Canonizatione Sanctorum Columbas ad designandum eosdem Sanctos septiformis Spiritus Sancti donis plenè insignitos fuisse: his donis Fidem, Spem, & Charitatem Sanctorum Canonizatorum commonstramus; septem enim dona Spiritus Sancti tres sorores, scilicet Fidem, Spem, & Charitatem, sine quibus nemo potest placere Deo, habere docuit Amalarius Fortun. [5] apud Hittorp., & egregiè supra cap. 23. [6] ubi hæc habet: *Unusquisque Christianus Spiritum Sanctum debet colere Fide, Spe, & Charitate; has tres Sorores habet unumquodque donum Spiritus Sancti, & omnium septem sunt hæ sorores, & singulorum*. Et ideo idem Amalar. [7] dixerat demonstrari per alteram apparitionem Spiritus Sancti in Columbæ specie virtutem Charitatis. S. Augustinus in Sermone Domini in Monte relat. ab eodem Amalario [8] apud Hittorp., conferens dona Spiritus Sancti cū Beatitudinibus demonstratis in Monte, mirificè explicat virtutes illas, quarum nostris Sanctis merces multa fuit in Cœlis. Sic enim idem Sanctissimus Doctor, ut verbis utar Amalarii, *sapientiam comparat pacificis, in quibus ordinata sunt omnia, nullusque motus adversùs rationem rebellis* fuit. *Intellectum comparat mundis corde, qui purgato oculo cernere possunt, quod corporeus oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Consilium misericordibus, qui dimittunt, ut dimittatur illis, & adjuvant ceteros, sicut se volunt adjuvari, sinè quo dono nemo pervenit ad Regnum Dei. Fortitudinem esurientibus*, quibus saturitas promittitur, tamquam refectio laborantibus, fortiterque certantibus ad salutem. *Scientiam lugentibus*, tamquam scientibus quid amiserint, & quibus mersi sunt. *Pietatem mitibus*, quibus hæreditas data est tamquam testamentum Patris, cum pietate quærentibus. *Et timorem humilibus*, quoniam *ipsorum est Regnum Cœlorum*; *superbis* enim *Deus resistit, humilibus autem dat gratiam*, & *initium Sapientiæ est timor Domini*. Idem B. Ivo Carnoten. supra laudatus [9] Dona Spiritus Sancti, eorumque effectum converso ordine sic expressit: *Hic* (scilicet Dominus) *conversos ad iter justitiæ facit per timorem humiles, per pietatem mites, per scientiam lugentes, per amorem justitiæ fortes, per consilium misericordes, per intellectum mundos corde, per sapientiam contemplantes*.

Propter has igitur significationes effigiabantur antiquitus, ut refert Casal. [10] à primis Fidelibus Columbæ in summitatem Crucis, ut videre est in antiqua Lateranensis Basilicæ abside, quia ibi per Columbam Spiritus Sancti Charismata, ut supra exposuimus, figurantur, & fol. 8. penes Christum Crucifixum, ut se ipsos ibidem ostenderent, puros, mansuetos, & innocentes, tamquam Columbas gementes, flentes, & semper meditantes in Lege Domini, ut in Isaia: [11] *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo; meditabor ut Columba*. Meditatio enim nullibi melius fieri potest, quàm in ipsa Cruce. *Columba namque*, inquit S. Augustinus (12), *pro signo dilectionis ponitur, & in ea gemitus amatur: nihil tam amicum gemitibus, quam Columba; diù noctuque gemit, tamquam ibi posita ubi gemendum est*.

Efformabantur etiam in Cruce duodecim Columbæ, ut ostendit idem Casal. (13) ad denotandos duodecim Apostolos, juxta Paulinum [14], canentem:

Cru-

[1] *Lib. 3. Comment. in Matth. 16.* [2] *In Serm. de Pass. Dom. Cod. Græc. MSS. Vatican. 439. pag. 230.* (3) *Tom. 3. pag. 195.* [4] *Joann. 8.* (5) *Lib. 4. cap. 27. de Completione dierum Pentec. fol. 245.* (6) *Fol. 239. col. 2.* [7] *Lib. 1. cap. 40. fol. 154. col. 2.* [8] *Lib. 1. cap. 27. fol. 140. & seq.* [9] *In Sermon. in die Fest. Pentec. apud Hittorp. fol. 519. col. 1.* (10) *De veter. Sac. Christ. Rit. par. 1. cap. 1. fol. 4.* [11] *Cap. 38.* [12] *In Psal. 54.*
[13] *Ibid. fol. 7.* [14] *Ep. 12. ad Severum*

Crucem corona lucido cingit globo.
Cui coronæ? sunt corona Apostoli,
Quorum figura est in Columbarum choro.

Et apprimè quidem, nam ad Apostolorum similitudinem respiciens Isaias Propheta [1] mirabundus exclamavit; *qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi Columbæ ad fenestras suas?* *Sicut Columbæ*, exposuerunt septuaginta Interpretes, *cum pullis suis*, idest successoribus. Apostoli siquidem, & Discipuli Domini, ac eorum successores, sicut nubes roridæ, quaquaversum volantes, impetu spiritus Dei impulsæ [2], *pluviam illam voluntariam, quam dedit Deus hæreditati suæ*, ubique effuderunt.

Sed quid dixi de Columbis in Cruce effigiatis à priscis fidelibus? In tabulis, in laminis, vasibusque vitreis pingebantur, & in Sarcophagis cælabantur, ut plenissimè ostendit Illustrissimus D. Senator Philippus Bonaruoti, Vir humanis Literis non minus, quam doctrina, & eruditione sacra præclarus, in suo celebri opere, cui titulus: *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro ornati di figure* (3). Nec mirum, cùm olim quisque priscorum Gentilium Emblema, seu signum aliquod pro libito domui suæ imponerent, sive ex volucribus, sive ex quavis animalium specie, & in sacris suis adhiberent serpentes. Unde ait Arnobius (4): *Circumplicatis anguibus, serpentibus coronati supplicabant*. Et Julius Firmicus [5] inquit: *Adhuc primi erroris vitia grassantur, & quidquid hominem perdidit, colitur, & funesti anguis callida crudelitas adoratur.*

Christiani verò, ut plurimum, mysticæ Columbæ imaginem præferebant, eamque effigiabant in mysticas figuras. Reddita deindè Ecclesiæ pace, Crux in Ecclesiis publicè erecta est, & super Crucem imposita symbolica Columba in monumentum antiquitatis. Quocirca Ecclesia dicebatur domus Columbæ; nec immeritò, quia sicut Ecclesia dicitur Sponsa Christi, sic vocatur Columba, quam Cœlestis Sponsus ita invitat in Cantic. [6] *Surge, propera, amica mea, speciosa mea, & veni, Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*; sic eam appellat S. Bernardus [7], expendens verba Psal. 54. *Quis mihi dabit pennas sicut Columbæ, & requiescam?* ubi inquit: *Ecclesia Columba est, & sic requiescit Columba, quia innocens, quia gemens. Columba inquam, quia in mansuetudine suscipit insitum verbum, & requiescit in verbo, hoc est in petra: nam petra est verbum.* Unde idem S. Abbas illis verbis alludens Cant. 2. *in foraminibus petræ* (8) ait: *Alius hunc locum ita exposuit foramina petræ vulnera Christi interpretans: rectè omninò; nam petra Christus. Bona foramina, quæ fidem astruunt Resurrectionis, & Christi divinitatem. Dominus meus, inquit, & Deus meus: unde hoc reportatum oraculum, nisi ex foraminibus petræ? In his passer invenit sibi domum, & turtur nidum, ubi reponat pullos suos. In his se Columba tutatur, & circumvolantem intrepida intuetur Accipitrem, & ideo ait: Columba mea in foraminibus petræ. Vox Columbæ: In petra exaltasti me.*

Ad repræsentandum etiam Spiritum Sanctum in Fontibus Baptismalibus Columbas appendere consueverunt, ut apparet in Concil. Constantinop. Oecumenico Quinto [9] sub Menna Act. 5. in precib. Cleric. & Monach. Antiochen. ad Jo: Patriarcham; Et super Custodiam, sive Tabernaculum Sacræ Eucharistiæ, ut colligitur ex Anastasio in Silvestro, ubi inter munera à Constantino Ecclesiæ Principis Apostolorum dono data, numerat *Patenam ex auro purissimo unam cum turre, & Columba*; & in Innocentio *turrem argenteam cum patena, & Columba deaurata pensantem libras 30.*, ad ostendendum præcipuè qua munditia cordis, qua innocentia animæ debeant esse, qui refici volunt Eucharistico pane; ex Aringh. [10] Ducang. [11], & Altaserra [12], qui tamen ibi hallucinatur, dum Sepulchrum Sancti Dionysii Martyris, super quo auream Columbam extitisse scripsit B. Gregorius Turonensis, ab ipso ibidem citatus, Ciborium putat Sanctissimæ Eucharistiæ, quod quantum distet à vero, satis est ejusdem Beati Gregorii legere verba à nobis mox infra referenda, vel ea quæ in contrarium notavit P. Mabillon. [13], & Eruditissimus Bonaruoti [14].

In Sacris Tabulis Columbas pingebant aliquando ad significandos Apostolos, ut in dicta Epistola Paulini 12. ad Severum; aliquando ad designandum quibus virtutibus fideles debeant esse instructi; Virtutes enim, quas designant Columbæ, sunt simplicitas, ut supra ostendimus; innocentia, & castitas, ut ait Tertullianus [15]; humilitas, mansue-

[1] *Cap.60. 8.* [2] *Psal.67. 10.* [3] *Tab.XVIII. fig.3. S. Agnetis cum duabus Columbis.* [4] *Lib.5. adversus Gentes.* [5] *Cap.11. de err. prof. Relig.* [6] *Cap.2.* [7] *In Cantic. Serm.62.* [8] *Serm.61.* [9] *Tom.V. Concil. Labb. pag.159.* [10] *Tom.2. lib.6. cap.35.* (11) *Constantinop. Christian. lib.3. n.61.* [12] *In Not. ad Anastasium, in Silvestro, fol.26.* [13] *Liturg. Gallic. lib.1. cap.9. n.16.* [14] *Loco supra citato.* [15] *De Monog. cap.8.*

ſuetudo, Charitas, dilectio, meditatio, & perſpicacia in evitandis inimicorum, qui animam perdere volunt, inſidiis [1]. His additur ſpes, quæ alterum obtinet locum inter ſupramemoratas tres ſorores. Hanc deſignat Columba, de qua S.Ambroſius (2) *ſecunda Spes congaudeat*.

In Sarcophagis Chriſtianorum cælabantur ad demonſtrandum obdormitionem in pace, ac in Fidelium communione animarum illarum, quæ veluti Columbæ ex arca, Eccleſiæ ſymbolo, relictis carnis exuviis ad æternam requiem convolarunt. In ſepulcro S. Dionyſii Lutetiæ Pariſiorum Epiſcopi cernebatur Columba, ut ex verbis S. Gregorii Turonen. [3] *Alius autem* [inquit idem B. Gregor.] *ſupra ſepulchrum ſanctum calcare non metuens, dum Columbam auream lancea quærit elidere, elapſis pedibus ab utraque parte, quia turritus erat tumulus ..... lancea in latere defixa exanimis eſt inventus*. In Sarcophago marmoreo Probi Anicii, & Probæ Faltoniæ Conjugum, anaglypticè elaborato, & in Sacello Sanctiſſimi Crucifixi Eccleſiæ Vaticanæ adhuc aſſervato, quem eruditiſſima Diſſertatione illuſtriorem reddidit Illuſtriſs., & Reverendiſs. Jo: Chriſtophorus Battelli, Archiepiſcopus Amaſiæ, Literarum ad Principes Sanctiſſimi D. N. Papæ meritiſſimus à Secretis, ſuper ora ſuperiore juxta labrum quaquaverſum conſpiciuntur duæ de triginta Columbæ, pleræque binæ concorditer è ciſtis cibum capientes. Has alites marito fidem ſervantes idem Præſul [4], cum Aringhio [5], & Pierio Valeriano (6) dilectionis, & continentiſſimæ viduitatis ſymbolum præſeferre aptè deſcripſit. Hinc priſci Fideles lucernas efformabant Columbæ inſtar, quas ſtatis diebus ante ſepulcra accendebant.

Animæ ſanctitatem deſignat etiam Columba, cum in Martyrio Sancti Polycarpi Columbam cum ſanguine exiiſſe narratur apud Coteler. [7], & Ruinart. [8] Ita ſimiliter cecinit Prudentius (9).

Emicat inde Columba recens,
Martyris os nive candidior
Viſa relinquere, & aſtra ſequi.

Factum hujuſmodi ſanè mirabile narrat etiam prælaudatus S.Gregor.Turonen.(10), & de S.Potito Boland. (11) Et cantat quotannis Eccleſia de B. Tereſia V. in Hymno ad Matutin.

Hæc eſt dies, qua candidæ
Inſtar Columbæ Cælitum
Ad ſacra templa Spiritus
Se tranſtulit Tereſia.

Et in ejuſdem officii Lectione 6., *Eccleſiaſticis Sacramentis munita alumnos ad pacem, charitatem, & regularem obſervantiam exhortata, ſub Columbæ ſpecie puriſſimam animam Deo reddidit*. En quot, qualeſque virtutes myſticè deſignent Columbæ: Hæ omnes in Sanctis nuperrimè Canonizatis apprimè coruſcarunt. Ideo oblatæ in Miſſa Canonizationis Columbæ, ut Fideles eas imitentur, & æmulentur chariſmata meliora.

CAP. VII.

De diverſi generis Avicularum Oblatione.

MYſticam variarum avicularum in Miſſa Canonizationis oblatarum ſignificationem expoſuit Jo: Baptiſta Mari (12) in ſua Diatriba, in qua circa hujuſmodi oblationes multa, variaque congeſſit, dixitque per aviculas omnimodam deſignari Charitatem, cùm ſupra per Turtures Fidem, per Columbas ſpem ſignificari rationabiliùs oſtenderit. Charitatem enim per aviculas repræſentari non ſatis explicavit, niſi dicere velimus, (quod ipſe reticuit) ideo per eas Charitatem deſignari, quia in aëra tolluntur, ſublimiuſque volant Turturibus, atque Columbis: Et ſicuti per has Fides, Speſque exhibentur, per illas Charitas ſignificatur, quæ eſt ſupereminens omnibus donis juxta B. Iſidorum [13]. Charitas ſublimiùs tollitur cæteris virtutibus etiam Theologalibus, Paulo teſtante [14]. *Manent Fides, Spes, Charitas; tria hæc; major autem horum eſt charitas*.

Probabiliùs tamen crediderim per aviculas, quæ in dicta Miſſa Canonizationis Sanctorum offeruntur, ſignificari Sanctos ipſos, quorum ſublimi contemplationis volatu converſatio eſt in Cœlis; adſtipulante etiam Riccardo à S. Victore, (15) qui ait: *Nonne aves Cœli videntur eſſe, qui veraciter poſſunt dicere, noſtra converſatio in Cœlis eſt? Nonne Cœli aves dicendi ſunt, qui ſe in alta contemplationis penna ſuſpenduntur?* Haud diſſimiliter cenſuit Beda (16): *Volucres ſunt, qui*

[1] *Arring. d. tom.2. lib.6. cap.35.* [2] *In Hymn. Fer.6. ad Laudes.* [3] *De Glor. Martyr. lib.1. cap.72.* [4] §.32. [5] *In Roma Subterr. lib.1. cap.7.* [6] *Hieroglyph. lib.22.* [7] *In PP. Apoſtol.* [8] *Acta Select. p.33.* [9] *In Hymn.3. v.161.* (10) *De Glor. Martyr. lib.1. cap.72.* (11) 13. *Januarii.* (12) *De Myſteriis Oblationum in Canonizatione Sanctorum.* [13] *De Eccleſ. Offic. lib.2. de Sacerdotibus apud Hittorp. fol.21.* [14] 1. *ad Cor.13.* [15] *De erudit. hom. inter. lib.2. cap.44. part.1. pag.105.* [16] *In Job. lib.1. cap.12. Tom.4. pag.653.*

qui ſurſum cor habent, & Cœleſtia concupiſcunt. Hinc in Cœmeteriis apparent expreſſæ aves variæ, quæ juxta Boſium (1), veros præſeferunt Chriſtifideles, qui veluti aves in aëra feruntur, & in Cœlis converſantur, vel quia imitatores avium facti degunt in ramis arborum, in quibus à ventorum turbine, & tempeſtatum, ideſt tentationum vexati, Apoſtolorum doctrina, qui Arbores vocantur, & eorum auxilio tutantur. Ita S. Hilarius (2) *Sed jam*, inquit, *ex ramis arboris ex ſolo in ſublime prolatæ Cœli volucres inhabitant. Apoſtolos ſcilicet ex Chriſti virtute protenſos, & mundum inumbrantes, in ramis intelligemus; in quos gentes in ſpem vitæ advolabunt, & aurarum turbine, ideſt Diaboli ſpiritu, flatuque vexatæ, tamquam in ramis arboris requieſcent*. Quinimo avibus Apoſtoli ſimul, & omnes Fideles aſſimilantur à Ruperto Abbate (3); qui ut faciliùs ad Cœleſtium rerum contemplationem ſubleventur, temporalium ſolicitudinem deponentes, ſoli Dei providentiæ, quæ in ſui diſpoſitione non fallitur, ſe committunt. *Aves ergo*, inquit ille, *quæ volabant per medium Cœlum Apoſtoli ſunt*. Et paulò infra: *Iſta ſunt volatilia illa, quorum exemplo, vel imitatione debemus omnem victus, & veſtitus ſolicitudinem deponere, dicente Domino, Reſpicite volatilia Cœli &c.* Nam Apoſtoli, quibus primum, & coram hæc libertas avium propoſita eſt ad imitandum, ut cœleſtium contemplationi vacare poſſent, omnia terrena reliquerunt. Idcirco rectè ipſi volatilia Cœli dicuntur. B. Hieronymus (4) in parabola de volucribus Cœli, & grano ſinapis ab Euangeliſta Matthæo conſcripta, per volucres Cœli animas credentium, vel fortitudines Dei ſervitio mancipatas intelligendas eſſe affirmat; quod quidem, ſed expreſſiùs edocuit B. Gregorius Magnus [5] per volucres Cœli animas ſanctas intelligens, *quæ*, inquit, *quibuſdam virtutum pennis à terrena cogitatione ſe ſublevant*, volatuque ſibi Cœlum parant, reque ipſa tandem aliquando conſequuntur. Vel poſſumus dicere cum Beda [6], per aviculas nobis inſinuari juſtos, qui aſcendunt obviam Chriſto Domino; *vel*, inquit, *volucres ſunt, qui obviam Chriſto in aëra ex mortuis ſunt ituri*; aut cum Macro in Hierolexico, ſanctos ipſos, quia ad ſimilitudinem Angelorum [ut ipſe notat in verbo *volatile*] *volucres Cœli ſemper vident faciem Patris*.

Hactenus de oblationum Myſteriis in Miſſa Canonizationis; Præterea haud inane putamus, etiam in doliolis, & caveis, ſeu caniſtris, quæ rei oblatæ ſunt receptacula, adnotare myſteria. Quamvis enim non legamus B. Mariam ſemper Virginem in Cavea, ſeu Caniſtro deaurato, vel variis coloribus picto, obtuliſſe in Templo pro Jeſu par Turturum, aut duos pullos Columbarum, neque priſcos Fideles vinum in doliolis, ſed in amulis. Ritus tamen iſti temporis intervallo in alium cedere potuere, ac ceſſerunt, & quidem non ſinè myſterio.

Siquidem doliolorum myſticam ſignificationem nobis ſuppeditavit Hugo à S. Victore [7], qui Canticorum verba explicans, *introduxit me Rex in Cella Vinaria*, perquam bellè de doliis, quorum diminutivum ſunt doliola, ſic aperuit myſteria: *Cella vinaria nobis Sancta Eccleſia eſt; ſingulæ fideles animæ ſingula dolia. Dolium quoque à dolando rectè vocatur. Dolium ergo quælibet fidelis anima congruè nominatur, quæ tentationum, & perſecutionum dolationibus ad continendum gratiæ cœleſtis liquorem paratur, & aptatur: ſed & aſſeres, aut tabulæ illæ, in quibus dolium conſtruitur, bene virtutes nobis datas per naturam figurant, & circuli ſuperadditi, quibus tabulæ conſtringuntur virtutes nobis datas per gratiam aptè ſignificant. Quemadmodum enim illæ tabulæ niſi circulis conſtringuntur, vinum non continent, ſic virtutes naturales, niſi virtutibus, quæ per gratiam nobis ſuperadduntur, adjuvantur, cœleſtia dona continere non valent. Duo etiam fundi, anterior, & poſterior, ſenſualitatem, & rationalitatem deſignant. Anterior quippe, qui verſus lumen patet, ſenſualitatem; poſterior verò qui verſus parietem eſſe ſolet, & latet, abſconditam, & latentem ſignificat rationalitatem. Porrò ſuperior apertura, per quam vinum infunditur convenienter intelligitur mentis intelligentia; vinum, quod extrahitur, gratia. Denique duciculus, ideſt foramen, per quod vinum educitur, ut diſpenſetur, & propinetur, eloquentia, vel operatio bona*. Et poſt pauca: *Juſti ſunt dolia Dei, gratiam Dei continentia*.

De caveis autem Jo: Baptiſta Mari in dicta ſua Diatriba, inquit, *Caniſtellum deauratum . . . . . juxta Origenem* (8), *ſacram indicat ſcripturam, unde ſumuntur neceſſaria ad victum animæ. Sed aptius ad rem noſtram dicimus cum Sancto Auguſtino, quòd Eccleſiam Catholicam ſignificat [nidum proprium credentium Catholicorum]; etenim paſſer invenit ſibi*

[1] *Lib.4. cap.41. pag.665.* [2] *Cap.13. Comment. in Matth. col.676. edit. Pariſ.* [3] *In cap.19. Apoc. lib.11. Tom.2. pag.585.* [4] *Lib.2. Commentar. in cap.13. Matth. To.4. pag.57.* [5] *Lib.19. Moral. cap.1.*
[6] *Loc. ſupra cit.* (7) *Tom.2. ſerm.45. Inſtit. Monaſt. pag.539.* [8] *Tom.5. in Levitic.*

ſibi domum, & turtur nidum, ubi ponat pullos ſuos, altaria tua Domine virtutum Rex meus, & Deus meus : iſta eſt confeſſio Catholicorum, ex Apoſtolo Thoma, Dominus meus, & Deus meus. Et è veſtigio Propheta adjungit : Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te; Domus Dei, domus orationis eſt, quæ eſt Eccleſia.

Verùm in caveis, ſive ut alii ſcribunt caniſtris humanitas noſtra deſignatur, veluti carnis cuſtodia; Idcirco humanitatem ipſam Chriſti ſub hac figura adumbratam conſpicimus in veteri S. Mariæ Tranſtyberim Baſilicæ Abſide, ubi binæ caveæ muſivo opere ſunt expreſsæ cum avicula in unaquaque incluſa; prima ſcilicet ad latus Jeremiæ Prophetæ cum epigraphe : *Chriſtus captus eſt in peccatis noſtris* [1]. Altera ad latus Iſaiæ Prophetæ cum epigraphe : *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium* (2). In iis per aviculam Chriſti divinitatem; per caveam humanitatem ſignificari, non immeritò fortè opinamur. Unigenitus ſiquidem Dei Filius, captus noſtræ Redemptionis amore, ut Auguſtini [3] verbis utar, *cum apparere hominibus vellet, eoſque, quæ priùs mandaverat, docere etiam præſens cuperet, vim divinam aſſumpto homine temperavit, & poſuit tenebras latibulum ſuum in circuitu ſuo, cum ſe tabernaculo carnis obtexit.*

Id quod perbellè confirmans Hieronymus [4] ad ea Jeremiæ, *Venatione ceperunt me quaſi avem inimici mei gratis*, ad rem noſtram aptiſſimè ſcribit : *Avis nomine ipſe Dominus ſignificatur, qui licet in terra de Virgine Matre ſit editus; tamen Cœleſtia, doctrina ſua, & exemplo ſemper petit, membraque ſua fide, & ſpe, quaſi duabus alis ad ſuperna ſemper ſublevat, dicens in Euangelio : Regnum meum non eſt de hoc mundo. Et item, Exivi, inquit, à Patre, & cætera.*

Non abſimili igitur cavearum, & avicularum Baſilicæ Tranſtyberinæ ſignificationis ratione, in noſtris Oblationum caveis humanitatis carceres, & in avibus in caveis incluſis juſtorum animas ſignificari, credimus, quæ in iis retentæ, crebrò cum Paulo cupiunt diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, & licet membris mortalibus irretitæ, contemplationum tamen pennis ad cœleſtia ſemper aſpirant.

Hactenus de caveis, modò ad Mappulas deveniamus, quibus oblationes offeruntur, quæque ſuo item non carent myſterio; ſunt enim fanones offertorii, juxta Ducang. (5) ex ordine Romano I. apud Hittorpium, in quo legitur : *Et populus dat oblationes ſuas, ideſt panem, & vinum, & offerunt cum fanonibus candidis.* Horum myſterium aperuit Amalarius (6), apud Mabillon. [7] *Cum fanonibus offerunt, quoniam legimus in paſſione Domini Sudarium uſurpatum eſſe: aliter quippe fanones de lino efficiuntur, & linum multis modis Sanctæ Scripturæ pro exhortatione paſſionis ponitur. Atque ideò fanonibus puris oblationes tenent, ut ſe oſtendant religione Sancta, & Catholica accepiſſe pro fratribus animam ponere, & non ſolùm animas, ſed & puras, ut non ſint aliqua hæreſi pollutæ, ſed & charitate mundatæ. Unde dicit Apoſtolus, & ſi tradidero corpus meum, ut ardeam; Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Myſticam denique admittimus ſignificationem in Ceremonia offerendi binos cereos, binos panes, bina doliola vini, & aquæ, binas turtures, binas Columbas. Myſterii vim in numero binario rerum oblatarum conſiſtere credimus; eſt enim numerus perfectionis. Salvator noſter Chriſtus, cùm ſecundùm Luc. (8) *deſignaſſet alios ſeptuaginta duos Diſcipulos, miſit illos binos ante faciem ſuam &c.* Quare binos? Magnus Gregorius Homil. in Euang. [9] explicavit, *duo*, inquiens, *ſunt præcepta charitatis : Dei videlicet, & proximi, & minus quàm inter duos charitas haberi non poteſt.* Binos itaque cereos, Binos panes &c. ad charitatem deſignandam offerimus.

Credimus etiam inſitum myſterium in varietate colorum, quibus ornantur cerei; panes, quorum unus auro obductus, alter argento; ita doliola, & caniſtra, quæ aliquando variis coloribus pinguntur. Poſſumus enim dicere, quod notavit Durand. (10) varietatem virtutum deſignari, juxta illud, *aliis autem datur per ſpiritum ſermo Sapientiæ, aliis ſcientiæ &c.* Et infra (11) ait : *Adhuc ſuper cortinas candidas ſuſpenduntur quandoque panni varii coloris ad notandum, quòd cor noſtrum purgatum eſſe debet à vitiis, & in eo debent eſſe cortinæ virtutum, & varietates bonorum operum, ad Philipp. 2.*

Ita formæ circularis panis oblati myſterium minimè reticendum putamus. Formam hanc circularem panis ad nos profluxiſſe à Judæis non eſt dubitandum. Judæi enim XII. panes propoſitionis quos XII. Apoſtolis novæ Legis Brunus [12] aſſimilavit,

[1] *Thren.* 4. 20. [2] *Iſai.* 7. 4. [3] *Serm.* 371. *Tom.* 5. *part.* 2. *col.* 1460. *edit. Pariſ.* [4] *Commentar. in illud Thren.* 3. 52. (5) *In Gloſſ. Verbo Fanones.* (6) *In Eclog. in ord. Rom. n.* 19. [7] *Muſ. Ital. Tom.* 2. *pag.* 554. [8] *Cap.* 10. [9] *Homil.* 17. *in Euangel. Lucæ cap.* 10. *pag.* 1496. *edit. Pariſ.* [10] *Rational. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 22. [11] *De cortinis n.* 39. [12] *De Cerem. lib.* 6. *cap.* 8. *pag.* 209.

vit, disponebant in Sacrificiorum Mensâ, sex in unâ, sex in alterâ parte ejusdem mensæ, & ita componebant, ut alter alteri superpositus esset, horumque panum propositionis forma erat circularis, ut videre est in typo à Scaccho [1] proposito. De hac circulari nostrorum panum forma plenè loquitur Baronius (2). Quod attinet ad Mysterium, Durand. (3) *Hostia autem*, inquit, *formatur rotunda, quia Domini est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo.* 8. *Dist. Quo jure & ipsâ sui formâ significat illum, qui principio caret, & fine, quamvis ipse sit* A *&* Ω, *idest principium principians, atque finis* [4]. *Rursus cum figura rotundi formetur à puncto ad punctum, per hoc innuitur, quòd ab ipso sunt omnia, & ad ipsum omnia retorquentur, unde Psalm.*88. *Veritas tua in circuitu tuo.* Idem Durand. (5) ait, figuram rotundam esse omnium figurarum pulcherrimam, *& simplicissimam, quia secundùm Augustinum* [6] *nulla figura, ex una linea tantùm consistit, nisi sola circularis, quæ unica clauditur linea, per quod significatur, nos habere debere simplicitatem columbinam, juxta illud Matth.*5. *Estote simplices sicut columbæ.* Ejusdem circularis formæ significationem exposuit Honorius Augustodun. (7) de Denarii scilicet repræsentatione, dicens, hujusmodi panem mysticum ideò in modum denarii formari, quia panis vitæ Christus pro denariorum numero tradebatur, qui verus denarius in vinea laborantibus in præmio dabitur. Honorium sequitur laudatus Durand. [8] ubi ait: *Panis autem hic formatur in modum denarii, tum quia panis vitæ pro denariis traditus est, tum quia idem denarius in vinea laborantibus in præmium dandus est. Ideo Paulus* (9) *dixit: unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem; Dei etenim sumus adjutores in vinea sua, & vos minores fideles Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.*

Laborarunt Sancti Canonizati virtutum omnium, & bonorum operum exemplo, in quorum symbolum tam solennem oblationem facimus in Missa eorum Canonizationis; sub illis materialibus figuris, & imaginibus res divinas adumbrantes, spiritualem majestatem repræsentamus, ut rebus visibilibus, quasi adminiculis quibusdam ad invisibilem, & augustiorem mysteriorum intelligentiam, juxta B. Dionysium Areopagitam [10] subvehamur; utque deinde ad illorum mysteriorum intelligentiam subvecti ad eos imitandos excitemur. Laboremus itaque & nos imitatores facti Sanctorum, ut cùm Dominus ad visitandum nos venerit in tempore novissimo fructus nostri laboris in vinea ostendentes consequi possimus Euangelii denarium.

CAP. VIII., ET ULTIMUM.

Illustrantur nonnulla verba in cap. II. & IV. asterisco notata.

DE AMULA, ET AMA.

I. Cum in hujus dissertationis, qualiscumque ea sit, contextu, plura contigerit Ordinis Romani proferre testimonia, in quibus quædam leguntur vocabula non passim omnibus obvia, visum est hoc in loco ea ordine alphabetico expendere, ac illustrare, ad clariorem legentium notitiam.

In primo Ordine Romano apud Hittorpium (11) legitur: *Archidiaconus sumit* AMULAM *Pontificis cum vino de Subdiacono.* Et infra in Ordine Romano tertio: AMAS *argenteas, cantatorium, & cætera vasa aurea, & argentea.*

Glossaria nonnulla Amam, & Amulam cum hama, & hamula cum aspiratione, quæ à primis longè dissimiles sunt significatione, confundunt. Ex his est noster Dominicus Macrus, vir alioquin eruditione illustris, in suo Hierolexico, verbo *Ama. Ama*, inquit, *amula, hama, hamula, Italicè Ampollina, vas ad usum Altaris sacrificii.* Et Carolus ejus Frater, Fratri consentiens, ibidem addit: *Urceolus, quem notabimus in dictione* ORZOLI, *Græci acratophorum vocant.*

Du Cang. in V. *Ama*, ait: *Ama, Amula. Papias: Amæ vasa sunt, in quibus sacra oblatio continetur, ut vinum.* Et infra: *Ama est etiam mensura vinaria*; in quo convenit cum Onomastico Romano, V. *Brenta*, quam dixit amphoram latinè, italicè *misura di vino.* Insuper idem Du Cang. hamam dixit cum aspiratione majus dolium vinarium; ex Historia Trevirensi, in qua hæc leguntur (12): *Captato deinde consilio opportuno* [quidam Siko] *triginta hamas præparat, in quibus singulis singulos milites electos, loricatos, galeatos, ensibusque præcinctos collocat. deinde 60. viros nihilominus electos, & ple-*

[1] *In Myrothec.*2. *cap.*38. *pag.*374. [2] *Ad annum* 58. *n.*64. [3] *Rational. lib.*4. *cap.*30. *n.*8. [4] *Apocal. cap.*1. [5] *Sup. lib.*2. *cap.*1. *sub n.*29. [6] *Lib. de quantit. Anim. cap.*16. [7] *In Gem. lib.*1. *cap.*35. [8] *Rational. lib.*4. *cap.*41. *n.*8. [9] 1. *Corinth.*3. *Cirvel. fol.*121. *col.*3. [10] *De Cœlest. Hierarch. cap.*1. [11] *Pag.*2. *col.*1. (12) *Spicileg. Lucæ Dacherii Tom.*12. *pag.*221.

beja veste amictos, ensibus eorum in hamis reconditis, gestantes constituit, nulloque hominum hujus fraudis præter prædictos viros conscios fecit.

Adrianus Junius, [1] descripsit hamam, *Instrumentum arcendis, restinguendisque incendiis accommodum.* Junio favet Holstenius,(2) juxta laudatum Du Cang. ubi supra, qui ait, Holstenium explicasse, hamas, apud Plinium [3], Juvenal. [4], & alios, *fuisse falces grandiores, seu ferramenta recurva, longissimis contis suffixa*, qualia incendii compescendi, aut extinguendi causa passim apud nos conspiciuntur. Unde crederem italicè appellari posse *Ronca, Roncone*, prout gallicè apud Calepinum dicitur *Croc*, quæ sunt instrumenta ferrea cæsoria recurva. Quamobrem lex 12. *ff. de fundo instructo, vel Instrumento legat.* §. *Canales*, hamas, & harpagones conjungit.

Henricus Stephanus in Thesauro Linguæ Græcæ, verbo ἄμη, hæc habet. „ Ἄμη inquit „ Budæus in Comment. Instrumentum fossorium, quod lingua vernacula Luchetum „ vocant, quo fossores aggerarii utuntur. „ Eschin. in Ctesiph. ἔχοντας ἄμας καὶ δικέλλας. „ Apud Plinium in Epist. ad Trajanum legitur hama, quod aliud instrumentum significare mihi videtur. Hactenus Budæus. Sunt autem qui ibi pro instrumento ad incendia compescenda sumi „ existiment. Apud Suidam ἄμας ἀπήτουν, „ οἱ δ' ἀπηρνοῦντο σκάφας, quod est inter Erasmica. Suidas ἄμην esse ait fabrile instrumentum. Etymologistes agricolarum, „ aut architectorum instrumentum, dicens, „ vel ab ἄμα adverbio, vel ab ἀμᾶν posse „ deduci. Erasmus ab ἀμᾶν deducendum „ censuit. Apud Suidam ἄμη legitur tenuatum, tamquam ab ἀμᾶν, & paulò post „ ἄμας aspiratum, tamquam ab ἅμα. Et apud „ Plinium hama est cum aspirationis nota „ in modò citatis. Sic & apud Cat. ubi hamam rusticis instrumentis annumerat, „ quamquam, & ἀμᾶν ipsum, quod tenuari „ constat, ab ἅμα deducunt Grammatici.

In suprarecensitâ l. 12. *de fund. instruct. vel instrum. leg.*, ait glossa: *Hamæ verò, quod sint instrumenta, disserte Jo: Maria Catanæus in Epist. Plinii ad Trajan. testatur.* Plinii autem verba [5] sunt hæc: *Est autem latius sparsum* (incendium).... *& alioqui nullus usquam in publico sipho, nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda.* Ubi idem Catanæus ad verbum *hama*, sic inquit: *Hama*] *inter instrumenta rustica connumeratur à Julio Polluce, & Catone. Suidas fabrile credidit instrumentum, inibique duo proverbia recitantur. In Vitis Pontificum plerumque leges hamas argenteas donatas ministerio divino. Quidam rentur hamulam inde deductam; de quo Columella in cultu hortorum*: Aut habilem lymphis hamulam, Baccove lagenam. *Nunc etiam hamula à circumpadanis nostris vulgò appellatur vas vitreum ad usum aquæ, & vini.* Hactenùs Catanæus, qui falli videtur in eo, quod hamam in Vitis Pontificum cum aspiratione scribi crediderit, cùm sinè aspiratione in omnibus Anastasii Editionibus legatur (quod etiam dici posset de versu Columellæ adducto). In hoc pariter hallucinatur Altaserra in Not. ad Anastas. in Silvestro verb. *Amas*, ubi postquam dixit *amas* sinè aspiratione, addit: *hamæ sunt vasa, è quibus acetum, vel aqua funditur ad extinguenda incendia.* Et ibi perperam adducit legem tertiam §. *Sciendum ff. de offic. Præfect. Vigilum*, & dictam *l. quæsitum* 12. §. *Acetum ff. de fund. instruct., vel instrum. legat.* [Hunc titulum exposuit: *de Instruct. Legat.*, qui quidem in toto legum Civilium corpore non reperitur]. Etenim Leges illæ nihil de iis exponunt, quæ sibi finxit Altaserra, sed ex eis contrarium potius eruitur. In dicto namque §. *Acetum* enumerantur Instrumenta domus necessaria: *Item centones, siphones, funes, perticas quoque, & scalas, & phormiones, & spongias, & hamas, & scopas*; & paulò infra: *Canales autem, & harpagones, & hamas, instrumento contineri constat.* Et in dicta l. 3. §. *Sciendum* clarius dignoscitur, ubi hæc leguntur: *sciendum est autem, Præfectum Vigilum per totam noctem vigilare debere, & coërrare calceatum cum hamis, & dolabris.* Dolabra autem est instrumentum ad subruendum murum [6]. Quare eam intercedere differentiam inter amam, & hamam cum aspiratione videbatur, quæ inter verba arpago sinè aspiratione, & harpago cum ea. Harpago enim juxta Latinos est instrumentum ferreum in fine aduncum, & arpago apud laudatum Du Cang. V. *Arpago*, est genus vasis; unde Josephus: *fecit vasa aurea, ollas, caldarias, & arpagones.*

Verùm redeamus ad institutum nostrum de ama, & amula; Amam itaque vas esse ad fundendum vinum accommodum legimus apud magnum Calepini, & Passeratii Lexicon, ibique amas in Ecclesia urceolos esse, & gutturnia vino, & aqua plena ad sacri-

[1] *In lib. cui tit. Nomenclator pag.* 603., [2] *In Notis ad passionem SS. Perpetuæ, & Felicitatis,* [3] *Lib.* 10. *Epist.* 34. [4] *Satyr.* 14. [5] *Dicto lib.* 10. *Epist.* 34. [6] *Tit. Liv. lib.* 9. *pag.* 108. *tergo.*

crificium Altaris: insuper & esse donaria ad ornatum templorum.

Vicecomes (1) amam, & amulam inter urceos refert, sicut & scyphum, nec inter amam, & amulam ullam ponit differentiam, quæ tamen non minima inesse videbatur; nec mirum, si in cap. antecendenti, *Phialæ autem* (inquit) *ab urceis non differunt*. Quod quantum distet à vero, ostendit Scacch. in Myroth.2. [2], ubi impressam profert phialæ imaginem ad similitudinem potorii, italicè *tazza*, cum binis auribus, atque asserit per phialam vas ad servandum incensum significari. De Scypho infra verba habebimus.

Amarum pluribus in locis mentionem fecit Anastasius in Vit. Pontificum, dona referens Ecclesiis, & Altaribus facta, memorabili Summorum Pontificum, Imperatorum, & Regum largitate. In S. Silvestro, *amas*, scripsit, *argenteas duas, pensantes singulæ libras denas*, pag. mihi 16. *Amas ex auro purissimo duas, pensan. sing. lib. quinquaginta, portantes sing. medimnos tres*, pag. mihi 18. [Medimnus autem erat mensura, quæ continebat, teste Polluce apud Hadrianum Junium, octo & quadraginta chænicas, sive centum, & octo libras] *Amas aureas duas pens. sing. lib.* 10. *Amas argenteas quinque pens. sing. lib.* 3. pag. 20. Et pag. 22. *Amas argenteas pensan. lib.* 20. pag. 23. *Amas argenteas pensantes libras* 10. Et infra, *Amas aureas duas pensan. singulas lib.* 11. pag. 24. *Amas argenteas* 4. *pensantes sing. lib.* 15. Et infra: *Amas argenteas duas pensantes sing. lib.* 10. pag. 25. *Amas argenteas duas pensantes sing. lib.* 20. Et infra ead. pag. *Amas argenteas duas pensan. sing. lib.* 10. Et tandem pag. 26. *Amas argenteas* 2., *pensan. sing. lib.* 15.

In Sancto Marco, *Amas argenteas duas pensantes lib.* 20. In Sancto Innocentio; *Amas argenteas duas pensan. sing. lib.* 20. In Sancto Cœlestino, *Amas argenteas duas pensan. sing. lib.* 10. In S. Sixto III. *Amas argenteas* 4. *pensan. lib.* 60. Et infra, *Amas argenteas tres pensan. lib.* 15. In Sancto Hilario pag. 39. *Amas argenteas* 5. *pensan. lib.* 10. Et paulò infra; *Amas argenteas duas pensan. sing. lib.* 10. Et iterum, *Amas argenteas duas pensan. lib.* 10. Ac demum pag. 40. *Amas argenteas* 25. *pensan. sing. lib.* 10. In Sancto Hormisda, *Amas argenteas tres, pensan. sing. lib.* 10.

Ex his inferri posse arbitror, Amas fuisse quidem vasa ad retinendum, & infundendum vinum, & aquam, vel pro sacrificio Missæ, vel pro lavandis manibus, ac sæpè sæpiùs ad ornatum Ecclesiarum, & Abacorum, in quibus adhuc visuntur, præcipuè in Pontificia Cappella, in qua celebrante Cardinali super Abaco duæ Amæ argenteæ, auro distinctæ, ansatæ, disponuntur, quæ hodie à vulgo *Boccali* appellantur, in quorum ovatæ alvi gyro cælata leguntur hæc verba: *Sac. Collegii S. R. E. Cardinalium*. Et pariter in Abaco Pontificis, ipso solenniter celebrante, cum magnis pelvibus per gradus dispositis, quatuor ad ornatum collocantur amæ argenteæ inauratæ ansatæ, ferè ad similitudinem Præfericuli, quod exhibuit dictus Scacch. in eodem Myrothec. 2. [3], si demas expansam utrimque superficiem super collum, & efformetur cum procero rostro, vulgò *a becco d' occa*, ansæ adverso. Hactenus de Ama, modò ad amulam, descendamus.

Amula juxta memoratum Altaserra in Silvestro Papa, propriè diminutivum est amæ, & in loco de quo agitur est vasculum, in quo oblatio vini pro Missæ sacrificio continetur, & aquæ pariter, quæ in amula ex æquo offertur ab Archiparaphonista; & amula illa à dicto Ordine Romano *fons* appellatur, ut infra notabimus. Amulam sic exponit Du Cang. in eodem verbo: *Amula, minor ama. Papias. Amula, vas vinarium. Amulæ dicuntur, quibus offertur devotio, sive oblatio, similes Orceolis*. Glossæ MSS. *Amula, vas offertorium. Hamula* [malè cum aspiratione] *oblatoria in veteri Charta Cornucianensi edita à Suaresio*. Ordo Romanus I. apud Hittorpium [4]: *Pontifice oblationes populorum suscipiente Archidiaconus suscipit post eum amulas, & refundit in Calicem majorem, tenente eum Subdiacono, quem sequitur cum scypho super Planetam Acolythus, in quem calix impletus refunditur*. Ordo Roman. III. [5] apud eumdem Hittorp. *Archidiaconus post eum suscipit amulas, & refundit in Calicem majorem, tenente eum Subdiacono Regionario*. Et infra eâdem columna: *ornato vero Altari, tunc Archidiaconus sumit* AMULAM PONTIFICIS *de Subdiacono Oblationario Regionario, & refundit super colum in calicem*. Ord. Rom. IV. apud eumdem Hittorp. [6] *Amulæ argenteæ ad vina fundenda paratæ*. Ibidem infra [7]: *Archidiaconus verò post eum amulas suscipit* [ubi in meo Hittorpio Turrigius ad verbum *Amulas* notavit in margine *vascula vini*]. Et paulò infra idem Ordo, *post quem Diaconus sequens amulas suscipit*,

[1] *De Missæ apparatu lib.6. cap.28.* [2] *Cap.42. pag.396.* [3] *Cap.43. pag.412.* [4] *§. Deinde pag.3. col.2.* [5] *Pag.13. col.1.* [6] *Pag.16. col.1.* [7] *Pag.17. col.2.*

pit, & in scyphum manu sua post Archidiaconum eas refundit;& pag.18.col.1.*Archidiaconus deinde sumit amulam Pontificis de Subdiacono oblationario*. Ex quo textu, & ex antecedentibus Ord. Rom.I. & III. dignoscimus ipsum Romanum Pontificem in Missa per manus Subdiaconi Oblationarii Regionarii vinum intus amulam pro consecratione offerre consuevisse; & non solùm vinum, sed & panem, quod patet ex verbis ejusdem Ordinis Romani IV. [1]: *Deinde Archidiaconus suscipit oblatas Pontificis de Oblationario, & dat Pontifici, quas dum posuerit Pontifex in Altari, levat Calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi Regionarii, & ponit eum super Altare, juxta oblatam Pontificis à dextris*. Ubi notandum verbum *à dextris*; eo enim tempore Calix cum vino, & aqua oblatus ad dexteram collocabatur hostiæ, seu panis, in Mysterii significationem, quod è latere Crucifixi Jesu lanceâ perforato exivit sanguis, & aqua, ut supra cap.4. exposuimus ex S. Ambrosio (2). Nunc vero ex Rubric. Missal. [3] tum Sacerdos, tum Pontifex, *facit signum Crucis cum calice super corporale, & ipsum in medio post hostiam collocat*.

De Amulis mentionem etiam fecit Sanctus Gregorius Magnus [4] scribens ad Petrum Siciliæ Subdiaconum: *Amulas onychinas requisita subtiliter veritate restitue, quas per portitorem præsentium transmitte*. Item Anastas. Biblioth. in Greg. III. Papa; *Amulas, superauratas paria duo*; Et in Hadriano [5]: *Obtulit in argento canistra duodecim, amam unam, scyphum unum, patenam unam, calicem unum, amulam offertoriam unam, pen. lib. sexaginta, & septem*. Ubi dictus Altaserra verbum *pen.* abbreviatum, interpretatus est *pensantem*, loco supracitato in Silvestro, verbo *Amas*, inquiens, *Amulam offertoriam unam pensantem libras sexaginta, & septem*. *Pensantia* potiùs dicere debebat, ut omnium illorum donorum pondus unà exprimeret, alioquin amula major esset ama; nullam enim tanti ponderis amam legimus in Anastasio. Et Amula est amæ diminutivum, ut idem Altaserra eodem loco asseruit. Item Chronicon Cassinense [6], *tulit in coronis baziis, & amulis, garalibus, & cochleariis argenti lib.* 500. Et apud Ugutionem cum aspiratione; *hamula, phiala in similitudinem urceoli*. Qui urceolus propriè est urcei diminutivum, & italicè dicitur *Boccaletto*. Urceus enim est vas, quo in aliud aut aqua, aut vinum, vel quid simile infunditur. In sacris tamen ampullæ, seu ampullulæ appellabantur urceoli, unde in iisdem erant urceoli ministratorii, seu ministeriales juxta Glossar. Du Cang. in V. *Urceolus, & Orceolus*, ubi ille multa eruditè congessit; horum patet usus ex Ordine Romano apud dictum Hittorpium (7): *Accipiant, & Urceolum vacuum dicente sibi Episcopo: Accipite urceolum ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi*; & infra in ordinatione Subdiaconi, [8] *de manu verò Archidiaconi accipiant urceolum cum aquamanili, & manutergium*; ubi modò Rubrica Pontif. Roman. præcipit, *& Archidiaconus accipit, & tradit eis* [idest Subdiaconis] *Urceolos cum vino, & aqua, ac Bacile, cum manutergio*. Verùm hi urceoli non videntur posse dici amulæ. Urceoli namque vulgò dicuntur *ampolline*, *ampollette*, ampullæ diminutivum, Amularum forma dissimiles. Ampullæ namque erant in ministerium sacrorum oleorum, ut ex dicto Ordine Romano [9]: *Tunc offeratur Pontifici oleum de ampullis, quas offerunt Populi*; & ex eodem (10): *Tunc duo Acolythi accipientes illas duas ampullas, quæ ad Chrismа, & ad oleum Catechumenorum consecrari debent &c.* Quod Amalarius [11] ferè iisdem verbis ostendit. Diximus amularum forma dissimiles urceolos, idest ampullulas; ampullæ namque & ampullulæ per siphonem aquam, seu vinum, seu oleum effundunt, quo siphone carent amulæ, & amæ, ut supra ostendimus. Prætereundum denique non videtur quid sentiat de amula Vocabularium hetruscum, vulgò *della Crusca*. Hoc amulam vertit italicè *brocca*; quam Onomasticum Romanum *urnam* latinè dixit, seu *lagenam*. Quicquid autem hi sentiant, aliis relinquimus de veritate judicium. Unum animadverti vellem, scilicet amulas, de quibus in memorato Ord. Rom. I. §. *Deinde*, nequaquam esse potuisse cum siphone, cujus angustia præ vasis exilitate, oblationi exigui panis respondentis, haud ab ea vinum refundere in calicem, quod est largè fundere, & veluti à calice in calicem, valuisset Archidiaconus; sed potiùs stillare, & guttatim fundere, juxta siphonis proprietatem, minimè debitam in solenni frequentissimi populi oblatione, quinimmò impropriam. Adeòque crediderim nostras amulas assimilari potuisse lagenis illis, quarum etypon exhibet Pan-

[1] *Dicta pag.18.col.1.lin.20* [2] *De Sacram.lib.5.cap.1.* (3) *De Rit.celeb.Miss cap.7. n.5.* [4] *Lib.1. Epist.42.* (5) *Pag.170.* (6) *Lib.1.cap.28.* [7] *De Div.Offic.in ordinatione Acolythorum pag.90. col.1.* [8] *Pag.91.col.1.* [9] *De Offic. Div. à Cœna Domini &c. pag. 58. col.1.* (10) *Pag.59. itidem col.1.* [11] *De Off. Div. Lib.1. cap.12.*

Pancirol. [1], qui inter vaſa, ad officium Comitis Caſtrenſis Palatii ſpectantia, profert armarium cæruleum, in cujus ſummitate plures parvæ lagenæ lata corona conſtitutæ ſunt; quæ quidem nullo ſiphone ſunt inſtructæ, ac probè noſtras amulas repræſentant. Hæc de amula, quæ ab Archidiacono in oblatione Miſſæ ſuſcipitur.

De Archiparaphonista.

II. *Deſcendit Subdiaconus ſequens in Scholam, & accipit fontem de manu* Archiparaphonistæ. Ordine Rom. I. §. *Tunc Subdiaconi* [2]. Deinde *deſcendit Subdiaconus ſequens in ſchola, accipit fontem de manu* Archiparaphonistæ. Ord. Rom. III. [3]. *Poſtea autem Subdiaconus ſequens deſcendit in Scholam, & accipit fontem de manu* Archiparaphonistæ. Ord. Rom. IV. (4) apud Hittorpium.

Archiparaphoniſta, græcè dicitur ἀρχιπαραφωνιστής, hoc eſt, *primus acclamator*. In Eccleſia tamen Romana non erat principalis cantor, ut noſter Macrus in V. *Archiparaphoniſta* aſſeruit, ſed quartus in Schola Cantorum, ut patet ex Ord. Rom. apud eumdem Hittorpium III. (5): *Et poſtea non licet alterum mutare* [ex cantantibus Epiſtolam] *in loco Lectoris, vel cantoris; quod ſi factum fuerit, Archiparaphoniſta excommunicabitur, ideſt quartus ſcholæ, qui ſemper Pontifici nunciat de Cantoribus*. Et infra in Ord. IV. (6) *Quod ſi factum fuerit, excommunicabitur* [ideſt ab Officio ſuſpendetur, juxta Mabillon. Muſ. Ital. Tom. 2. in Notis ad Ord. Rom. I. litt. B.] *Archiparaphoniſta, ideſt quartus Scholæ, qui ſemper debet Pontifici de Cantoribus nunciare*. Ubi in meo Hittorpio Turrigius ſcripſit in margine *Decanus Cantorum*; fortè à particula *archi*, quæ *primum* ſignificat, inductus, vel tamquam primus Paraphoniſtarum, poſt primum, ſecundum, & tertium. In Cantorum etenim ſchola adſcripti erant prior, ſecundus, & tertius, fortè Primicerius, Secundicerius, & Tertiocerius Cantorum: ita dicti, quia in cereis tabulis primi antiquitùs ſcribebantur, juxta dictum Macrum Verb. *Primicerius*. Habemus enim in I. Ordine Romano apud Hittorp. [7] hæc præciſa verba: *Et ille quartus ſcholæ ad Priorem, vel ſecundum, ſive tertium, inclinato capite dicit: Domini, jubete*; Ex quo apparet, tres iſtos Archiparaphoniſtâ fuiſſe ſuperiores; & minimè illum fuiſſe primum cantorem, nam in eodem Ordine proximè additur: *Tunc ſtatuuntur duæ acies in choro per ordinem ab utroque latere, & mox incipit Prior ſcholæ antiphonam ad introitum*. Quod ferè iiſdem verbis habetur in Ordine III. [8]: *Quod dum nunciatum fuerit Pontifici* [ideſt de Lectoribus, & Cantoribus] *ſtatim ſequitur quartus ſcholæ Subdiaconus, adſtans ante faciem Pontificis, uſque dum ei annuat Pontifex, ut pſallant: cui dum annuerit, ſtatim egredietur ante fores Secretarii, & dicit, accendite; qui dum incenderint .... Et ille quartus Scholæ perveniens in Presbyterio ad priorem ſcholæ, vel ſecundum, ſive tertium inclinato capite dicit: Domini, jubete. Tunc illi elevantes per ordinem vadunt ante Altare, & ſtatuuntur per ordinem acies duæ, Paraphoniſtæ quidem hinc inde à foris, infantes ab utroque latere* [Infantes dicuntur *ſoprani* à Turrigio in margine dicti mei Hittorpii in Ordine de Divinis Officiis [9], & gallicè *Enfans de Choeur* apud Du Cang. V. *Paraphoniſta*] *infra per ordinem, & mox incipit Prior ſcholæ antiphonam ad introitum*. Idem prorſus repetitur in Ord. IV. [10]. Interim obiter notandum in dicto verbo *aſcendite*, quòd etiam hodie in Baſilica Vaticana, Eccleſiaſticarum Cæremoniarum omnium Eccleſiarum magiſtra, juxta Rotam coram Merlin. [11], Cæremoniarius, cum tempus advenerit exeundi è ſacrario ſupplicabundo ritu ad Chorum pro Miſſa, alta voce dicit: *Domini Acolythi*. Tum accenduntur candelabra; induuntur Sacerdos Miſſam cantaturus, & miniſtri, hiſque indutis iterum alta voce dicit: *in Chorum Domini*; & tunc elata Cruce dicto ritu proceditur ad Chorum. In Ædibus verò Apoſtolicis, & ibi in Aula Paramentorum, cùm Papa eſt proceſſurus ad ſolenniter celebrandum, vel Miſſæ in Sacello Apoſtolico interventurus, & ſtola fuerit indutus, tum conveniente ante eum Subdiacono Auditore Rotæ cum Cruce, quam Pontifex veneratur, Cæremoniarum Præfectus dicit alta voce, *extrà*; & tunc Cardinalibus Crucem ſequentibus ad Sacellum, ſeu Eccleſiam fit ſupplicatio.

Cæterùm ex antedictis cum Archiparaphoniſta etiam apud Du Cang. Verbo *Archiparaphoniſta*, ſit quartus ſcholæ Cantorum, liquidò apparet minimè fuiſſe Primicerium, neque Præcentorem, neque Protopſaltem, neque Cantorum Præfectum, Eccleſiaſticas dignitates; ſed ad ſummum pri-

[1] *Commentar. in Notitia Imp. Oriental. cap. 91. pag. 59.* (2) *Pag. 3.* [3] *Pag. 13. col. 1.* [4] *Pag. 18. col. 1.* [5] *Pag. 11. col. 2.* [6] *Pag. 16. col. 2.* [7] *Pag. 1. col. 2.* [8] *Pag. 11. col. 2.* [9] *pag. 46. col. 2. §. Item.* [10] *Pag. 16. col. 2.* (11) *Deciſ. 643. n. 21.*

primum ex Paraphoniſtis, qui modò *Muſici* nuncupantur.

De Colatorio, et Colo.

III. *Compoſito igitur Altari, & ornato Archidiaconus deindè ſumit amulam Pontificis de Subdiacono Oblationario, & refundit in calicem ſuper* Colatorium. Ord. Rom.IV. apud Hittorpium [1]. Supra verò in III. Ordine (2): *Cum* Colatorio *argenteo, & aureo, & alio majore argenteo, amas argenteas &c.* infra verò [3] loco *Colatorii* legitur *Colum*; *Ornato verò Altari tunc Archidiaconus ſumit amulam Pontificis &c. & refundit ſuper colum in Calicem*: quæ verba item leguntur in Ordine I (4). Ex his colligitur, Colatorium, & Colum, & etiam aliquandò Cola fœm.gen., eſſe ſynonyma, juxta Dominicum Macrum in Hierolexico V. *Colatorium*, & Du Cang. Gloſſar. V. *Colum*. Erat vaſculum ad purgandum vinum accommodum, concavum, ſubtiliſſimis foraminibus in imo perforatum, per quod vinum, & aqua ex amulis in calicem refundebantur, ne quid impuri in ipſum efflueret. Apprimè deſcribitur ab Ordine Rom. II. apud dictum Hittorpium (5) his verbis: *Archiſubdiaconus quippe .... Archidiacono apportet vinum per colum, quod in ſiniſtra manu Romanus Ordo Archiſubdiaconum auriculari digito ferre jubet, purgandum; quod utique vas in id opus ex aliquo metallo formatum in medio ſui plurima quaſi acus foramina, ad excolandum vinum oſtendit; & illud Archiſubdiaconus per totum Miſſæ officium in ſiniſtra manu, illo quo prædiximus digito, annulo ſuſpenſum portaturus eſt*. Per ejus anſam auriculari ſiniſtræ manus digito ſuſtineri perperàm dixit Macr. loco ſupra citato.

Meminit hujus vaſis Anaſtaſius Bibliothecarius in Leone III. *Vaſa colatoria argentea deaurata*. In Sergio II. *Colatorium de argento, quod in ſacro utitur officio, deauratum unum*. Et in Benedicto III. *Patenam unam, Colatorium unum*. De hoc diſſerit Card. Bona [6], & Mabillon. [7]

De Cruce in Calicem.

IV. *Deinde deſcendit Subdiaconus ſequens in Scholam, & accipit fontem de manu Archiparaphoniſtæ, & defert Archidiacono, & ille ex amula infundit*, faciens Crucem in Calicem. Ord. Rom.I. apud Hittorp. [8]. Eadem ferè verba leguntur in Ordine III. [9]: *Deindè deſcendit Subdiaconus ſequens in ſchola, accipit fontem de manu Archiparaphoniſtæ, & defert ad Archidiaconum, & ille infundit* faciens Crucem in Calicem; & ſimilia in Ordine IV. (10). Patet ex hoc ritus illius ævi, quo aqua in modum Crucis in calicem fundebatur, ſinè ejuſdem aquæ benedictione. Nunc verò cum formula ad hoc instituta aquæ benedicimus, juxta Rubricam de Ritu celebrandi Miſſam cap.7. de Offertorio &c. n.4. *Deinde eodem modo tenens calicem producit ſignum Crucis* ſuper ampullam aquæ, & dicit, *Deus qui humanæ ſubſtantiæ &c.* Et infundens parum aquæ in calice, proſequitur: *Da nobis per hujus aquæ, & vini myſterium &c.* Et infra num.9. in Miſſa Solenni, *Subdiaconus interim ampullam aquæ oſtendens celebranti dicit: Benedicite Pater Reverende, qui facto verſus eam ſigno Crucis dicit Orationem, Deus qui humanæ &c.* Interim Subdiaconus infundit parum aquæ in calicem; ceſſat tamen in Miſſis pro Defunctis hujuſmodi benedictio; ſed Oratio *Deus qui humanæ ſubſtantiæ* dicitur juxta laudatam Rubricam n.4.

De Defensoribus.

V. *Pontifex autem ſuſtentatus hinc indè dextra, lævaque à Primicerio Notariorum, & Primicerio* Defensorum *deſcendit ad Senatorium*. Ordo Rom.IV. apud Hittorp. (11). Et infra (12) *Notarii, &* Defensores *Regionarii deſcendunt &c.* Et ſupra in III. [13]: *Et* Defensores *omnium Regionum*; & ibidem (14) *Exeuntes Acolythi, &* Defensores *ex Regione illa*; & paulò infra: *Acolythus quidem cum* Defensoribus *primùm*. Et ibidem (15) *Remanent cum Pontifice Primicerius* Defensorum, *Notarii Regionarii &c.* Similiter [16] *Pontifex deſcendit ad Senatorium tenente manum ejus dexteram Primicerio Notariorum, & Primicerio Defenſorum ſiniſtram*; Et ibidem (17) *Pontifex .... ſuſcipit oblatas Primicerii* Defensorum; & tandem in Ordine I. (18) *Acolythi quidem cum* Defensoribus *primùm, deinde Preſbyteri &c*,

Defenſores propriè Advocati erant, qui juriſdictiones, & bona Eccleſiæ defendebant, & pauperibus patrocinabantur. Erant olim.

[1] *Pag.18. col.1.* [2] *Fol.10. col.2.* [3] *Fol.13. col.1.* [4] *Pag.3. col.2. §. Tunc Subdiaconi.* [5] *Pag.7. col.2. §. Archiſubdiaconus.* [6] *Rer. Liturg. lib.1. cap.25. num.5.* [7] *Muſ. Ital. tom.2. in notis ad Ord.Rom.VI. pag.73.litt.B.* [8] *Pag.3.col.2. §. Tunc Subdiaconi.* [9] *Pag.13.col.1.* (10) *Pag.18.col.1.* (11) *Pag.17. col.2.* (12) *Pag.18.col.1.* [13] *Pag.9.col.2.* [14] *Pag.10.col.2.* [15] *Pag.11.col.1.* [16] *Pag.12.col.2.* [17] *Pag.13. col.1.* [18] *Pag.1. col.1.*

olim septem juxta septem Regiones Urbis, & ideo Regionarii nuncupati ex Decreto Gregorii Magni, prout legitur in ejus Epistola 17. lib. 9. Nunc Advocati Consistoriales appellantur, quos usque ad numerum duodenarium auxit Sixtus PP. IV. Et in hoc conveniunt Macrus in Hierolexico, & Du-Cang. in Glossario V. *Defensor*. De his autem latè scripsit Joseph Hortensius de Rubeis in suo eruditissimo Opere, cui titulus *Defensor redivivus*. Horum Primicerius tunc temporis in sacris solennibus Actionibus sinistram Papæ manum sustinebat in accessu ad solium Pontificium, & recessu ab eodem, dexteram sustinente Primicerio Notariorum. Nunc verò munus hoc delatum est primis duobus Protonotariis Apostolicis, à Lecto paramentorum usque ad faldistorium ante Altare, ad fundendas preces pro Papa paratum, dummodo summus Pontifex non sit vestibus sacris Missalibus exornatus, vel DD. Cardinales habeant indumenta sacra; tunc enim duo Auditores Rotæ, nunc Subdiaconi Apostolici, & quandocumque Pontifex à dicto faldistorio ascendit ad thronum, vel hinc ad faldistorium descendit, vel ad Altare, semper hujusmodi munus adimplent. Horum Defensorum meminit etiam Amalarius, & Jo: Diaconus de Ecclesia Lateranensi apud Mabillon. [1] his verbis: *Sextus primus Defensor, qui praeest Defensoribus, quos Advocatos nominamus*.

De Fanonibus.

VI. *Interim Cantores cantant Offertorium cum versibus, & populus dat oblationes suas, ideſt panem, & vinum, & offerunt cum* Fanonibus *candidis*. Ord. Rom. I. apud Hittorpium [2].

De Fanonibus varia significatio; aliquando enim pro manipulo usurpantur, aliquando pro veste sacra Summi Pontificis; aliquando, prout hîc, pro mappulis lineis candidis, ad rerum oblatarum munditiem servandam, & reverentiam adhibitis. Pro manipulo sumi probat laudatus Macrus in V. *Fanon*, & similiter pro illo sacro Indumento, quo Summus Pontifex post acceptam Crucem Missam cantaturus vestitur, & de quo egimus supra in Actis Canonizationis. Du Cang. Glossar. V. *Fano* dixit ex Papia fanonem corporale; verùm ex Leone IV. Papa *de Cura Pastorali* ab ipso Du-Cang. ibidem relato, pro manipulo usurpari videtur; verba enim illius Sancti Pontificis sunt; *nullus cantet sinè lumine, sinè amictu, sinè alba, stola, fanone, & casula*; ex quibus per fanonem nonnisi manipulus potest intelligi. Fanones autem nostri Ordinis Romani supra expositos idem Du Cang. vocavit *fanones offertorios*, quia verè in offerendo adhibebantur; de quibus disseruit Amalarius in Ecloga ad Ord. Rom. editâ à Mabill. (3): *Atque ideo fanonibus puris oblationes tenent, ut se ostendant religione Sancta, & Catholica accepisse pro fratribus animam ponere, & non solùm animas, sed & puras, ut non sint aliqua hæresi pollutæ*.

Similiter accipitur Fanon pro alia mappula linea, quam veteres vocabant Offertorium: eâ enim involvebant Calicis ansas, ut patet ex verbis Ordinis Romani I. apud Hittorpium (4): *Subdiaconi autem postquàm viderint calicem, in quo sanguis Domini est, fanone circumdatum, & audierint, sed libera nos à malo, vadunt, & præparant calices &c.* Quem locum illustravit Amalarius [5] dicens: *Subdiaconi in ipso aspectu perseverant, usque dum fanone calix circumdatur*. Et paulò infra: *Subdiaconi quidem postquam vident calicem circumdatum linteo, vadunt ut præparent calicem*. Fanon ergo ibi erat linteum, cui successisse aliqua ex parte Purificatorium verisimile est.

Fanones etiam dicebantur mappulæ illæ lineæ, quibus Papæ caput aliquando obtegebatur in præcipuis sacris functionibus, atque etiam in prandiis cum sacris indumentis habitis, sub mitra, ut patet in Ord. Rom. Auctore P. Amelio apud Mabillon. (6). Et apud eumdem in Ord. Rom. J. Gaëtani fol. 357. in *mandato* faciendo feria V. in Cœna Domini. His hodie substitutum est parvum biretum, & fanonibus tunc utebantur, prout hodie subbireto; nè scilicet Mitræ sudore madefactæ macularentur. Qua ratione etiam hodie Decanus Auditorum Rotæ pro sustinenda Papæ Mitra (hoc munus ei demandatum est) à collo pendentem, sub Cappa, vel superpelliceo mundam lineam sindonem, & candidam adhibet, quæ satis oblonga fanon posset aptè nuncupari; vel etiam offertorium, ut infra.

Fanones præterea sunt mappulæ illæ, quas in Canonizatione Sanctorum, & in Consecratione Episcoporum, Abbatum &c. supponimus oblationibus Intorticiorum,

Pa-

[1] *In Mus. Ital. Tom. 2. pag.* 570. [2] *Pag.* 3. *col.* 2. [3] *Ubi supra pag.* 554. *sub num. XIX.* [4] *Pag.* 4. *col.* 2. [5] *In dicta Ecloga in Ord. Rom. n. XX. apud Mabillon. loco supracitato pag.* 555. (6) *Dicto Tom.* 2. *Mus. Ital. fol.* 487. *&* 489.

Panum &c., ut in Rubrica Pontificalis Romani de Consecratione Electi in Episcopum §. *Ponuntur etiam octo mappulæ &c.* & quarum supra cap. præcedenti aperuimus mysteria.

Sudaria etiam appellavit Fanones, & quidem apposite, Mabillon. in Not. ad prænarratam Eclogam Amalarii [1]. Quia ministri sacri illis ad sudorem, & lacrymas abstergendas utebantur cum sacris operarentur; de quo latè disseruit etiam Vicecomes de Apparatu Missæ lib.2. cap.33. & seq. Perperàm tamen Mabillon. loc. supracitato fanonem pro velo sumpsit, quod instar umbellæ super caput Pontificis ferebatur; nam verba in Ordine Rom.XIV. Auct. J. Gaëtano [2] ab ipso citata, *Fanonem in capite cum Mitra desuper*, mappulam lineam, quam supra diximus Papam adhibere sub mitra in solennibus prandiis, significant, non umbellam: neque fanon appellatur *Mappa super caput ejus* (scilicet Pontificis) *extensa*, cap.47. prædicti Ord. Rom. pag.281. ibid. citat., nam verè ibi umbella, quam Baldachinum appellamus, intelligenda est.

De Fonte.

VII. *Deinde descendit Subdiaconus sequens in Schola, & accipit* FONTEM *de manu Archiparaphonistæ*. Ord. Rom. I. apud Hittorpium (3). Eadem verba repetuntur in Ord. Rom. III. apud eundem (4), & in Ord. IV. [5] legitur: *Postea autem Subdiaconus sequens descendit in Scholam, & accipit fontem &c.* Apud meum Hittorpium in margine in Notis MSS. Turrigii ad Verbum *fontem* legitur *aquam*; quod quidem aptè notatum est. Per fontem enim amula aquæ debet intelligi, dum ad Cantores spectabat aquam pro omnibus offerre. Amalarius namque (6) *At Cantores*, inquit, *qui sunt de genere Levitarum, propter instantem necessitatem cantandi* [cantant enim Offertorium] *non habent licentiam huc illucque discurrendi, ut singuli offerant cum cæteris. Statutum est eis, ut penitùs non sint extorres à Sacrificio, custodire aquam, & hanc unum offerre pro cæteris. Populus offert vinum, Cantores aquam, & quidem omnes in amulis. Fontem*, idest aquam, dixit etiam Mabillon. [7], & addidit eumdem ritum in Gallia observatum, ut docet Jo: Abrincatensis Episcopus apud Menardum (8): *Cantor aquam linteo coopertam in festis Diacono deferat, quam Diaconus vino misceat.*

De Offertorio.

VIII. *Deinde Archidiaconus suscipit oblatas Pontificis ... atque cum* OFFERTORIO *in cornu Altaris posito, involvens per ansas calicem stat post Pontificem.* Ord. Rom. apud Hittorp.IV. (9) In Ordine verò Rom.I. (10) legitur; *deinde Archidiaconus suscipit Oblatas .... levat Calicem de manu Subdiaconi, & ponit eum super Altare juxta oblationes Pontificis à dextris, involutis ansis cum* OFFERTORIO *suo, quod etiam ponit in dextro cornu Altaris.* Clariùs in Ord. Rom. III. apud eumdem (11): *Levat Calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi Regionarii, & ponit eum super Altare juxta Oblatam Pontificis à dextris involutis ansis cum* OFFERTORIO, *quod ponit in cornu Altaris, & stat post Pontificem.*

Varias habet significationes Offertorium; primò enim sumitur pro illa parte Missæ, quæ post Fidei symbolum, ante oblationem panis, & vini à Choro cantatur, quod nulla eget probatione. Offertoria etiam dicebantur quædam vasa sacra aurea, & argentea, aliquando gemmis ornata, ut latè tradit Du Cang. in Glossar. V. *Offertorium*, quæ quidem, nisi per sacras Pixides, quibus etiam nunc offeruntur particulæ panis consecrandæ, & in quibus Eucharistiæ reconditur Sacramentum, intelligi posse crediderim. Similiter idem Du Cang. ibidem per Offertorium serica vela intellexit, Thesaurariæ Sancti Pauli Londinensis an.1295. Visitationem adducens; Cumque etiam Gregorii Turonensis (12) auctoritatem producat: *Cumque jam Altarium cum oblationibus pallio serico opertum esset, subitò ingredientem Gunthrannum Regem conspicio &c.* mox: *at ego cùm hæc audirem, ad te conversus dixi: apprehende pallium Altaris, infelix, quo sacra munera conteguntur*, velum potiùs, sive palla, qua etiam hodie calicem cooperimus in Missa, intelligendum, sive corporale, quo aliqui ex Ordinibus regularibus adhuc ùtuntur.

Offertorium legimus sumptum apud Macr. in Hierolexico V. *Offertorium*, & V. *Oblatio*, pro tobaleâ, idest Mappâ, quâ à duobus Acolythis oblationes Fidelium in Missa Pontificali recipiebantur, quam quidem Ordo Romanus appellat sindonem; sin-

[1] *Sub n.19. litt. A. fol.554.* [2] *Num.43. fol.270.* [3] *Pag.3. col.2. §. Tunc Subdiaconi.* [4] *Fol.13. col.1.* (5) *Fol.18. col.1.* [6] *Lib.3. cap.19. de Eccles. offic.* [7] *In Not. ad Ord. Rom. I. n.14. litt. A.* [8] *Pag.275.* [9] *Pag.18. col.1.* [10] *Pag.4. col.1.* [11] *Pag.13. col.2.* [12] *Lib.7. cap.22.*

sindones verò sacculos nominavit Mabillon. [1]. Card. Bona (2) Offertorium dixit velum oblongum, quo calix per ansas recipiebatur ab Archidiacono, & fanonem testatus est esse hoc ipsum velum, juxta supra laudatum Ord. Rom. I. *Postquam viderint Calicem, in quo sanguis Domini est, fanone circumdatum, & audierint, Sed libera nos à malo, vadunt, & præparant calices.* Et Mabillon. [3] exposuit *fanonis* vocem in oblatione populi adhibiti, pro panno oblongo ad offerendas, recipiendasque oblationes. Hoc idem præsenserat Vicecomes de Missæ Apparatu lib.7. cap.10. adjiciens per offertorium nonnunquam expressam sindonem, qua populus panem, & vinum in Missa offerebat, illamque appellavit linteum. Offertorium etiam dicebatur oblatio, quæ Ecclesiis à Fidelibus fiebat, ut liquet ex Charta Godefridi Episcopi Ambianen. anno 1108. ex Tabulario S. Arnulphi Crispiacensis, relat. ab ipso Du Cang. dicto Verbo *Offertorium*: *& exceptis offertoriis totius anni &c.*

Verùm quicquid senserint præfati eruditissimi Auctores, non ibimus inficias. Nos offertorium in locis Ord. Rom. suprà adductis, illustraturi, credimus illud ibi fuisse velum lineum album, fanonis instar, cui modò successit purificatorium. Purificatorio enim tradimus celebranti tum patenam, tum calicem ad offerendum, & iterum patenam in fine Orationis Dominicæ, atque illud semper tenemus in dextero cornu Altaris, ut de Offertorio legitur; ususque antiqui Ord. Cisterciensis relat. à Du Cang. in Gloss. dicto V. *Offertorium*, nostræ videtur opinioni favere: *Diaconus autem ..... statim post Oremus opertis manibus de Offertorio tenens sinistra manu pedem Calicis, dextera autem patenam, offerat Sacerdoti simul utrumque.* Quod si adhuc Calices haberent ansas, eodem posset calix offerri Sacerdoti, & sublevari, si sublevandi mos adhuc, ut in Ordinibus Romanis, retineretur, per Diaconum ante Dominicam Orationem. Tunc enim cùm calix componeretur super Altari oblatum, neque post hostiam, sed ad ejus dexteram poneretur, ut in Ord. Rom. I. *& ponit eum super Altare juxta oblata Pontificis à dextris.* Diaconus Calicem ipsum per ansas elevabat, & tenebat illum ante Pontificem cum Offertorio ad *per ipsum, & in ipso &c.*, & post *omnis honor & gloria*, eumdem restituebat in locum suum, ad latus scilicet dexterum hostiæ, juxta dictum Ord. Rom. IV. [4]. Et juxta Vicecomitem dicto cap.10. ad reverentiam, nè scilicet nudis manibus calicem contingeret Subdiaconus, aut Diaconus, eo Offertorio, seu velo utebatur.

Dubium erat, an velum illud lineum subtile Offertorium dictum, composito ab Archidiacono Calice super Altare remaneret subindè calicis ansas involvens: legitur enim in citato Ordine IV. (5) *Levat Calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi Regionarii, & ponit eum super Altare juxta oblatam Pontificis à dextris, atque cum Offertorio, in Cornu Altaris posito involvens per ansas Calicem stat post Pontificem.* Illustratur sensus iste ab his, quæ sequuntur, in eodem Ord. Rom. (6) *Cùm dixerit* [celebrans] *per ipsum & cum ipso, levat Archidiaconus cum offertorio calicem &c.* Et paulò post: *ponit Pontifex oblationes in loco suo, & Archidiaconus Calicem juxta eas, dimisso in ansis ejus Offertorio.* Hic ansæ Calicis remanent offertorio involutæ, & eruitur causa ab ipso Ord. Rom. I. (7) *Subdiaconi autem postquam viderint calicem, in quo Sanguis Domini est, fanone circumdatum* [fanon hîc idem quod offertorium, ut ostendimus] *vadunt, & præparant Calices, seu sindones mundas &c.* Erat ergo eis signum ad parandos Calices &c. & ideo tunc offertorium super ansas involutum relinquebatur. Ne igitur Ordo Ordini contradicere putetur, debent illa verba, *involvens per ansas Calicem*, referri ad Archidiaconum, cùm recipit Calicem de manu Subdiaconi Regionarii, ut supra in dicto Ord. Rom. I. [8] involutis ansis cum offertorio suo quod etiam ponit in dextero cornu Altaris, & clarius in Ord. Rom. III. (9) levat Calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi Regionarii, & ponit eum super Altare juxta oblatam Pontificis, à dextris involutis ansis cum offertorio, quod ponit in cornu Altaris, & stat post Pontificem. Non ergo remanebat ansas Calicis perpetuò involvens offertorium.

De Planeta.

IX. *Archidiaconus suscipit post eum amulas, & refundit in Calicem majorem, tenente eum Subdiacono, quem sequitur cum scypho super* PLANETAM *Acolythus.* Ord. Rom. I. apud

[1] *In Comment. ad Ordines Romanos Mus. Ital. tom.2. pag.39. 54. 55. & 105.* [2] *Rer. Liturg. lib.1. cap.25. n.12.*
[3] *In Not. ad Eclogam Amalarii ubi sup. pag.554. litt. A.* [4] *Pag.18. col.1. & 2.* [5] *Pag.18. col.1.*
[6] *Dicta pag.18. col.1. & 2.* [7] *Pag.2. col.2. §. Subdiaconi.* [8] *Pag.4. col.1.* [9] *Pag.13. col.2.*

apud Hittorp.(1). Eadem ferè verba leguntur in Ord.3. apud eumdem (2). Et ſupra pag.11.col.1.legitur: *Parat Euangelium, qui lecturus eſt, reſerato ſigillo, ex præcepto Archidiaconi ſuper* PLANETAM *Acolythi*; *& ſi neceſſe fuerit propter majora Euangelia, duobus Acolythis Planetas tenentibus, parat Euangelium*. Et in Ord.4.apud eumdem (3): *Quorum unus* (ideſt Subdiaconorum) *Pallium Pontificis cum acu ſuper* PLANETAM *teneat in brachio ſiniſtro*.

Planeta, quæ & caſula dicitur [inquit Petrus Bleſenſis Serm.41.] *totum te circumdat, & protegit, & cæteris ſupereminet.* Hæc eſt charitas. Macrus V.Planeta, & in V.Caſula ait, eſſe ſynonyma: *Caſula*, *Planeta*, *Caſubula*, *Penula*, *Superhumerale*, *Phelonium*. Septimum (ex Rabano) Sacerdotale indumentum eſt Caſula, quæ ſicut Caſa quædam alia omnia tegit.

Dubium, quomodo Acolythi Planetis uterentur, quæ propriè Sacerdotalia videntur indumenta. Vicecomes de Appar. Miſſæ lib.5. cap.9. eas Acolythorum veſtes aſſeruit, & ad Subdiaconos etiam pertinere, ſupra cap.8. Ordinis Romani fultus auctoritate. *Mirum eſt* (dixit Mabillon. in Commentar. in Ord. Rom. cap.16.fol.105.) *quod Acolytho ordinando tribuitur Planeta, & Orarium*. Miramur nos tanti Viri admirationem. Nonnè orarium potuit eſſe ſudarium? haud ſemper ſtolam Sacerdotalem ſignificavit, ut hodie communiter ab omnibus recipitur. Plurima nobis, & luculenta Sanctorum Patrum ſuggerunt teſtimonia Card. Bona [4], & Du Cang. [5], ex quibus clarè patet orarium ſumptum pro ſudario, ac linteo, quo facies abſtergebatur. Ita admiratione dignum non videtur, ſi Acolytho ordinando tribuebatur Planeta, ut ea in ſacris quibuſve uteretur functionibus; tunc enim juxta B. Ivonis Carnotenſis ſententiam [6], quem ſequitur Vicecomes (7) veſtis erat communis veluti ſuperpelliceum, quo hodie omnes Eccleſiaſtici Ordines utuntur, & veluti Cappa, quæ promiſcuè à Clericis, Diaconibus, & Subdiaconibus, ac Presbyteris facultatem habentibus ab Apoſtolica Sede defertur. Idcirco planetatus, ideſt planeta indutus, ex Gloſſar. Du Cang. V. *Planetatus*, dicebatur Clerus: In Hadriano II. apud Anaſtaſium de Legatorum Apoſtolicorum occurſu in ingreſſu Conſtantinopolitanæ Urbis, *omnibuſque Clericorum planetatis Ordinibus ad portam auream veniunt*. Non eſt ergo mirandum, ſi planetis uterentur Acolythi, aliique ſacri Miniſtri, quinimmò, & alii præter Sacerdotes, & Clericos. Jo: Diaconus [8] Gordiani tanti Pontificis Patris deſcribens habitum, *hujus Gordiani habitus*, inquit, *caſtanei coloris planeta eſt*. Quamvis autem hujuſmodi planetæ fuerint omnibus communes, dicendum tamen, aliquod inter eas interceſſiſſe diſcrimen, videlicet Planetas Sacerdotales aliis fuiſſe pretioſiores, vel materia, ſeu ſaltem ornatu. Perſpicimus enim in Imagine nobis exhibita à Macro Hierolex. ſub V. *Caſula*, Planetam multiplicibus fuiſſe crucibus, nec ſinè myſterio, inſignitam; parumque refert Myſtam Græcum repræſentare, cum & Sancti Silveſtri I. Papæ alteram latinam nobis oſtenderit Sauſſay [9] impendio magis exornatam.

Porrò omnibus indumentis ſuperponitur planeta, & cum *communis ſit veſtis, ſignificat charitatem, quæ univerſis virtutibus ſuperponitur, quia cæteræ virtutes* [ut inquit ubi ſupra B.Ivo] *nihil ſinè eâ utile operantur.*

Verùm planeta non erat unica veſtis, ſacris, Eccleſiaſticiſque omnibus miniſtris communis. Erat & alia, *Alba* ſcilicet, quam fuiſſe communem eiſdem nos docet D. Hieronymus [10]. *Unde adjungis* (inquit) *gloriam veſtium, & ornamentorum Deo eſſe contrariam .... ſi Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus, & reliquus Ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione ſacrificiorum cum candida veſte proceſſerint*? Ex quo Bellot. ait; (11) *inde patet morem fuiſſe Eccleſiaſticum, ut Epiſcopi, Sacerdotes, & Miniſtri ſacris operantes Albis operirentur*. Idemque ſancitum legitur in Concilio Narbonenſi I. cap.12. [12] *Hæc maximè pro Dei timore, & modo Diſciplinæ Canonicæ eligimus cuſtodienda, vel tenenda, ut dum Miſſa celebratur, nullus Presbyter, aut Diaconus abſque aliqua infirmitate, dum Miſſa perficitur, de Altario egredi audeat: Nec Diaconus, aut Subdiaconus certè, vel Lector antequam Miſſa conſummatur, alba ſe præſumat exuere*. Inter veſtes miniſtrorum inferioris ordinis Albam etiam adnumeravit Honorius Auguſtodonenſis (13) inquiens, *Mini-*

---

(1) *Pag. 3. col. 2.* (2) *Pag. 13. col.1.* [3] *Pag.16. col.1.* [4] *Rer. Liturg. lib. 1. cap. 24. §. VI.* [5] *Verbo Orarium,* [6] *Serm.3. de Reb. Eccleſ.* [7] *Dicto Tract.de Appar.Miſſæ lib.2.cap.30.* [8] *Lib.4.Vitæ S. Gregorii M. cap.83.* [9] *In Panoplia Sacerd. part.1. lib.6. cap.11.* [10] *Lib.1. Dialog. adver. Pelagium Tom.4. par.2. pag.502. edit.Pariſ.* [11] *Ad Rit. Eccleſ. Laudunen rediviv. in Obſervation.pag.242. n.4.* [12] *Tom.I.Conc.Antiq. Gall. pag.402. edit. Sirmond.* [13] *Lib.1. de antiquo Miſſæ ritu cap. 226. penes Sauſſay Panopl. Epiſ. lib.6. cap.6.*

Ministris inferioris ordinis, scilicet Ostiariis, Lectoribus, Exorcistis, Acolythis tres sacræ vestes conceduntur .... portant namque Superhumerale (idest Amictum) ..... *Tunicam talarem* (idest Albam).... *Baltheo idest Zona, jubentur renes præcingere &c.* Quibus adhuc indumentis videmus ornatos Acolythos Dominicanæ familiæ in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam Urbis, quæ antiquam in hujusmodi vestium ritu retinet disciplinam. Hanc insuper Albam legimus apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum, Ivonem Carnotensem, Rupertum, & Innocentium III., unam & eamdem rem fuisse cum podere, tunica linea talari, ex Bellot. [1], quinimmo tantæ amplitudinis vestem, ut totum caperet hominem, non minus, ac planeta, hac tamen differentia, quòd Alba erat manicata. Noster Macrus Camisiam etiam appellat Albam in Hierolexic. V. *Alba*, & in V. *Camisia*, aliquando pro superpelliceo asserit sumi, quod extra propositum minimè videtur. Nam superpelliceum olim etiam erat talare, ut liquet ex Epistola 123. Stephani Tornacensis ad Albinum S. R. E. Cardinalem, relata à Saussay (2), & ab Hallier. (3): *Vobis mitto superpelliceum novum, candidum, & talare.* Et idem Hallier. ubi supra hæc habet: *Obiter etiam notabo Græcorum* καμίσια, καὶ ἐπιῥῥιπτάρια (idest Camisiæ, & Superhumeralia), *superpelliceis nostris respondere ..... iis verò Camisiis, ut à quibusdam Græcis accepi, Clerici in sua creatione apud Græcos indui solent.* Cùm autem paulò ante asseruisset, Clericum Græcum in sui ordinatione phelonio indui, possumus & nos arbitrari, Albam, Camisiam, & Phelonium esse synonyma, adeôque etiam Planetis respondere, quibus Acolythos, cæterosque Clericos Latinos legimus indutos in Ord. Rom. supracitato. Quod apprimè confirmat Simeon Thessalonicensis (4), apud Du Cang. V. *Camisia*, his verbis: Ὁ ἀναγνώστης κέκτηται ἔνδυμα τὸ καλούμενον καμίσιον, ὅπερ κατὰ τύπον φελονίου ἐστὶ μικροῦ, ἢ στιχαρίου, ἐκ λίνου, τὴν ἀπαρχὴν τῆς ἱερωσύνης δηλοῦν &c. idest, *Lector veste ornatur, quam Camisium dicunt, quæ ad formam parvi phelonii,* [idest *parvæ casulæ*] *vel certè tunicæ modum è lino conficitur, primamque Sacerdotis delibationem demonstrat &c.*

Sufficerent hæc ad probandum assertas in Ord. Rom. supracitato Planetas saltem Albas fuisse, quibus initiabantur Acolythi; Juvat nihilominus doctissimi Saussay [5] sententiam adjicere: *Albam fuisse tum primum candidato Clericatus impositam par est credere, quæ ut supra ostendimus* [6] *Clericis omnibus communis erat*, adeôque Planetas nonnisi per Albas intelligendas esse.

Verumtamen verisimile crediderim has Albas, Planetasve, vestes illas fuisse, quas nunc appellamus Superpellicea; nedum quia erant talares, ut ex supralaudata Epistola Stephani Tornacensis ad Albinum Cardinalem, sed etiam quia camisiis respondebant, quas Lectoribus adscribit Codinus (7) apud quem Gretserus vestes eas esse opinatur, quas *supra vestes*, ἐπάνω τῶν ἱματίων, Clerici vulgò deferunt, & Superpellicea appellamus, & quia propter sui latitudinem eamdem charitatis significationem habebant, sicut Planetæ, seu casulæ apud B. Ivonem ubi supra, & quemcumque alium Scriptorem; Etenim (inquit Durand. [8] differens de superpelliceo) *propter sui latitudinem congruè charitatem designat.* Accedit præterea vetustissimus usus plurium Ecclesiarum, præcipuè Ulissiponis [si excipias morem noviter in Regium Sacellum inductum] & Venetiarum, in quibus Clerus sæcularis superpelliceis utitur sinè Manicis, & sinè rugis, quæ satis lata instar antiquæ planetæ totum hominem capientia, ad genua, & ultra protenduntur. Venetiis egomet vidi, dum hæc scripsissem, in antiqua Magnæ Aulæ Ducalis Pictura Clericos superpelliceis ferè talaribus indutos. Quod conspici etiam potest apud Du Molinet (9) In Icone Canonici Regularis Ecclesiæ Cathedralis Ucetiensis, de cujus habitu hæc habet: *L' habit que les Chanoines portoient, estoient un surplis tout fermé, sans manches, à maniere des anciens Chasubles ...... Nous trouvons que ceux de sainte Croix de Conimbre, de quelques Eglises d' Allemagne, & messme d' Italie, le portent de la même forme.* Cur autem antiqua superpellicea talaria juxta hodiernum morem decurtata sint, rationem assignat Saussay [10], his verbis: *Quia præter sacrificium erant alia Divina Officia à Clero obeunda, non sinè congrua ministerio veste, usu invaluit ut loco albæ usurparetur superlicium, quæ vestis ut brevior, ita usu expeditior, & facilior erat.* Et infra; *hæcque vestis decurtata est, nè incessum impediat, sordesque contrahat.*

[1] *Ubi supra num.3.* [2] *In Panopl. Cleric. part.1. lib.5. cap. 5.* [3] *De Sacr. Ordinationibus pag.* 1074. [4] *Lib. de Sacramentis.* (5) *In Panopl. Clerical. par.1. lib.5. cap.5.* (6) *Et in Panopl. Episcop. lib.6. cap. 6. pag.390. §. In cujus.* (7) *De Offic. cap.6. n.3.* [8] *Lib.3. Rational. cap.1. n.11.* [9] *Figures des differents habits de Chanoines Reguliers.* [10] *In Panopl. Clerical. par.1. lib.5. cap.5. §. Nec ritus.*

DE PRIMICERIO.

X. *Pontifex autem sustentatus hinc inde dextra, lævaque à* PRIMICERIO *Notariorum, & Defensorum*. Ord. Rom. apud Hittorpium IV. [1], & alibi Primicerium eumdem, ac Capicerium asseruit noster Macrus in Hierolex. V. *Capicerius*, & ideo sic appellari, *quia*, inquit, *in capite, ac principio ante alios in cerata pagina notabantur*, videlicet in tabella cerea, ut in V. *Primicerius*, ubi & dignitatem Ecclesiasticam dixit, idest omnium minorum Clericorum superiorem, cujus officium S. Isidorus Junior Episcopus Hispalen. Epistola ad Laudefredum Episcopum Corduben. [2] ita describit: *Ad Primicerium pertinent Acolythi, & Exorcistæ, Psalmistæ, atque Lectores, signum quoque dandum pro officio Clericorum, pro vitæ honestate .... ordo quoque & modus psallendi in Choro .... Clericos quos delinquere cognoscit, ipse distringit &c.* Non tamen addit, determinatam fuisse dignitatem, nam dicebatur etiam Primicerius Cantorum, sic Innocent. III. ait: *Primicerius, qui Cantoribus est prælatus*. Primicerium primum cujusque ordinis, scripsit Du Cang. Glossar. V. *Primicerius*, & dignitatem in Ecclesiis Cathedralibus fuisse, cujus munus designavit ex Lib. Romani Ordinis apud Gregorium IX. (3) per hæc verba: *ut Primicerius sciat se esse sub Archidiacono, sicut Archipresbyter, & ad ejus curam specialiter pertinere, ut præsit in docendo Diaconis, vel reliquis gradibus Ecclesiasticis in ordine positis, ut ipse Disciplinæ, & custodiæ insistat, sicut pro animabus eorum coram Deo rationem est redditurus; & ut ipse Diaconibus donet Lectiones, quæ ad nocturna officia Clericorum pertinent, & de singulis studium habeat, ut in quacumque re capacem sensum habuerit, absque ulla vacet negligentia, aut à quo ipse jusserit instruantur*. Primicerium etiam vocavit ibidem *Subdiaconorum, Notariorum, Lectorum* in Ecclesia Mediolanensi an.963. apud Ughell. (4).

Hic primus cujuscumque scholæ, seu juxta hodiernum morem singulorum Collegiorum Urbis, dicebatur Decanus, videlicet Protonotariorum, Auditorum S. Rotæ, Clericorum Cameræ, Vota ferentium in Signatura, Abbreviatorum, Sac. Consistorialis Aulæ Advocatorum, & etiam S. R. E. Cardinalium, cujus Decani mentio fit identidem in Libro Constitutionum Apostolicarum, quem Bullarium vocamus.

Cæterum Pancirolius (5) *de spectabili Primicerio Cubiculi*, meminit Officii Decanorum, inquiens, *Decani olim Decuriones sunt dicti*; & infra, *aliàs Decani sunt, qui decem viris præsunt, ait Vegetius* [6]. Et post pauca: *Horum exemplo*, ait, *in Ecclesiis instituti sunt Decani, qui cæteros Clericos præcedunt. Primicerius quoque in iisdem Ecclesiis est institutus, qui est caput Acolythorum, Lectorum, & Psalmistarum*.

Erant quoque juxta eumdem Panciroł. ibidem, Primicerius, Secundocerius, Tertiocerius, & Quartocerius. Ac de Primicerio ait: *Primicerius autem, inquit Suidas, vocatur ordinis primus; additio illa cerius, nominis est productio nihil significans*. Verum Suidæ, & Pancirolo adversatur M. Antonius Marsilius (7), penes Bellot. [8], in eo quod productio *Cerius* nihil significet. *Primicerius*, inquit Marsilius, *eo nomine dictus, quod prius ceris esset præpositus, post quem etiam Secundicerius in ultimo Justinianæi Codicis Libro memoratur, cui secundo cerarum cura commissa esset*. Bellot. aliorum etiam sententias aperiens illud memorabile refert, quod D. August. S. Stephanum vocaverit Primicerium Martyrum, primum scilicet Martyrem post Christum passum. Quo pacto dicebatur Primicerius Lectorum is, qui erat primus inter Lectores, ut legimus in Actis Passionis SS. Martyrum Cibalitanorum apud Du Cang. V. *Lector*.

Meminit etiam idem Pancirol. pag.4. à tergo in tabula dignitatum, Primiceriorum Aulæ Imperialis, qui titulo Spectabilis gaudebant, inscripti ut infra: *Primicerius Cubiculi: Castrensis Palatii: Primicerius Notariorum: Magistri Scriniorum IIII.*, & pag.40. *Primicerius Sacri Cubiculi*, sub quo Decani plures. *Primicerius Mensorum. Primicerius Cellariorum. Primicerius Pædagogiorum. Primicerius Lampadariorum*. Item pag.51. à tergo. *Secundocerius officii, & Primicerius exceptorum perfectissimus ord. secundi. Primicerius Numerariorum &c. Primicerius Tabulariorum. Primicerius Canonum. Primicerius Perfectissimus Ord. 3. Primicerius Scrinii auri ad responsum. Primicerius Scrinii à miliarensibus. Primicerius Vestis, Officialium sacrarum vestium, deputatorum sacræ vestis. Primicerius Scrinii ab argento. Primicerius scrinii à pecuniis, Argentariorum Comitatensium: Barbaricorum*. De Primicerio autem Notariorum, notabilia disseruit per tot. cap.92.

[1] *Pag.17. col.2.* [2] *Tom.VI. Concil. Labbe pag.421. & 422.* [3] *Lib.1. tit.25.* (4) *In Append. To.4. pag.211.*
[5] *In notitia utriusque Imperii cap.90.* [6] *Lib.2. cap.7.* [7] *De Eccles. Reddit. orig. part.2. cap.12. n.20.*
[8] *In Obser. ad Rit. Eccles. Laudunen. rediv. pag.739. col.1.*

Erat insuper Primicerius, & Comes sacrarum largitionum, apud Glossar. Du-Cang., qui locupletem aliorum Primiceriorum catalogum recenset.

Praeterea Amalarius in praenominata Ecloga apud Mabillon. [1] inter Judices Palatinos descripsit Primicerium. *Primus* (inquit) *Primicerius: Secundus, qui dicitur Secundicerius; qui ab ipsis Officiis nomen accipiunt. Hi dextra, lævaque vallantes Imperatorem, quodammodo cum illo videntur regnare, sinè quibus aliquid magnum non potest constituere Imperator. Sed in Romana Ecclesia in omnibus Processionibus manuatim ducunt Papam &c.*

De Scypho.

XI. *Subdiaconus verò cum calice vacuo sequitur Archidiaconum .... Archidiaconus suscipit post eum amulas, & refundit in calicem majorem, tenente eum Subdiacono, quem sequitur cum* Scypho *super Planetam Acolythus, in quem calix impletus refunditur*. Ord. Rom. apud Hittorpium I. [2]. Ferè eadem verba, si post, *Subdiacono*, addas *Regionario*, leguntur in Ord. III. [3]; & paulò infra: *Post quem Diaconus, qui sequitur Archidiaconem suscipit amulas, & manu sua refundit in* Scyphum. Et in Ord. IV. [4] *Archidiaconus verò post eum amulas suscipit, & in Calicem majorem, quem Subdiaconus Regionarius sequens portat vacuum refundit, qui cùm fuerit impletus refunditur in* Scyphum *&c.* Et paulò infra: *Post quem Diaconus sequens amulas suscipit, & in* Scyphum *manu sua post Archidiaconum eas refundit.*

Inter sacra donaria Ecclesiis à Costantino Cæsare, & à Summis Pontificibus tradita scyphos persæpè memorat Anastasius Biblioth., plerumque aureos, & multoties gemmis exornatos; semperque conspicui ponderis, ac post Patenas ante vel inter Calices, & ut plurimum ante Amas, ut infra ex verbis ejusdem Anastasii patebit. In Vita S. Silvestri Constantinus Augustus Ecclesiæ, seu Titulo Equitii *donavit autem scyphos argenteos duos, qui pensaverunt singuli libras denas; Calicem aureum pensantem libras duas; Calices ministeriales quinque, pensantes singuli libras binas; Amas argenteas duas, pensan. singulæ libras denas*. Basilicæ Constantinianæ, *Patenas argenteas 13. pensantes singulas libras triginta. Scyphos aureos 7., qui pens. singuli libras decem. Scyphum singularem ex metallo, Corallo ornatum undique de gemmis prasinis, & hyacinthinis, auro interclusum, qui pensat ex omni parte libras viginti, & uncias tres. Scyphos argenteos viginti, pensantes singulos libras 15. Amas ex auro purissimo duas pensantes sing. lib. quinquaginta .... amas argenteas viginti ...... Calices minores ex auro purissimo quadraginta pensan. singulos libras singulas. Calices minores ministeriales quinquaginta pensan. singuli libras binas*. Ecclesiæ S. Crucis in Hierusalem, *Scyphum aureum purissimum, qui pensavit libras 10. Calices ministeriales aureos quinque, pensan. singulos lib. singulas. Scyphos argenteos tres pensan. lib. 8. Calices ministeriales argenteos decem, pensantes libras binas. Patenam auream pensantem libras decem .... Amas argenteas pensantes libras viginti*. Basilicæ B. Laurentii Martyris, *Patenam auream pensantem libras 20. Patenas argenteas duas pensan. singulæ libras 30. Scyphum ex auro purissimo pensan. lib. 15. Scyphos argenteos duos pensantes sing. lib. 10. Calices ministeriales argenteos 10. pensan. singul. lib. 20. Amas argenteas duas pensan. lib. 10.* Basilicæ SS. Petri, & Marcellini, *Patenas aureas purissimas duas pensan. lib. 15. Patenas argenteas duas pens. sing. libras 15. Scyphum aureum majorem pensan. libras 20., ubi nomen Augustæ designatur. Scyphos argenteos quinque pensan. sing. libras 12. Calices ministeriales argenteos 20. pensan. singulos libras tres. Amas argenteas quatuor, pensan. sing. lib. quindecim*. Ecclesiæ Ostiensi juxta Portum Urbis Romæ, *Patenam argenteam pensan. libras triginta. Calices argenteos decem pensan. lib. quinque. Amas argenteas duas pensan. sing. libras decem ..... Scyphos argenteos duos pensan. singuli lib. novem*. Ecclesiæ Albanensi, *Patenam argenteam pensantem libras triginta. Scyphum argenteum deauratum, pensantem libras duodecim. Calices ministeriales decem pensan. sing. libras tres. Amas argenteas duas pensan. sing. libras 20.* Basilicæ Apostolorum intra Urbem Capuam, *Patenas argenteas duas pensan. sing. libras viginti. Scyphos argenteos tres pensantes sing. lib. octo. Calices ministeriales 15. pensantes singuli lib. duas. Amas argenteas duas pensan. singulæ libras 10.* Basilicæ in Urbe Neapolitana, *Patenas argenteas duas pensan. sing. libras vigintiquinque. Scyphos argenteos duos pensan. sing. libras 10. Calices ministeriales 15. pensan. sing. lib. duas. Amas argenteas 2. pensan. sing. lib. quindecim.*

In Vita S. Marci: *Patenam argenteam pen-*

[1] *Dicto Mus. Ital. Tom. 2. pag. 570.* [2] *Pag. 3. col. 2. §. Deinde salutat.* [3] *Pag. 3. col. 1.*
[4] *Pag. 17. col. 2.*

pensan. libras triginta . Amas argenteas duas pensan. libras viginti . Scyphum argenteum unum pensan. libras decem . Calices ministeriales argenteos tres pensan. libras binas .

In Vita S. Damasi, ex dono ipsius Sancti Pontificis, Basilicæ quam construxit, *Patenam argenteam pensan. libras quindecim . Scyphum anaglyphum pensan. lib.*10. *Calices ministeriales argenteos quinque pensan. sing. lib. tres .*

In Vita S. Innocentii, Basilicæ SS. Gervasii, & Protasii Titulo Vestinæ, *Patenas duas ad Chrisma, pensan. sing. lib. quatuor , Scyphum argenteum anaglyphatum pensan. libras decem . Scyphum alium argenteum pensan. libras decem . Calices argenteos quinque pensantes singul. lib. tres . Calices Argenteos Baptismi numero tres pensantes sing. libras duas .*

In Vita S.Bonifacii, Ecclesiæ Sanctæ Felicitatis, *Patenam argenteam pensantem libras viginti . Scyphum argenteum pensantem libras decem. Amam argenteam pensan. lib.*13. *Calices minores argenteos duos pensantes lib. quatuor .*

In Vita S. Cælestini, Basilicæ Juliæ, *Patenam argenteam pensan. libras quindecim . Scyphos argenteos duos pensantes sing. lib. octo. Amas argenteas duas, pensantes sing. libras decem .*

In Vita S. Sixti III. Basilicæ Liberianæ, *Patenas argenteas tres, pensan. libras sexaginta . Amas argenteas quatuor pensantes libras sexaginta . Scyphum aureum purissimum pensantem libras quinquaginta . Scyphos argenteos quinque pensantes libras quinquaginta . Calices ministeriales argenteos decem pensan. sing. libras tres, Aquæmaniles argenteos pensan. &c.* Basilicæ B. Laurentii Martyris, *Patenas argenteas tres pensan. singulæ lib. viginti . Amas argenteas tres pensan. lib. quindecim . Scyphos argenteos quatuor pensan. lib. octo . Scyphum aureum ornatum de Margaritis pensan. lib.*10.*Aquæmaniles argenteos &c.*

In Vita S. Hilarii, Basilicæ Constantinianæ, *Scyphum aureum pensan. libras sex . Calices aureos pensan. singuli lib.*1.*Scyphos argenteos duos pensan. singuli lib. decem . Alium scyphum aureum pensan. lib. quinque . Calices ministeriales argenteos viginti pensan. singuli lib.*2. *Amas argenteas quinque pensan. libr. decem .* B. Petro Apostolo, *Scyphum aureum pensan. libras quindecim, alium scyphum aureum cum gemmis prasinis , & hyacinthinis pensan. libr. quatuor . Calices argenteos ministeriales decem pensan. sing. lib.*2. *Amas argenteas duas pensan. sing. lib. octo .* B. Paulo Apostolo, *Scyphum aureum pensan. sing. libras quinque* (in Cod. Thuano, juxta novissimam Editionem Jo: Mariæ Salvioni, non legitur *sing.*) . *Scyphos argenteos quatuor pensan. sing. libras sex . Calices ministeriales argenteos decem pensantes sing. lib. decem . Amas argenteas duas pensantes sing. libras decem .* B. Laurentio, *Scyphum aureum cum gemmis prasinis, & hyacinthinis pensan. lib. quatuor . . . Scyphum aureum purissimum pensan. lib. quinque . Scyphos argenteos tres pensantes sing. libras triginta quatuor . Calices argenteos ministeriales duodecim pensan. sing. libras* 2 , . . . *Amas argenteas duas pensan. lib.*10. Pro Ministerialibus, *Scyphum aureum ansatum pensantem libras octo . Scyphos argenteos per Titulos vingintiquinque pensan. sing. libras decem . Amas argenteas vigintiquinque pensan. singulæ libras decem . Calices argenteos ministeriales quinquaginta pensantes sing. libras duas .*

In Vita S. Simplicii, pro Ecclesia Romana, *Scyphum aureum pensantem lib. quinque .*

In vita S. Hormisdæ: *Patenam auream cum hyacynthis, quæ pensat lib.*25. *Scyphum aureum cum gemmis pensan. lib. octo . Scyphum aureum circumdatum Regno pensan. lib. octo* (in Editione Moguntina 1602. in Margine legitur, *circumdatum gemmis*) . *Scyphos argenteos tres deauratos pensan. sing. libr. quinque . Patenas argenteas duas pensan. lib. vigintiquinque .* B. Paulo, *Amas argenteas tres pensan. sing. lib.*10. *Scyphos argenteos stationales sex cum ducibus pensan. sing. lib. sex* (in dicta editione Moguntinensi legitur in margine loco *ducibus*, ex Baronio, *crucibus*, vel *calicibus*).

In Vita S. Joannis ex dono Justini Imperatoris: *Patenam auream cum gemmis pens. lib. viginti . Calicem aureum cum gemmis pens. libr. quinque . Scyphos argenteos quinque .*

In Vita S. Jo: II., ex dono Justiniani Augusti B. Petro Apostolo: *Scyphum aureum circumdatum de gemmis prasinis , & albis, & alios calices argenteos duos. Scyphum pens. lib. quinque . Calices argenteos pensan. sing. lib. quinque .*

In Vita S.Hadriani, Diaconiæ sub ejusdem nomine, *in argento canistra duodecim, Amam unam, scyphum unum, patenam unam, Calicem unum, amulam offertoriam unam pen. lib. sexaginta, & septem .*

Vicecomes in laudato Opere de Missæ Apparatu [1] Urceorum afferit duo fuisse genera; alterum quo vinum, alterum quo aqua

(1) *Lib.6. cap.28.*

aqua in Calicem fundebatur,& illud amam, ſive amulam, hoc ſcyphum à Scriptoribus appellari; ſuamque hanc ſententiam acriter defendit etiam in tribus ſequentibus Capitulis. In quibus duobus poſtremis, ſcyphos, inquit, dumtaxat pondo quindecim reperiri, vel nullum pondo viginti unquam exceſſiſſe: Fallitur tamen, cùm Anaſtaſius, ubi ſupra, in Vita Sixti Papæ III. memoret, Sanctum illum Pontificem Baſilicæ Liberianæ ſcyphum obtuliſſe ponderis quinquaginta librarum.

Antonius Dadinus Altaſerra [1], Scyphum genus eſſe vaſis vinarii contendit; *Eſtque*, inquit, *vas anſatum, è quo vinum funditur in pocula*; pluraque ibi congerit pro ſua opinione.

Joannes Mabillon. [2] Scyphum ponit inter Calices miniſteriales. Et in Not. ad Ord. Rom.I. [3] in verbo *Calices, ideſt*, inquit, *Calices miniſteriales, qui alio nomine ſcyphi appellantur*. Et infra ad Ord.Rom.III. [4] ad illa verba, *in majorem Calicem, ſive ſcyphum*; *ſcyphus* ait, *aut calix miniſterialis*.

Hadrianus Junius in Nomenclatore octilingui, in verbo *ſcyphus* [5], *Scyphum* capacem poculum fuiſſe aſſerit. Et in verbo *Crater* [6], craterem idem eſſe cum ſcypho.

Crediderim Scyphum ſupra in Ordinibus Rom. deſcriptum, fuiſſe Calicem ſacrum, & quidem Calice majori grandiorem, non Urceum, non Calicem miniſterialem, neque vas, è quo vinum funditur, in pocula.

Scyphum fuiſſe Calicem apertè ſatis oſtendit ipſe Ordo Romanus apud Hittorpium IV. [7]: *Sed ipſe Pontifex confirmatus ab Archidiacono in Calice Sancto, de quo parum refundit Archidiaconus in majorem Calicem, ſive in ſcyphum, ut ex eodem ſacro vaſe confirmetur populus*. Confirmare autem erat communicare ſanguine dominico, ut ex eodem Ordine paulò infra: *Recepto Calice Archidiaconus confirmat omnes ſanguine dominico*, quos communicaverit Pontifex corpore dominico. Populus confirmabatur pugillari, quem Macrus ſub eodem verbo, *genus*, ait, *eſſe calami* ex argento, vel auro, quo antiquitus ſanguis ex calice ſugebatur, & adducit verba Ordinis Romani apud Hittorpium I. [8]: *qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmet Populum*; cujus ſynonyma enumerat in Verbo *Siphon*, ubi calamus, ſive fiſtula, qua antiquitùs ſanguis Domini ex Calice exſorbebatur in communione, ne effunderetur. Ordo Romanus apud Hittorpium II. [9] pugillarem fiſtulam dixit: *Ipſe autem Diaconus tenens Calicem, & fiſtulam, ſtet ante Epiſcopum, uſque dum ex ſanguine, & corpore Chriſti quantum voluerit ſumat, & ſic calicem, & fiſtulam Subdiacono commendet*. Et paulò infra: *his ita peractis, duo Diaconi complicantes corporale, ponant ſuper calicem, fiſtula in eo adhuc remanente*. Ex quibus colligitur, quòd ſi ex ſcypho fiſtulâ confirmabatur populus, ut ſupra, *in majorem Calicem, ſive ſcyphum, quem tenet Acolythus, ut ex eodem ſacro vaſe confirmetur populus*, per ſcyphum nonniſi calix intelligi potuerit.

Scyphum fuiſſe Calicem docent etiam Sac. paginæ. In lib. Exodi 25. de Candelabro legitur: *Tres ſcyphi, quaſi in nucis modum per calamos ſingulos, ſphærulaque ſimul, & lilium*. Et paulò infra, ubi de haſtile candelabri: *in ipſo autem candelabro erunt quatuor ſcyphi in nucis modum, ſpherulæque per ſingulos, & lilia*. Ubi 70. Interpretes, *& in Candelabro quatuor Crateres effigiati ut nuces, in quo ſingulo calamo ſphærulæ, & lilia*. Hoc probè confirmat Hadrianus Junius in Nomenc. Octiling. verbo *Crater* inquiens: *Capax poculum ... idem cum ſcypho, niſi quod ſcyphus religione quadam conviviis conſecratus fuerit*.

Quando autem dixit Scriptura, *tres ſcyphi quaſi in nucis modum*, intelligendum de nuce dimidiata, cui ſi pedem addas, calicis formam repræſentat. Sic hodie ex nucibus indicis crateres fiunt, calicis formam præſeferentes.

Idem evincitur ex verbis Anaſtaſii in Vita S. Jo: II. ſupra relatis, *Scyphum aureum circumdatum de gemmis praſinis, & albis, & alios calices &c.* Etenim cum antea inter donaria hujus Sancti Pontificis nullos Calices recenſuerit, & ſcripſerit poſt ſcyphum *alios calices*, ſcyphum inter calices repoſuit. Dictio namque *alius*, juxta Gratum de Dictionibus, de ſui natura eſt relativa, & præſentativa ejuſdem qualitatis, cujus erat ille, de quo facta eſt mentio, ac repetitiva ſimilium.

Agnovit hanc veritatem Mabillon. ubi ſupra. Verùm inter calices miniſteriales ſcyphum repoſuit, in quo hallucinatus eſt; nam pondus, & amplitudo ſcyphorum, ac diſtincta donariorum deſcriptio facta ab Anaſtaſio, probè contrarium evincunt; ut clarè

[1] *In Not. ad Anaſtaſium, in Vit. Gregorii IV. in verbo* Siclonem. [2] *Tom.2. Muſ. Ital. in Comment. ad Ord. Rom.1.cap.8.n.14.* [3] *Pag.29. Litt.C.* [4] *Pag.59.litt.A.* [5] *Pag.627.* [6] *Pag.591.* [7] *Pag.19.col.1.* [8] *Pag.5. col.2.* [9] *Pag.8. col.2 & pag.9. col.1.*

clarè patet ex allatis ſupra ejuſdem Anaſtaſii teſtimoniis. Amplitudo enim major, & minor ex pondere eruitur, quod ibi minus eſt in calicibus miniſterialibus, quàm in ſcyphis; Et cùm Anaſtaſius enumeraverit calices, & ſcyphos, ſuperfluum erat calices miniſteriales recenſere. Ex quo etiam patet, ſcyphos non fuiſſe urceos, ſeu amas, aut amulas, prout contendit Vicecomes, quæ diſtinctæ leguntur in iiſdem ſuprarelatis Anaſtaſii locis; alioquin eſſet incongrua repetitio. Neque obſtat Sancti Iſidori[1] auctoritas, qui ſcyphi verbo uſus eſt pro urceolo; nam per translationem, Scyphum pro urceolo adhibuit: aliter dicendum eſſet, à primo inſtituto ordinationis Subdiaconi diſceſſiſſe, cum in Ord.Rom.[2] præſcribatur: *Subdiaconi cùm ordinantur, quia manus impoſitionem non accipiunt, patenam de manu Epiſcopi accipiant vacuam; de manu vero Archidiaconi accipiant urceolum cum Aquamanili, ac manutergium, dicente ſibi Epiſcopo, Videte &c.* Cui convenit ferè in iiſdem verbis B. Ivo Carnoten. [3]

Ita ſimiliter non obſtant verba Ord.Rom. apud Hittorp. I. [4], quæ argumento ſunt eidem Vicecomiti, ſcyphos inter urceolos numerari, quia de ſcypho in calicem parum refundatur; veluti omnia vaſa, quibus refunditur ſint urcei. Aberraſſe à vero Vicecomitem dignoſcitur ex ipſo Ord. Rom. [5] ubi legitur: *Deinde Archidiaconus accepto de manu illius* [ideſt *Epiſcopi*] *calice refundit in ſcypho*. Etenim Vicecomitis argumento, ſi de calice refunditur in ſcyphum, etiam calix eſſet urceolus, quod apud cordatos viros admitti non deberet.

Circa ea tandem, quæ aſſeruit Altaſerra loco ſupra citato in V.*Siclonem*, credimus Auctorem hunc aberraſſe; adeòque ſuper eis non eſſe ulterius inſiſtendum, dum abundè patet ex ſuperioribus, ſcyphum non fuiſſe vas vinarium. Cùm autem legimus in Anaſtaſio Calicem fundatum cum ſcyphone, intelligendum cum *ſiphone*, ideſt cum fiſtula; nam *ſiphon*, à quo *ſiphone* ſinè litera *c*, & *ypſilon*, propriè ſignificat fiſtulam, & calamum, prout ex Macro ſupracitato, & eſt quid diverſum à ſcỳpho, qui ſcribi debet per *ypſilon*, & calicem deſignat.

DE SENATORIO.

XII. *Pontifex ..... deſcendit ad Senatorium, quod eſt locus principum*. Ord. Rom. apud Hittorpium IV. [6], & ſupra in Ord. Rom.III. [7]: *Pontifex deſcendit ad Senatorium .... & ſuſcipit oblationes principum per ordinem arcuum*; ideſt ſecundum eorum præcedentiam. *Archium* voluit Mabillon. [8] quia *retinenda*, ait, *videtur lectio Codicis Colbertini, ut ſignificet ordinem principem, ſeu præcipuum*.

Senatorium poſuit idem Mabillon. [9] infra Presbyterii cancellos, in parte auſtrali, cancellis proximius, ubi Senatores, & principes conſiſtebant; ex adverſa parte Matronæ. Idem repetit cap.6.n.4.pag.XLIV. ubi de Oblationibus principum, inquit: *Oblationes, panis ſcilicet, accipiebat Pontifex in Senatorio, qui locus erat ipſis ad auſtralem partem aſſignatus*. Et in cap. 8. num. 17. pag.LIX. *Pontifex è Sede deſcendebat in Senatorium, ubi Magnates Euchariſtia reficiebat, & in adverſam partem, ubi Matronæ conſiſtebant, eiſdem communionem præbiturus, ſubſequente Archidiacono cum ſcypho prædicto ad utroſque confirmandos*.

Ex his colligitur Senatorium fuiſſe locum, in quo primores populi ad ſacra convenientes, à reliquo populo ſejuncti conſiſtebant. Et verbum *principum* in dicto Ord. Rom. ſcriptum, ideſt *principalium* intelligendum eſſe, ut planè eruitur ex Ord. Rom. IV. apud Hittorpium [10]: *Deinde deſcendit Pontifex .... ut communicet principes Populorum*, [ideſt *principales*] *& matres familias eorum*. Tunc enim in Urbe non erant tot Principes, tot Duces, tot Marchiones, tot Comites, quibus titulis exindè uſi ſunt viri principes.

Hæc ita mihi pro mei exiguitate ingenii videbantur; quod ſi alii aliter ſenſerint, certiora à viris eruditis diſcere libenter gloriabor.

DE-

[1] *Lib.2. de Offic. Eccleſ. cap.10.* [2] *De Div. Offic. in ordinatione Subdiaconi apud Hittorpium pag.91. col.1.*
[3] *In Serm. de Excell. Sac. ordinat. apud ipſum Hittorpium pag.471, §. Quinto loco.* [4] *Pag.5. col.1.*
[5] *In eadem pag. col.2.* (6) *Pag.17. col.2.* [7] *Pag.12. col.2.* (8) *In Not. ad Ord. Rom.I. pag.10. litt. E. Muſ. Ital. tom.2.* [9] *In Comment. ad Ord. Rom. cap.3. pag.XXII..* (10) *Pag.19. col.2.*

LITERÆ DECRETALES
CANONIZATIONIS
S. PII QUINTI
PONT. MAX.
CLEMENS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. INter multiplices tribulationes, quæ invenerunt nos nimis, Clementissimus Deus, qui non continet in irâ misericordias suas, visitavit Populum suum in pace, & de Cœlestium charismatum abundantiâ, quibus locupletavit Electos suos, velut ab ubertate domus suæ replevit Nos gaudio, atque in tantis periculis constitutos novis subsidiis instruxit, & confirmavit. Enimverò egregia Sanctorum Virorum facinora, tametsi magnalia Dei potissimùm, ejusque potentiam loquantur, & prædicent, qui ex humanæ naturæ figmento vasa misericordiæ conflare dignatur, ut per infirma Mundi, fortia quæque confundat; ipsa tamen immensa Dei bonitas, artifex ad salutem in paucorum triumphis plurimorum commodis prospicit, & virtutem præcedentium instructionem efficit posterorum: ut nimirùm, qui viderint fragiles homines eâdem generis infirmitate circumdatos, in carne supra carnem vixisse, & per fidem operantes justitiam, adeptos esse repromissiones, pari Religionis ardore excitentur ad pugnam, ac nitantur ad coronam; Eorumque intuentes exitum conversationis, imitentur & fidem; Simul etiam ne quis certantibus diffidentiæ torpor obrepat, in ipsis Servorum suorum operibus, in quibus proponit imitationis exemplum, imbecillitati nostræ præsidium parat, eorumque merita nostra vult esse suffragia. Tantas profectò sui in nos amoris divitias uberrimè effudit Dominus, cùm dedit nobis de Pii V. Romani Pontificis Prædecessoris Nostri virtutibus, ac meritis, lætari, & exultare. Cui enim dedit Sacerdotium Magnum, ut haberet laudem in nomine ipsius, & quem induit virtute ex alto, ut præliaretur prælia Domini, & virtute irrumperet iniquitates, factus in columnam ferream, & in murum æreum pro Domo Dei; eumdem etiam translatum de hoc seculo, & signis admirabilibus illustratum posuit in lucem, ac lætitiam Populi sui, quem provocaret exemplis, ac foveret auxiliis.

Proœmium.

Inter præsentium temporum calamitates gaudet Pontifex Beatum Pium Sanctorum fastis adscribere, illiusque virtutes omnibus Episcopis imitandas proponere,

§. 2. Nos igitur, quos in hac sublimi Apostolatus speculâ constituit Dominus, ut annunciemus Populis mirabilia ejus, atque ad currendam viam mandatorum ipsius, Christi-Fidelium animos excitemus, officii Nostri esse duximus, ut eumdem Pium Quintum, quem Nos divinâ fruentem in Cœlis Beatitate jampridem colebamus, in terris etiam, authoritate Nobis à Domino traditâ, Sanctorum fastis solenniter adscriberemus; atque ita Universa Christi Ecclesia inter pia gaudia Deum prædicaret mirabilem in Sanctis suis, tantæque pietatis incitamento, ac tutelâ proficeret. Neque enim sine peculiari divinæ Providentiæ consilio contigisse arbitramur, ut eo planè tempore, quo Orthodoxæ Religioni tot ab ejus hostibus undequaque struuntur insidiæ: quo Sacrorum Canonum salutaris norma tam impudenter contemnitur: quo turbulenti homines, continuâ novitatum prurigine laborantes, damnatos dudum errores subdolis artibus instaurare conantur: quo abundante nequitiâ Christiani Populi charitas plurimùm refrigescit: quo seculi potestates nova in dies vulnera Ecclesiasticæ libertati inferre moliuntur: quo demùm suprema hæc Beati Petri Sedes tot contumeliis, & injuriis palàm afficitur: Is Pontifex in Sanctorum album referretur, adeòque Nostræ non minùs, quàm Episcoporum omnium imitationi proponeretur, in quo fuit Religionis propagandæ perpetuum studium, in Ecclesiastica disciplina restituenda indefessus labor, in extirpandis erroribus assidua vigilantia, in sublevandis egentium necessitatibus indeficiens beneficentia, in Sedis Apostolicæ juribus vindicandis robur invictum. Sed præstat jam his Nostris literis virtutum ipsius, vitæque rationem enucleatè referre, ut tantorum meritorum memoria Apostolici etiam Ministerii Nostri præconio, ac testimonio propagetur.

B. Pius anno 1504. de Nobili gente Ghisleria, Paulo Ghislerio, & Dominica Augeria parentibus oritur, & Michaël in Baptismate appellatur.

§. 3. Gens Ghisileria perantiquâ, & generosâ Nobilitate Bononiæ illustris, atque Ordini Senatorio adscripta, Civilium dissidiorum causâ in varias Italiæ Regiones distracta, in Oppido Boschi Dertonensis Diœcesis apud Insubres, sedem, ac domicilium posuit; Ubi licèt avito fortunarum splendore exuta, reique familiaris difficultate depressa, non ultimum tamen locum inter cæteras honestiores Familias retinens, anno reparatæ salutis MDIV. Paulo Ghisilerio, & Dominicâ Augeriâ parentibus, Michaëlem, qui ad Apostolicam deinde Cathedram evectus Pius Quintus est appellatus, in lucem protulit.

Decimoquarto suæ ætatis anno Ordinem Fratrum Prædicatorum, meritò à Pontifice commendatum, ingreditur.

§. 4. Sacro regenerationis lavacro Cœlo renatus, generosus Alumnus, ac piâ, Christianâque educatione imbutus, futuræ Sanctitatis præludia ab ipsâ edidit adolescentiâ; Nam statim ac quartum supra decimum ætatis annum attigit, Mundo, seculique illecebris vale dicens, Fratrum Prædicatorum Instituto nomen dedit, præclara illius Ordinis decora, ac potissimùm eximia in hanc Sanctam Sedem merita plurimùm auctu-

rus.

rus. Hic enim ille eſt laudatiſſimus Sancti Dominici Ordo, in quo, ut primùm inſtitutus fuit, tamquam in opimo, ac fertili agro, eodemque bene, ac diligenter ſubacto, & exculto, Viri doctrinæ præſtantiâ, & Vitæ Sanctitate conſpicui numquam alii aliis ſuccreſcere deſierunt.

§. 5. Strenuus itaque in his Caſtris Miles munia ejuſdem Ordinis, Lectoris ſcilicet, Prioris, & Definitoris, quæ exactâ Regularis diſciplinæ obſervantiâ promeruit, ſummâ cum laude obivit, totuſque in eo fuit, ut viva probatorum Patrum exempla ſibi proponeret imitanda; Ratus, & quidem meritò, baſim, ac fundamentum Religioſæ vitæ in aſſiduâ ad Deum precatione, atque in legendis, imitandiſque Sanctorum Virorum geſtis, Sancti Dominici præſertim, ac eorum, qui Dominicanam Familiam Sanctitatis famâ illuſtraverant, eſſe collocanda.

In eodem Ordine ita emicuit, ut Lectoris, Prioris, & Diffinitoris munus laudabiliter functus, ob implacabile odium, quod ſemper in eo adversùs Hæreticos eluxit, apud Novocomenſes, & deindè apud Bergomates Fidei Quæſitor renunciatus fuerit.

§. 6. Cùm autem plurima in hoc Viro admirabilia fuerint, præcipuè ſingulare ſtudium conſervandæ veræ, & Catholicæ Religionis, & adversùs eorum fraudes, & inſidias, qui illam ullâ ex parte labefactare conarentur, implacabile odium ſemper eluxit. Quare apud Novocomenſes primùm, deinde apud Bergomates Fidei Quæſitor renunciatus, illis, qui ab Eccleſia deſciviſſent, perpetuum bellum indixit; tum, ut errantes ipſos in viam ſalutis revocaret, tum, ut cæteros ab erroris contagione ſervaret illæſos.

§. 7. Ergo cùm ei munus in eos publicè inquirendi mandatum fuiſſet, non ille potentum inimicitias, non pericula, non vitæ, ac capitis dimicationes, dum illos modis omnibus perſequeretur, ſibi fugiendas putavit; Sed potiùs ultro, ac cupidè appetiit; ſervatoque à Deo mirabiliter, non animum Martyrio dicendum, ſed Martyrium animo defuiſſe. Erat tunc temporis ſuo viduata Paſtore Curienſis Eccleſia apud Rhetios, cui Canonicus quidam, etſi ſuſpectæ Fidei, ob ſuffragiorum numerum fortè præficiendus erat. Mittitur propterea hujuſce Cauſæ cognitor Beatus Pius; Eâque ad Juris normam probè confectâ, Hæreſeos criminis reus Canonicus ille declaratus eſt. Pius verò rem hanc totam ita forti animo geſſit, ut numquam Ordinis ſui indumenta etiam per breve tempus exuere voluerit, quamquam eum omnes alieno veſtitu incedere hortarentur, ne oculos Hæreticorum offenderet, qui capitale odium adversùs Dominicanos Fratres profitebantur. Negavit id ſe facturum Pius, ſanctè teſtatus, ſe quamlibentiſſimè, ſi ita Deo viſum fuiſſet, Sacrâ illâ Veſte indutum mortem oppetiturum.

In exequendo hoc munere nihil Potentum inimicitiarum, periculorum vitæ, & capitis dimicationis pertimeſcit. Eccleſiæ Curien. vacanti quidam Canonicus ſuſpectæ Fidei ob ſuffragiorum numerum præficiendus erat; ſed per B. Pium illuc hujus Cauſæ cognitorem Hæreſeos criminis reus declaratur.

Hortatus, ut ad ejus vitæ periculo conſulendum ſui Ordinis habitum Hæreticis infenſum per breve tempus exueret, & alieno veſtitu incederet, id ſe facturum negat, teſtans ſe quamlibentiſſimè Sacra illa Veſte in Dei, Religioniſque holocauſtum moriturum.

§. 8. Pari ſanè conſtantiâ Bergomenſem Civitatem ab Hæreticorum peſte diligenter purgavit; Ubi invicto animo adversùs Medolacum falſæ Doctrinæ Propagatorem accerrimè inſtitit, quamvis magnâ Amicorum, ac Conſanguineorum copiâ ſuffultum, à quibus ſubindè graves excitatæ ſunt turbæ.

Bergomenſem Civitatem ab Hæreticis purgat, & adversùs Medolacum falſæ Doctrinæ Propogatorem acerrimè inſiſtit.

B. Pii opera Episcopus Bergomensis, qui quosdam nefarios homines in eum immiserat, ut vi, doloque captum maximis cruciatibus eum perimerent, Hæreseos damnatus ab illius sede dejicitur, & Hæreticorum pœnas luit, & Medolacus carceri apud Venetos mancipatus miserrimè obit.

§. 9. Id quod præstitit adversùs ejusdem Civitatis Episcopum, cujus profectò præpotens authoritas eò devenerat insaniæ, ut quosdam nefarios homines immitteret, qui integerrimum Fidei Ministrum, vi dolove captum maximis cruciatibus perimerent. Verùm uterque tandem jure, ac meritò Hæreseos damnatus Hæreticorum pœnas luit. Medolacus enim Carceri apud Venetos mancipatus extremum diem miserrimè clausit: Episcopus verò è Sede Episcopali dejectus dignitatem amisit.

Supremæ Romanæ Inquisitionis Commissarius à fel. rec. Paulo PP. IV. declaratur, & Ecclesiæ Nepesin. in Episcopum præficitur. Anno 1557. in Sacrum S.R.E. Cardinalium Ordinem cooptatur, ac Supremus, & perpetuus Inquisitor efficitur.

§. 10. Demùm cum in hoc arduo munere strenuè, fideliterque laborasset, Supremæ Romanæ Inquisitionis Commissarius à felicis recordationis Paulo Papa IV. Prædecessore Nostro declaratus fuit, indè ad Episcopale Nepesinæ Ecclesiæ regimen assumptus, ac subinde anno MDLVII. in Sacrum S. R. E. Cardinalium Ordinem cooptatus, eique Supremi, ac perpetui Inquisitoris provincia demandata fuit, factâ omnibus Episcopis, ac Delegatis jussione, ut in rebus ad Sanctum Officium pertinentibus ipsum veluti Superiorem agnoscerent.

Hanc Dignitatem, quæ nemini unquam antea, nec postea collata fuerat Pius PP. IV. Cardinali Alexandrino (hoc nomine B. Pius inter Cardinales nuncupabatur) nedum confirmat, verùm à Nepesina Ecclesia ad Ecclesiam Montis Regalis Provinciæ Taurinen. transfert.

§. 11. Hanc verò amplissimam dignitatem, quæ nemini unquam antea, nec postea collata fuit, recolendæ memoriæ Pius Papa IV. etiam Prædecessor Noster, qui memorato Paulo Prædecessori in Pontificatu successerat, Cardinali Alexandrino (hoc nomine Beatus Pius inter Purpuratos Patres nuncupabatur) nedum confirmavit, verùm etiam illum novis in dies fulgentem meritis à Nepesino Episcopatu ad ampliorem regendam Ecclesiam Montis Regalis in Subalpinis transtulit.

In Cardinalatus sublimitate modestiam, humilitatem, cæterasque omnes Virtutes excoluit, paucis in ejus famulatu, sed probis viris adscitis, quos charitate complectens more Religiosorum secum vivere, & Deo inservire docet.

§. 12. Divinâ itaque Providentiâ ad majora vocatus, Sacræque Purpuræ ornamento cohonestatus, ita modestiam, humilitatem, cæterasque virtutes omnes excoluit, ut illæ novo lumine illustratæ, & adauctæ magis, magisque suspiciendæ intuentium oculis apparuerint. Paucis enim in famulatu probisque in primis, adscitis, paternâ illos charitate complexus, more Religiosorum secum vitam agere, Deoque inservire, verbo docuit, & exemplo.

In arduis Religionis negociis, quæ tunc in Tridentina Synodo tractabantur, & quæ Romæ examini doctissimorum Virorum subjiciebantur, magni ponderis Cardinalis Alexandrini calculus existimatur.

§. 13. Coactâ eâ tempestate apud Tridentum Oecumenicâ Synodo, cùm ardua ibi Religionis, disciplinæque Ecclesiasticæ negocia tractarentur, illaque Romæ maturo examini in Conventu Doctissimorum Virorum subjicerentur; magni apud omnes ponderis, summoque in pretio fuit Cardinalis Alexandrini calculus, qui, posthabitis seculi rationibus, nihilque sapiens terrenæ affectionis, Apostolicâ planè libertate sententiam dicere semper visus fuit, quamquam simultates, & odia sæpius eâ de re subiturus.

Pio IV. rebus humanis exempto, summo omnium Patrum consensu Cardinalis Alexandrinus die 7. Januarii anni 1566. Pontifex Maximus renunciatur; assumpto nomine Pii V. Ecclesiæ Universalis gubernacula, nonnisi post effusas Deo preces suscepit.

§. 14. Interea præfato Pio IV. Prædecessore rebus humanis exempto, summo omnium Patrum consensu Cardinalis Alexandrinus die VII. Januarii anni MDLXVI. Pontifex Maximus renunciatur, assumptoque Pii V. nomine, Ecclesiæ Universalis gubernacula, post fusas Deo ferventissimas preces, non minori Populorum gaudio, quàm expectatione suscepit.

Nec

Nec profectò communem opinionem fefellit; Nam vix supremo fastigio admotus, nil antiquius habuit, quàm clementiæ, ac beneficentiæ testimonia, & singularia edere documenta, nedum erga illos, qui vel minimum commodi ipsi contulerant; verùm etiam in eos, qui de se malè meriti fuerant, ut perfectissimam imitaretur charitatem Patris Nostri, qui in Cœlis est.

§. 15. Inter tot, tantasque Apostolici Ministerii curas numquam à piissimo Pontifice, quanquam affectâ ætate, & corpore admodum imbecillo, intermissa jejunia, carnis macerationes, orationum, precationumque frequentia, interdiu numquam posthabita, de nocte verò sæpiùs adaucta, quoties pro re Catholicâ quidquam magni momenti decernendum accideret. Nihil enim de pristinâ Religiosæ Vitæ severitate remiserat, demptisque Principatus Insigniis, & externo dignitatis splendore, in mentis recessu privatum agebat: imò, quanquam adhuc in terrâ positus, versabatur in Cœlo; cumque inter Mortales degeret, jam tamen Civis erat Sanctorum, & Domesticus Dei.

Inter Pontificatus curas licèt affecta ætate, & corpore imbecillo, numquam jejunia, carnis macerationes, orationesque intermittit, & quoties pro re Catholica aliquid magni momenti decernendum erat, de nocte orationes ipsas adauget, nihil de pristina Religiosæ Vitæ severitate remittit.

§. 16. Hinc Consanguineos suos non titulis, non divitiis, non honorum gradibus insignitos, ac donatos voluit; sed Michaëlem Bonellum suum ex sorore Pronepotem, nonnisi post exactum in Dominicanâ Familiâ tyrocinium, sacrarumque literarum peritiam adeptam, totius Sacri Collegii non approbatione tantùm, sed enixis etiam precibus accedentibus, inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales assumpsit.

Consanguineos suos titulis, divitiis, & honorum gradibus non vult insignitos.

Michaëlem Bonellum suum ex sorore pronepotem, non nisi exacto prius per eum in Dominicana Familia tyrocinio, literarum peritia adepta, & accedentibus enixis Sacri Collegii precibus inter Cardinales assumpsit.

§. 17. Nemini item in Aula Pontificia locum dari passus est, nisi cui probatæ vitæ ratio illum comparasset; Adeout Pontificis Familia ad exemplum Domini sui instituta, atque composita, nullâ re magis, quam modestiâ singulari, & præcipuâ quadam animi, morumque integritate à cæteris discerneretur.

In Aula Pontificia nemini locum præbet, nisi quem sibi probatæ vitæ ratio proponit.

§. 18. Nulli apud ipsum ad Ecclesiæ Dignitates aditus patuit, nisi cui merita prudenti judicio expensa ad illas obtinendas viam stravissent, viresque ad easdem probè exercendas abundè suppeditassent.

Neminì ad Ecclesiæ Dignitates aditus patet, nisi cui merita viresque ad illas obtinendas, & probè exercendas accedunt.

§. 19. Flagrans in eo propagandæ Religionis Catholicæ desiderium, indefessus pro instaurandâ Ecclesiasticâ Disciplinâ labor, incredibilis, ac quasi perpetua in extirpandis erroribus vigilantia, pro tuendis Ecclesiæ Juribus ferreum pectus, in castigandis corrupti seculi moribus, malorumque Hominum licentiâ, & temeritate duriores renovatæ Leges, atque excitata Judiciorum severitas. Contra vero pronâ, ac semper inexhaustâ beneficentiâ curavit Subditorum commoda, quorum querelas, supplicesque recursus, non modico valetudinis suæ dispendio, datâ cuilibet adeundi, fandique copiâ, prolatâque audiendi patientiâ à mane usque ad vesperas, penè quotidie excipiebat.

Cupidus, indefessus, summèque vigilans ad Catholicam Religionem propagandam, Ecclesiasticam disciplinam instaurandam, erroresque extirpandos, & ad corruptos mores castigandos Leges renovat duriores.

Pronus, ac summè beneficus in Subditorum commoda eorum preces ferè quotidiè à mane usque ad vesperas, non sine modico suæ valetudinis dispendio, excipit.

§. 20.

Ex ſuarum Virtutum, & Sanctitatis radiis illuſtrati quidam Nobilis Anglus, & Ollicæ Dux, ac nonnulli Hebræi ad Euangelii lumen accedunt. Elias quidam Archiſynagogus divitiis, & famâ celebris, unà cum ejus filiis, à Beati Pii manu Sacrum Baptiſma ſolenniter in Baſilica Vaticana accipit.

§. 20. Talis demum, ac tantus in eo effulſit ſplendor Virtutum, ut ab eis Sanctitatis radiis illuſtrati, & Nobilis quidam Aglus, & Ollicæ Dux, Hebræique nonnulli ad admirabile Euangelii, Orthodoxæque Fidei lumen libenter acceſſerint. Quos inter Elias quidam Archiſynagogus divitiis, famâque celebris, unà cum Filiis, Vaticano in Templo, ſolenni Ritu Pii Pontificis manu Sacri Baptiſmatis beneficium accepit.

Integritatem, Juſtitiam, Æquitatem, quibus Eccleſiam rexit, editæ ab eo ſanctiones, & typis vulgatæ teſtantur.

§. 21. Quâ Integritate, quâ Juſtitia, quâ Æquitate Sanctæ hujus Sedis Regimen, totiuſque Catholicæ Eccleſiæ procurationem Pius geſſerit, editæ ab eo ſanctiones inter alia Romanorum Pontificum Decreta Typis vulgatæ probè teſtantur.

Quæ, quantaque ipſe geſſerit pro Religione, & pro illa in pluribus Provinciis conſervanda, propagandaque ex Scriptorum monumentis, ac fide dignis Hiſtoricis colligitur.

§. 22. Quanta protinùs ipſe fecerit, ut in Galliâ, Belgio, Germaniâ, Scotiâ, Angliâ, Poloniâque ſarta tecta Catholica Religio conſervaretur, ac propagaretur, ex luculentis Scriptorum monumentis, ac publicis, omnique fide dignis Hiſtoricis colligi poteſt, adeout penè miraculo proxima ſit ingens illa vis pecuniarum, quâ omnibus ferè Orbis Chriſtiani partibus inopiâ preſſis, aut Religionis causâ laborantibus, ſine ullâ cunctatione ſubvênit.

Ingenti pecuniarum copiâ miraculo proxima omnibus ferè Orbis Chriſtiani partibus inopia preſſis, aut pro Religione laborantibus ſubvenit.

Hugonottorum hæreſi Galliam omnem vaſtante, & ob id illo Rege nonnulla publica Edicta Religioni noxia edere coacto, edicta hujuſmodi abrogari facit, & illuc pecunia, & Militum Copiis Duce Comite Sfortia Domino Sanctæ Floræ opportunè tranſmiſſis, Inſignem de Hugonottis ipſis Victoriam reportat.

§. 23. Cùm Galliam omnem Hæreſis Calviniana, Hugonottorum appellata, ſuſquedeque verteret, atque hujus rei causâ nonnulla inibi Orthodoxæ Religioni parùm conſentanea in publicum emiſſa eſſent Decreta; Tam forti animo apud Regem Chriſtianiſſimum inſtitit Pius, ut illa penitùs è publicis Tabulis deleta fuerint atque abrogata. Tum conſilio, pecuniâ, commeatu, ac Militibus in Galliam, Duce Comite Sfortia Sanctæ Floræ Domino, opportunè tranſmiſſis, ita Catholicorum partes adjuvit, ut inflictâ Hæreticorum Copiis inſigni plagâ, Regnum Regi, Regno Religionem, verum Deo cultum reſtituerit.

Excitatis, & in Belgio ad Religionis damna non minoribus turbis ab Hæreticis, dilatoque ab Hiſpaniarum Rege hujuſmodi negocio, ſuadentibus id ſibi Aulicorum conſiliis, Beatus Pius everſis ab eo tam pernicioſis conſiliis, collataque pecunia, & perſuaſis inter Italos ſtrenuis Viris, ut illuc pro fide pugnaturi adirent, efficit, ut quamplurimæ, Albano Duce ſummam Belli dirigente, de hæreticis victoriæ referantur, & illorum vexilla ad Baſilicam Lateranenſem ſuſpendit.

§. 24. Neque minores in Belgio turbas ad labefactandam Religionem excitaverant Heterodoxi, quibus ne ſtatim curſum retardaret Hiſpaniarum Rex, curatis tunc ſolummodò politicis rebus, ac dilato in aliud tempus Religionis negocio, auctores erant Aulicorum Conſiliariorum quamplurimi. At Pius Pontifex evertit tam pernicioſa conſilia, collatâque tempeſtivè pecuniâ, ac nonnullis inter Italos bellicoſis Viris, ut Belgium pro Fide pugnaturi pergerent, perſuaſis, in cauſa fuit, ut quamplurimæ Albano Duce Belli ſummam dirigente, de Hæreticis Victoriæ fuerint reportatæ, exuviæque, & Vexilla perduellium è parietibus Lateranenſis Baſilicæ, celebris facti monumenta, pependerint.

Cæſari ex neceſſitate liberum in Archiducatu Auſtriæ Auguſtanæ Confeſſionis exercitium jam jam permiſſuro, Cardinalem Commendonum mittit, & malum illud avertit.

§. 25. Propè erat, ut Cæſar neceſſitate compulſus in Auſtriæ Archiducatu Hæreticis Auguſtanæ, ut vocant, Confeſſionis, liberum ſuæ hæreſeos exercitium permitteret, niſi Pius Pontifex miſſo in Germaniam Cardinali Commendono, pericula Orthodoxæ Religionis, quæ jam imminebant; opportunè avertiſſet.

§. 26.

§. 26. Similiter cùm apud Polonos publicis edictis mulctati fuissent Antitrinitarii, aliique Hæretici: verùm dictæ Confessionis Augustanæ, Calvinianæque Hæreseos Professoribus in eodem Regno degere esset permissum, Pius apud Regem effecit, ut ille solennem, ac jurejurando firmatam sponsionem ederet, quâ sese in Religione Catholicâ ad mortem usque perseveraturum, ac numquam passurum, vel minimùm imminui, immutarique Romanæ Fidei dogmata, avitosque Ritus, quidquid contra niterentur Hæretici, sanctè promitteret. Plurimas è scriptis Michaelis Baji excerptas propositiones, è quibus tamquam errorum fonte, Janseniana Labes orta in hæc usque tempora derivavit, ac licèt à pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, imo etiam à Nobis sæpiùs confixa, atque proscripta, adhuc tamen latenti propagine reviviscere, virusque contagii effundere non desinit, provido, & Ecclesiæ salutari Consilio editâ sanctione in ipsâ origine damnavit.

Confessionis hujusmodi, & Calvinianæ hæresis professores à Polonia tutò inibi degentes non sinè eorum rabie expellit, efficitque, ut ille Rex solenni jurejurando se in Religione Catholica moriturum, & numquam passurum quidquam in dicto Regno de Romanæ Fidei dogmatibus imminui, vel immutari promittat.

Plurimas è scriptis Michaelis Baji propositiones Orthodoxæ Fidei adversantes edita sanctione damnat.

§. 27. Hærebat squallore Carcerum, Hæreticorum dolis, odioque implacabili Elisabethæ prætensæ Reginæ Angliæ mancipata, clar. me. Maria Stuarda Regina Scotorum, Religiosissima fœmina, resque Catholica, in illo Regno lacerata, & undique collisa animum Sanctissimi Pontificis paternæ Charitatis stimulis exagitabat: Quare, afflicto illo rerum statu explorato, Mariæ Reginæ constantiam amantissimis, Sanctoque zelo refertis Epistolis fovere non desiit, ac excitare, ut à puritate Fidei, quam à Parentibus hauserat, & eatenus illibatam servaverat, nullis se conditionibus divelli pateretur, menteque recoleret, longè potiora esse æterna Cœli præmia, quàm caduca hæc, & inania terrenæ dominationis Bona; Eodem verò tempore Catholicos Germaniæ Principes adhortatus est, ut traductis in Scotiam opportunis auxiliis periclitantem Fidem, ac Religionem validissimè tuerentur. At ubi, per summum scelus, Mariæ Reginæ supradictæ Carnificis manu Caput abscissum, omnesque Anglici Regni Episcopos à Sede sua violenter depulsos cognovit, atrocitate rei commotus impiam Elisabetham flagitiorum Servam, uti hæreticam, & Hæreticorum fautricem, horribili anathemate ferire nil cunctatus, à juramento fidelitatis Proceres Subditos, & Populos dicti Regni perpetuò absolvit, illamque omni, & quocumque ejusdem Regni prætenso jure, dominio, dignitate, ac privilegio privatam Pontificiâ authoritate declaravit.

Mariæ Stuardæ Religiosissimæ Scotorum Reginæ, ab Elisabetha impia Angliæ Regina Carceribus mancipatæ, invictam constantiam paternis, pioque Zelo refertis Epistolis fovet, & Catholicos Germaniæ Principes periclitantem in Scotia Fidem tueri hortatur.

Elisabetham, abscisso interim ea jubente Mariæ Capite, expulsisque omnibus Regni Episcopis, publico anathemate damnat, illamque omni jure Regni privatam declarat.

§. 28. Verùm quos labores susceperit; quot, quantosque sumptus, ac curas impenderit pro Christianâ Republicâ servandâ, propulsandoque à Fidelium cervicibus Hoste immanissimo, ac potentissimo, nemo est, qui ignoret; Cùm scilicet Navali prælio commisso, præclaram illam, & post Hominum memoriam insignem, maximamque Victoriam, Christo Duce, quem in vexillo Imperatoriæ Triremis elevari jusserat, reportavit.

Insignem, ac omnì seculo memorabilem Victoriam de Navali Prælio contra Selimum Turcarum Tyrannum non solùm Armis, verùm etiam ferventissimis ejus apud Deum precibus refert.

§. 29. Expugnatâ ſiquidem ſuperiori anno Nicoſiâ, Regnoque Cypri florentiſſimo (dolentes recordamur, & acerbitate jacturæ adhuc ingemiſcimus) in ditionem redacto, ſecundis rebus elatus Turcharum Tyrannus Selimus, odioque in Chriſtianum nomen, ac inſatiabili avaritiâ inflammatus Claſſem inſtructiſſimam comparaverat, quâ Cretam, Corcyram, Zacyntum, Oraſque omnes Maritimas incendiis, rapinis, miſerorumque captivitate fœdè populabatur, ipſamque Italiam, & Almam hanc Urbem ſuperbâ ſpe devorabat.

§. 30. Nemo erat tunc temporis, qui expenſis nefarii hoſtis Viribus, & effrænatâ illius regnandi cupiditate, opprobria, ignominias, ſervitutem, vitæque extrema non expaveſceret. Quiſque Religioſiſſima Templa, araſque Sanctiſſimas complexus pro Liberis, pro Conjugibus, pro fortunis, proque dulci hujus lucis uſurâ lacrymans deprecabatur. At verò, in tantâ rerum perturbatione, ac inveteratâ apud omnes opinione, ferociſſimum Hoſtem Chriſtianorum armis ſuperari non poſſe, invicta Pii conſtantia, inito cum Chriſtianis Principibus Sacro Fœdere, ac Claſſe copioſiſſimâ inſtructâ præliatus eſt Bella Domini, & in ſpiritu vehementi Naves Tharſis penitus contrivit, atque delevit.

Superno lumine illuſtratus illo ipſo die, eademque hora, qua pugnatum fuit, felices Victoriæ hujuſmodi videt eventus.

§. 31. Nec tantę Victoriæ nuncium, optatumque rumorem diu expectavit Sanctiſſimus Pontifex; defixis quippe oculis in Imagine Redemptoris Noſtri è Cruce pendentis, cum anxiis precibus, & voce fletus ſui ſolito uberioris, divinam Miſericordiam exoraret, ne gentibus efferatis hæreditatem ſuam diripiendam relinqueret, ſed in brachio excelſo Populum ſuum ſalvum faceret, in exceſſu mentis, ſuperno lumine illuſtratus videre meruit Chriſtianæ Claſſis proſperos eventus illo ipſo die, ac eâdem horâ, quâ feliciter ad Echinadas Inſulas pugnatum fuit.

Majora ad Religionis Incrementum cogitans, extrema vi morbi corripitur, & de ſibi vicina à ſe prævisa morte ſine ulla prorſus animi perturbatione coram familiaribus ſuis loquitur.

§. 32. Sed & alia, & fortaſſe majora ad Religionis incrementum cogitantem Pium, Deo ſic diſponente, communis neceſſitas prævenit; cujus in occurſum humilem, conſtantem, patientemque animum præſeferens piiſſimus Senex, extremâ vi morbi correptus acerbiſſimos dolores tam fortiter toleravit, ut ſolùm ad Jeſu Chriſti Crucifixi Imaginem dulciter ſuſpirans, hæc ſæpius ingeminare verba auditus fuerit: DOMINE AUGE DOLOREM, SED ET AUGE PATIENTIAM. Mortem autem ſibi ab ipſo morbi principio certam, atque exploratam ita non exhorruit, ut de eâ ſine ullâ prorsùs aut vultus, aut animi perturbatione coram Familiaribus ſuis loqueretur, eamque à ſe in lucro pòni, anteactæ vitæ fiduciâ planè demonſtraret. Cæterùm quod ex illo morbo ſibi pereundum fore divinâ revelatione præſciviſſet, duas apertas, atque illuſtres ejus rei ſignificationes dedit; Unam ſcilicet, quòd Cardinalem Alexandrinum pridie Paraſceves, hoc eſt vigeſimo nono ante ipſius obitum die, Sacroſanctam Euchariſtiam ſibi porrigentem, & uſitatâ verborum formulâ utentem juſſit ſubſiſtere, & ita verba con-

Cardinali Alexandrino Euchariſtiæ Sacramentum ſibi vigeſimo nono die ante ejus obitum porrigenti, uſitatam verborum formulam tunc omittere juſſit, & illa verba concipere, quibus in porrigendo Viatico Sacerdos utitur.

concipere, ut in iis tantùm fit, qui Sanctiſſimum illud Sacramentum pro Viatico accipiunt, ſupremum iter, & viam univerſæ carnis ingreſſuri; Alteram verò, quòd cùm aliquâ morbi remiſſione, depulſum ab eo mortis periculum, conſtans opinio eſſet, ſeptem præcipua Urbis Templa inviſere voluit, ejuſque itineris, quamquam viribus infirmâ valetudine dejectis, magnam partem pedibus confecit; apertè profitens velle ſe eorum Reliquias poſtremò videre, quorum animas non multò poſt viſurum eſſe ſperaret in Cœlo.

Remiſſa aliqua in parte vi morbi, & depulſo à communi opinione mortis periculo, ſeptem præcipua Vrbis templa inviſit, ejuſque itineris magnam partem licèt viribus deſtitutus perficit.

§. 33. Denique vi morbi invaleſcente, ſtatim ac noviſſimam appropinquare horam præſenſit, Sacrum Chriſtianorum Principum Fœdus Cardinali Alexandrino ferventiſſimè commendavit: Deinde Pſalmos Davidicos ſibi prælegendos popoſcit, lectori mandans, illos altâ voce pronunciare, interpoſitâ ſingulis verſiculis morâ, ut ipſe divina eloquia per aures admiſſa dulci contemplationis affectu ſenſim deguſtaret, ſitientemque ſpiritum irroraret nectare ſuaviſſimo.

Invaleſcente deinde morbo, extremamque horam appropinquare præſentiens, Chriſtianorum Principum fœdus Cardinali Alexandrino commendat. Pſalmos Davidicos ſibi prælegendos poſcit, illoſque dulci contemplationis affectu deguſtat.

§. 34. Tandem, cùm Hiſtoria Paſſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ex Euangelio legeretur, manibus in modum Crucis expanſis, nullo motu, ſtrepituve edito, ſuaviter efflavit Animam, eamque reddidit Creatori.

Demum cùm hiſtoria Paſſionis Dominicæ ſibi ex Euangelio legitur, ſuaviſſimè obdormit in Domino.

§. 35. Maxima, eo defuncto, ſtatim percrebuit fama illius Sanctitatis; cujus nempe deſiderium, publicamque jacturam ipſa etiam muta elementa Terræ fremitu, fulminibus, Amniumque exundatione teſtata fuerunt. Quare non Romani Populi ſolùm, verùm etiam plurimorum è vicinis Regionibus hominum concurſus ad viſendum illius Cadaver factus eſt, adeout majorem Cuſtodum, Militumque numerum adhibere opus fuerit, ne Populi fervor, qui Beati Cadaveris veſtes jam violenter ſciderat, carnes etiam in fruſta diſtractas ſecum aſportaret.

Maxima illius Sanctitatis oritur fama, & publicam jacturam Terra fremitu, Cœlum fulminibus, & Amnes exundationibus teſtantur.

Non ſolùm Romani Populi, verùm etiam plurimi è vicinis Regionibus homines ad viſendum illius Cadaver concurrunt.

§. 36. Agi cœptum de Pio inter Sanctos referendo anno MDCXXI. cujus rei gratiâ inſtructis variis tam Ordinariâ, quàm Apoſtolicâ authoritate Proceſſibus, fuit, ut mos erat illius temporis, tribus antiquioribus Romanæ Rotæ Judicibus eoſdem examinandi demandata facultas, qui, lato de hâc re judicio, & documentorum authoritatem probarunt, & Virtutum præſtantiam heroicum gradum attigiſſe, nec non Miracula ſupra communem naturæ uſum fuiſſe patrata dixerunt. Horum judicio Sacrorum Rituum Congregationis examen ſuperinductum, in quo pariter juridica Actorum validitas, atque in gradu heroico comprobatæ virtutes, ſimulque duo, quæ ſubſecuta fuerant, miracula plenè comprobata.

Anno 1621. inſtructis Proceſſibus de referendo Pio inter Sanctos, facultas illos examinandi, ut mos erat, commiſſa fuit tribus antiquioribus Rotæ Auditoribus, qui eorum validitatem probarunt, & illius Virtutes heroicum gradum attigiſſe, ac Miracula ſupra naturæ uſum patrata dixerunt. Quæ omnia, & ſimul duo Miracula ſubſecuta à Congregatione Rituum comprobata fuerunt.

§. 37. Quorum fuit primum, ab igne penitus illæſas remanſiſſe hujus Beati Pontificis duas Imagines, ex papyro unam, alteram ex tela confectas, in privato Oratorio, ſeu Sacello Antonii Cordubæ, & Cardonæ Ducis Seſſæ è pariete pendentes, licèt ignis ita vehementer per totam ædem graſſatus fuiſ-

Primum, ab igne ita vehementer per totam ædem Antonii Cordubæ, & Cardonæ Ducis Seſſæ graſſante, ut etiam argentea Simulacra vi flammarum liquefacta fuerint, duæ B. Pii Imagines ex papyro una, altera ex tela confectæ, in Oratorio privato dicti Antonii è pa-

riete pendentes illæsæ remanserunt, licèt Oratorii præfati universa Sacra Supellex, exceptis dumtaxat dd. Imaginibus, & ea parte Altaris, in quam altera Imaginum hujusmodi ceciderat, in cinerem redacta fuerit.

fuisset, ut etiam argentea Simulacra flammarum vi liquefacta fuerint, lapideumque Altare in formam cocti pumicis transierit, ac universa illius ædiculæ Sacra Supellex (dictis dumtaxat duabus Imaginibus, eâque strati Altaris prædicti parte, in quam altera earumdem Imaginum ceciderat, exceptis) in favillam, & cinerem redacta fuerit.

Alterum fuit repentina sanatio Tiburtiæ Florentiæ mulieris Auximanæ septuagenariæ, quæ variis afflicta morbis, intra spatium trium horarum Medicorum judicio moritura credebatur, sed Beati Pii indusio ægro corpori devotè applicito, illico sana è lectulo surrexit, & ad multos annos vitam protraxit.

§. 38. Alterum fuit Tiburtiæ Florentiæ Auximanæ mulieris septuagenariæ repentina sanatio. Hæc siquidem acutâ, malignâque febri correpta, aliisque congestis morbis oppressa, itaut Medicorum judicio intrà trium horarum spatium jam jam moritura crederetur: ubi Pii indusium ægro corpori devotè applicuit, nullâ interpositâ morâ, sana, & incolumis è lectulo surrexit, vitamque ad multos annos feliciter protraxit.

Congregationis judicium super præmissis Pontificio decreto firmatur, remisso reliquorum Miraculorum examine in aliud tempus.

§. 39. Fuerunt Pontificio Decreto firmata, tum quæ ad virtutes, tum quæ ad miracula pertinebant, supradictæ Congregationis Judicia; remisso in aliud tempus reliquorum miraculorum, quæ à Causæ Postulatoribus proponebantur examine.

Novis ab Urbano Papa VIII. super hujusmodi Causis editis Decretis, novus super non cultu conditur Processus, & quædam Pii Epistolæ exhibentur.

Constito de eorundem Decretorum observantia, nihilque in eisdem Epistolis, quod pietatem non redoleat reperto, novum miraculorum, & quæ post obitum contigerunt, instauratur examen. Inter quæ duo in præfata Congregatione Rituum à Clemente X. approbantur.

§. 40. Intereà cùm piæ mem. Urbanus Papa VIII. pariter Prædecessor Noster, super hujusmodi causis, quædam nova Decreta edidisset; novum condere Processum super non cultu, ac quasdam à Pio exaratas epistolas exhibere necesse fuit. Quibus omnibus impletis constitit de observantia eorundem Decretorum, prout etiam nihil in prædictis epistolis contineri, quod pietatem tanti Pontificis non redoleret: Quamobrem instauratum fuit examen miraculorum, nedum alias relictorum, imò & ipso Pio vivente patratorum, sed etiam eorum, quæ postmodùm intermedio tempore asserebantur contigisse. Horum duo præcipuè in memoratâ Congregatione coram similis mem. Clemente Papa X. etiam Prædecessore Nostro, habitâ omnium calculis admissa, & ab eodem Clemente Prædecessore approbata fuerunt.

Primum fuit victoriæ illa Navalis prælii à Christianis contra Turcas reportatæ cognitio, quam clarissimè divinitus rescivit, atque patefecit.

§. 41. Primum fuit divina illa B. Pio immissa cognitio, quâ ipse eodem prorsus die, eâdemque horâ, quibus Navalis, quam supra innuimus, victoria à Christianis reportata fuerat, clarissimè illam rescivit, atque iis, qui secum aderant, patefecit; qui, cùm mensem, diem, horamque adnotassent, ubi postea certus de victoriâ Nuncius advenit, illam, uti Pius ipsis prædixerat, evenisse apertissimè cognoverunt.

Alterum, mira, ac perampla triticeæ farinæ multiplicatio in Monasterio S. Dominici apud Pratum.

§. 42. Alterum fuit mira quædam, ac perampla triticeæ farinæ multiplicatio, quæ contigit in Monasterio Monialium S. Dominici apud Pratum in Hetruria.

His miraculis admissis prædicta Congregatio ipso Clemente approbante, censet Pium V. Beatorum Catalogo adscribi posse, Missamque, & Officium concedi.

§. 43. His itaque duobus miraculis, sicut præmittitur, admissis, cùm subinde eadem Congregatio, ipso Clemente Prædecessore approbante, censuisset, Servum Dei Pium V. Beatorum Catalogo adscribi posse, nec non Officium, ac Missam in ejus honorem concedi, idem Clemens Prædecessor

An-

Anno MDCLXXII. Pium V. prædictum Beati nomine nuncupari, ejus Corpus, & Reliquias venerationi Fidelium exponi, & aliquibus in locis de eo Officium recitari, Miſſamque de Confeſſore Pontifice juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani celebrari poſſe indulſit.

Anno 1672. idem Clemens Pium Quintum Beatum nuncupari, ejuſque Corpus, & Reliquias venerari, & aliquibus in locis Officium recitari, & Miſſam de Confeſſore Pontifice celebrari indulget.

§. 44. Porro reaſſumptâ denuo Cauſâ, expeditiſque Remiſſorialibus, ac Compulſorialibus Literis, ut quæ poſt venerationem eidem Beato Pio, ſicut præmittitur, indultam ſupervenerant, rite probarentur, novi Proceſſus efformati fuerunt; quorum diligenter perpensâ, & deinde admiſsâ validitate ab eâdem Sacrorum Rituum Congregatione, illius ſententiam approbavimus.

Reaſſumpta Cauſa, & Remiſſorialibus, & Compulſorialibus Literis expeditis ſuper probatione Miraculorum poſt venerationem ſuperventorum, novi efformantur Proceſſus, quorum validitate perpenſa, & admiſſa, ſententiam deſuper à præfata Congregatione latam Pontifex approbat.

§. 45. Firmatâ Actorum validitate, ſuum ſubiit examen eorumdem relevantia; adeòque duo de novo ſuperventa miracula in ipsâ Congregatione coram Nobis habitâ diligenter expenſa, & ab eâ approbata fuerunt.

Duorum de novo ſuperventorum Miraculorum relevantia in prædicta Congregatione coram Pontifice habita diligenter expenſa approbantur.

§. 46. Primum fuit de Margarita Maſſia decenni Puellâ paralyſi diuturnâ in coxis, & cruribus laborante, ſtatim, & incontinenti priſtinæ ſanitati reſtitutâ.

Primum, Margarita Maſſia decennis puella diuturna paralyſi in coxis, & cruribus laborans incontinenti priſtinæ ſaluti reſtituitur.

§. 47. Alterum de inſtantanea emiſſione fœtus materno in utero à pluribus diebus jam mortui, abſque ullo Iſabellæ Ricciæ Genitricis parientis dolore editi, cum ipſius Genitricis præſervatione ab evidenti mortis periculo.

Alterum, inſtantanea emiſſio fœtus in utero materno à pluribus diebus mortui abſque ullo Genitricis parientis dolore editi, cum ipſius Genitricis præſervatione ab evidenti mortis periculo.

§. 48. Auditis tamen deſuper tam Cardinalium, quàm Conſultorum præfatæ Congregationis ſuffragiis, nihil tunc fuit à Nobis definitum, ut in re tanti momenti Divinum priùs de more imploraremus auxilium.

Auditis deſuper tam Cardinalium, quàm ejuſdem Congregationis Conſultorum ſuffragiis, nihil à Pontifice Divinum Auxilium priùs de more imploraturo definitur.

§. 49. Quod cùm à Nobis peractum fuiſſet, Nos pariter duo hæc poſtrema miracula approbavimus. Deinde habitâ iterum coram Nobis Generali Congregatione ſupradictâ, fuit in deliberatione poſitum: An tutò ad ſolennem Canonizationem B. Pii deveniri poſſet; licèt autem omnes unanimi conſenſu affirmativè reſpondiſſent, adhuc tamen, antequam in tam arduo negocio quidquam decerneremus, denuo Superni Luminis adjutorium expetendum eſſe cenſuimus. At poſtmodum dictæ Congregationis Secretario, nec non Coadjutore Promotoris Fidei accitis die IV. Auguſti MDCCX., Sancto Dominico Fundatori Ordinis Prædicatorum ſacrâ, Beatum Pium V., non tam ad novum, ac præclarum decus præfati Ordinis de Catholicâ Eccleſia optimè meriti, quàm ad majorem ipſius Apoſtolicæ Sedis honorem, & gloriam canonizandum, & inter Sanctos referendum eſſe decrevimus.

Quo implorato, Pontifex duo hæc poſtrema Miracula approbat, habitaque coram eo Generali Congregatione prædicta, agitur, an tutò ad Solennem Canonizationem Beati Pii deveniri poſſit; & licèt unanimiter affirmativè reſponſum fuerit, nihilominus denuo divinum Auxilium deſuper expetendum cenſet.

Die 4. Auguſti 1710. d. Congregationis Secretario, nec non Coadjutore Promotoris Fidei accitis, Beatum Pium V. ad novum Ordinis Prædicatorum de Catholica Eccleſia optimè meriti, & ad majorem Sedis Apoſtolicæ honorem, inter Sanctos referendum eſſe decernit.

§. 50. Reliquum erat, ut accurata præmiſſorum omnium relatio univerſo S. R. E. Cardinalium Collegio de more fieret; quod cùm rectè, fideliterque præſtitiſſet tunc in humanis agens bon. mem. Joannes Maria ejuſdem S. R. E. Cardinalis Gabriellius nuncupatus, pro Venerabili Fratre noſtro Gaſpare Epiſcopo Sabinen. dictæ S. R. E. Cardinali Carpineo nun-

Facta præmiſſorum omnium à tunc in humanis agente bon. mem. Joanne Maria Card. Gabriellio, pro Gaſpare Epiſcopo Card. Carpineo prædictæ Congregationis Præfecto ægrotante, univerſo Cardinalium Collegio in Conſiſtorio ſecreto die 20. Aprilis proximè præteriti

plena relatione, omnes, qui tunc aderant Cardinales unanimi voce assentiunt, quòd ad solennem B. Pii Canonizationem deveniendum sit.

nuncupato præfatæ Congregationis Præfecto tunc ægrotante, totius summâ Processus in Consistorio Nostro secreto die 20. Aprilis proximè præteriti habito plenè relatâ; reliqui omnes Cardinales, qui tunc aderant, unanimi voce dixerunt, sibi placere, quòd Nos ad solennem Beati Pii Canonizationem deveniremus.

Sequenti publico Consistorio, Marcellino Coyro Advocato Consistoriali pro eadem Canonizatione perorante, & nomine d. Ordinis supplicante, Pontifex Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos inibi præsentes hortatur, ut orationibus, jejuniis, & eleemosynis incumbant.

§. 51. Quocirca sequenti publico Consistorio, in quo dilectus Filius Marcellinus Coyrus Aulæ nostræ Consistorialis Advocatus pro eadem Canonizatione luculenter peroravit, ac nomine totius Ordinis Prædicatorum, ut ad eam procederemus, humiliter supplicavit, Nos attentâ rei gravitate, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos ibidem præsentes omni animi contentione hortati sumus, ut orationibus, jejuniis, & eleemosynis sedulò incumberent, quò divina voluntas clariùs Nobis elucesceret.

In semipublico Consistorio vocatis etiam Protonotariis Apostolicis, & Rotæ Romanæ Auditoribus, Pontifex plura de B. Pii Sanctitate, ac Miraculis commemorat; & omnes concorditer ad ejus Canonizationem deveniendum esse censent; Pontifex diem celebrandæ Canonizationis indicit, cunctos adhortans, ut in orationibus, jejuniis, & eleemosynis perseverantes Spiritus Sancti gratiam desuper impetrare studeant.

§. 52. Deinde in semipublico Consistorio, vocatis non solùm Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis prædictis, sed etiam Nostris, & Sedis Apostolicæ Notariis, Protonotariis nuncupatis, ac Palatii Nostri Apostolici Causarum Auditoribus de more præsentibus, plura à Nobis de eximiâ Beati Pii sanctitate, ac miraculis commemorata fuerunt; cùmque omnes concorditer ad ejus Canonizationem deveniendum esse, suffragiis suis apertè censuissent; Nos unanimi eorum consensu audito, aperuimus os Nostrum in Benedictionibus, ac Dei nutum, & voluntatem secuti, justum, & debitum esse censentes, ut quos Deus honorat in Cœlis, Nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in Terris, diem celebrandæ Canonizationis indiximus, cunctos adhortati, ut in Orationibus, jejuniis, & eleemosynis perseverantes, Spiritus Sancti gratiam Nostræ humilitati in tam alto negocio impetrare studerent.

Die Dominico Sanctissimæ Trinitatis festo servatis servandis B. Pium Sanctum esse pronunciat, & definit, ac Sanctorum Catalogo adscribit.

§. 53. Demum peractis omnibus, quæ ex Sanctorum Patrum authoritate, Canonicis Sanctionibus, S. R. E. antiquâ consuetudine, ac Novorum Decretorum præscripto agenda, & observanda erant, hodie, hoc est Festo Sanctissimæ Trinitatis, in Sacrosanctâ Beati Petri Apostolorum Principis Basilicâ, in quâ solenni ritu cum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis supradictis, necnon dilectis Filiis Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus Nostris, Clero Seculari, & Regulari, ac maximâ populi frequentiâ mane convenimus; post repetitas à Dilecto Filio Nostro Annibale S. R. E. Diacono Cardinali Albano nuncupato, Nostro secundùm carnem ex fratre germano nepote, per Marcellinum Advocatum prædictas instantias illas, quæ dudum Sedi Apostolicæ à Catholicis Regibus, & Principibus pro Canonizatione hujusmodi porrectæ fuerant, Nobisque à præfato Ordine Fratrum Prædicatorum assiduè porrigebantur, post Sacros Hymnos, Litanias, aliasque preces decantatas, ac Spiritus San-

Sancti gratiam humiliter imploratam; ad honorem ejusdem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, authoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostrâ, maturâ deliberatione præhabitâ, & Divinâ ope sæpius imploratâ, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatum Pium V. Sanctum esse decrevimus, & definivimus, ac Sanctorum Catalogo adscripsimus, prout tenore præsentium similiter decernimus, definimus, & adscribimus; statuentes ab Ecclesiâ universali illius memoriam quolibet anno die V. Maji inter Sanctos Confessores Pontifices piâ devotione recoli debere: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

§. 54. Parique authoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis dictâ die V. Maji ad Sepulcrum, in quo ejus Corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus in formâ Ecclesiæ consuetâ.

Canonizationi Adstantibus plenariam peccatorum remissionem concedit.

§. 55. His peractis, Deum Patrem Ingenitum, Regemque Gloriæ Christum Dominum, Patris Filium Unigenitum, ac Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confessionibus venerari, Sacroque Hymno *Te Deum* magnâ cum animi Nostri exultatione decantato, Patri misericordiarum, & Deo totius consolationis gratias agere non cessavimus, quod Sanctissimum hunc Prædecessorem Nostrum in conspectu omnium gentium honorificaverit, eumque Nobis dederit in hac tribulationum Nostrarum nocte, tamquàm Solem fulgentem in Templo suo, ut qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, in tempore iracundiæ fieret reconciliatio. Missam deinde ad Altare Sancti Petri Apostoli ejusdem Basilicæ solenniter de more celebravimus, omnibusque Christifidelibus ibidem præsentibus, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam concessimus.

Hujus Bullæ transumptis fidem adhiberi mandat.

§. 56. Cæterum, quia difficile foret, præsentes ad singula loca, ubi opus esset, deferri: volumus, ut earum exemplis etiam impressis manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si exhibitæ essent, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 57. Nulli ergo omnino Hominum liceat, hanc paginam Nostrorum Definitionis, Decreti, Adscriptionis, Mandati, Statuti, Relaxationis, Concessionis, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac eorundem Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

rum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo duodecimo, Undecimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

SCTVS PETRVS SCTVS PAVLVS
CLE MENS PP XI.
MEUM PRODEAT ✠ DE VULTU TVO JUDICIUM

†
†
†
†
†
†
† G. Card. Marescottus.
† F. Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Astallius.
†
†
†
†
†
†
†
† Joseph Tit. S. Mariæ Transpontinæ Presbyter Card. Sacripantes.
†
† F. Tit. SS. Jo: & Pauli Presbyter Card. Paulutius Major Pœnitent.
†
†
†
†
†

✠ Lau-

✝ Laurentius Tit. S. Susannæ Presbyter Card. Corsinus.
✝
✝ Franciscus Tit. S. Cæciliæ Presbyter Card. de Acquaviva.
✝
✝
✝ Philippus Tit. S. Chrysogoni Presbyter Card. Gualterius.
✝ I. Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyter Card. Vallemanus.
✝
✝
✝
✝
✝ C. A. Tit. S. Augustini Presbyter Card. Fabronus.
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝ Jo: Baptista è Soc. Jesu Presbyter Card. Ptolomæus.
✝
✝
✝ B. S. Mariæ in Viâ latâ Diaconus Cardinalis Pamphilius.
✝ Petrus S. Laurentii in Damaso Card. Otthobonus.
✝
✝ I. R. Diaconus S. Georgii in Velabro Card. Imperialis.
✝ Franciscus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Barberinus.
✝ L. S. Nicolai in Carcere Tulliano Card. de Alteriis.
✝ C. S. Mariæ de Scalâ Diaconus Card. Columna.
✝
✝ Annibal S. Eustachii Diaconus Cardinalis Albanus.

Loco ✠ Plumbi.

Joseph Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Visa de Curia pro R. P. D. Masserio L. Sergardus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

LI-

LITERÆ DECRETALES
CANONIZATIONIS
S. ANDREÆ
AVELLINI.
CLEMENS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.



Unquam profectò, Divinâ favente bonitate, contigit, excitatis ab implacabili humani Generis Hoste procellis, dirisque tempestatibus, ita mare tumescere, ac infremere, ut Apostolici Piscatoris Cymba in altum jactata, vel scopulis miserè allidat, vel in profundum naufraga demergatur: quinimo, magis magisque sævientibus fluctibus, ac ingruente Aquilonis turbine, exoriri non rarò solet amicum sidus, suoque lumine offusis undequaque tenebris dissipatis, tutum iter placidumque super instabili Elemento despumante furores suos, aperire, ac sternere.

Ecclesiæ Cymba nunquam demergetur.

§. 1. Hac sanè ducti fiduciâ, quam Nobis Divina Oracula fecerunt, tot calamitates, & acerba vulnera Christianæ Reipublicæ difficillimis hisce temporibus illata, alacri, erectoque animo ferebamus, sperantes à Deo Misericordiarum, totiusque consolationis, ut Ecclesiam suam Sponsam intactam, & immaculatam præsenti auxilio fovere, ac erigere dignaretur, illud jugiter Divinum, interque amaros lacrymarum imbres nobiscum recolentes promissum: *Portæ Inferi non prævalebunt.*

Hac fiducia Pont[ifex] ductus, Temporum procellas [su]stinet impavidus.

§. 2. Affulsit tandem expectatum, optatumque è Cœlo Jubar; nobisque licèt immerentibus, supernâ tamen dispensatione Catholicæ Ecclesiæ gubernaculo præpositis certam, firmissimamque in Domino spem excitavit, omnes Seculi fluctus, & Tenebrarum potestates aspectûs sui tranquillitate facilè sedaturum: etenim ex altâ Militantis Ecclesiæ speculâ, sublimique Fidei, & Religionis Arce ad æternam illam, beatamque Patriam Cœlestis Hierusalem, quò corporeus non fertur intuitus, effuso translati desiderio amictum præ cæteris splendoribus, & triumphalibus lætitiæ coronis circumdatum, egregium, insignemque miraculis Virum, ex inclytâ Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatâ Congregatione, ANDREAM AVELLINUM stupore afflati conspeximus; quem, sicuti, dum in humanis ageret, sanctâ, piâque conversatione Animarum saluti, & Religionis incremento enixè, feliciterque consuluit, ita ab illâ immor-

Ad illas sustinendas Beatus Andreas Avellinus è Theatinorum Congregatione præs[id]ium cœlitus datum speratur.

mortali securitatis regione nobis militantibus adfuturum hilari animo confidere incepimus .

Ut illum in Sanctorum Albo referendum Pontifex decernat, Orationes, jejunia, aliaque pia opera adhibet.

§. 3. Hunc itaque insignem Christi Confessorem non mortalibus honoribus universo Christifidelium cœtui colendum exponere, arasque, & supplicationes eidem decernere cupientes, fusis noctu dieque precibus, in jejuniis & lacrymis orantes, intensique cordis affectu Patrem Luminum deprecantes, ut in re tam grandis momenti, & supra humanam conditionem positâ, mentem nostram cœlesti suâ Luce perfundere, ac instruere dignaretur. Tandem infirmitati nostræ suffragantibus universæ Ecclesiæ orationibus, piisque operibus ad id sedulò adhibitis, visum est Spiritui Sancto, qui in Nobis Divinâ miseratione operatur & loquitur, Lucernam ardentem super Ecclesiæ Candelabro Andream Avellinum extollere, ut illum in Albo Sanctorum solenni ritu translatum Christianus Orbis exoret, tantisque ingruentibus calamitatibus tutelam, validumque præsidium se habere apud Deum intelligat, & deprecari assuescat nuncupatione votorum.

Illius Canonizationem sibi reservatam, & decernendam esse gaudet.

§. 4. Gaudemus profectò, sanctâque in Domino exultatione replemur, infirma, luteaque vasa deferentibus, & adversùs secularia desideria, mundique procellas assiduè luctantibus optatam è Cœlo tandem illuxisse Cynosuram, quæ, lumine nunquam defuturo, securos beatæ Sion portus, & exemptam ab omni ærumnarum, fluxæque vitæ periculis quietem in sinu æternitatis demonstret. Gaudemus generosum Christi Athletam Mundo exutum, soloque Deo armatum è castris ac tentoriis Religiosæ Theatinorum Familiæ in arenam prodiisse, bonumque certamen certasse; quem quidem Sanctitatis odorem longè latèque exhalantem, probatumque heroicæ Virtutis documentis Gloriæ coronâ donandum provida Æternæ Mentis consilia nostris temporibus reservarent. Gaudemus demum, ita postulantibus meritis, & Miraculis quibus inclaruit, cœlestes in Terris Sanctorum honores illi decernere, qui mirâ humilitate contempsit humanos. Audite ergo Populi Israël, & laudate Dominum in Atrio Sancto ejus.

Beati Andreæ Ortus, Adolescentia, Studia, & Castitas, pro qua servanda impudicos mulierum, & præsertim ejus Nutricis impetus repulit.

§. 5. Andreas itaque in sortem Domini usque ab ineunte ætate vocatus, apud Castrum Novo, in Regno Neapolitano, Lucanæque Provinciæ Oppidum Anno MDXXI. à Joanne Avellino, & Margaritâ Apellâ Conjugibus, optimisque Parentibus suæ mortalitatis exordium suscepit, atque inibi Christianis moribus, & primis Grammaticæ rudimentis ab ejus Patruo ejusdem loci Archipresbytero imbutus, sublimiores scientias alibi assequuturus, paternâ è Domo se abdicavit: scientiis hujusmodi assequendis, nunquam illarum initium, quod Dei timor est, in oculis habere prætermisit; tantique principii assiduo, ferventique cultu universam, quam pertransivit studiorum semitam illustravit, & pubescentem ætatis suæ florem futuris Seculis consecravit; ac ita piissimus

adolescens lubrica voluptatum irritamenta invicto pede calcavit, ut perfectæ ætatis gradum præcoci virtute transcenderit; nam sæpe ab impudico mulierum æstu, & præsertim ab effrænâ ejus nutricis licentiâ, quæ honestissimi nominis pudorem meretricio dedecore violaverat, impetitus, generosâ fugâ victor evasit.

Clericali charactere insignitus in patria, & in vicinis oppidis pueros Fidei rudimentis imbuit, spirituali incolarum profectui incumbit, ac Neapolim Juri Civili operam daturus concedit.

§. 6. Patriæ se reddens, Divino Spiritu ductus Clericali Militiæ nomen dedit, & Christi Tyrunculus, in ejus studio non seculi, sed Cœli lucra quæsivit; quippe in Patriâ commorans, & per vicina Oppida excurrens, Pueros ad Christianæ Fidei præcepta discenda, amplectendaque, & illarum Regionum Incolas ad pia monita exequenda, non sine ingenti animarum quæstu, cœpit à seculi somno excitare: Verùm quia legibus nondum vacaverat, ejusque parens, spe futurorum erecta, filium à se divelli ægre minùs ferebat; Andreas, materno acquiescens consilio, Neapolim Juri Civili operam daturus concessit.

Juris peritus, ac Sacerdos effectus, Causarum in Foro Ecclesiastico, juxta Sacros Canones suscipit patrocinium, à quo Joannis Marinonii Clerici præfatæ Congregationis, probatæ virtutis Viri, ipsiusque Confessarii consilio se avertit, ac uni Deo, animarumque directioni vacat.

§. 7. Hîc itaque Juris utriusque peritiam adeptus, reliqua Literarum ornamenta novâ jurisprudentiæ accessione cumulavit; & ad Sacerdotalem Dignitatem evectus, & in eâ constitutus, Causas in Foro Ecclesiastico pro quibusdam personis privatis dumtaxat, juxta Sacrorum Canonum præscriptum, tuendas suscepit: donec à Joanne Marinonio Clerico præfatæ Congregationis, viro probatæ virtutis, & quem ille sibi conscientiæ ducem elegerat, sanctè callidior factus, ab hujusmodi procuratione se avertit; & nihil doctius, nihilque ditius arbitratus, quàm uni Deo vacare, æternoque Animarum quæstui incumbere, à lubrico cujuscumque humanæ spei fastigio descendens, Divinæ Sapientiæ quadrigam ascendit, ac, velut Auriga Christi, ad perennis Beatitudinis metam concitatus se convertit.

Ob suam in Ecclesiastica Disciplina præstantiam, ab Archiepiscopo Neapolitano ad dirigendas nonnullas Moniales, quæ à regulari observantia aberraverant, Vicarius deputatur; Munus hujusmodi, præviis Orationibus, suique Confessarii Consilio aggreditur, ac illud laudabiliter exercens, jussu cujusdam nefarii Viri, cui ad unam ex Monialibus præfatis accessum interdixerat, nonnullis lethalibus vulneribus in facie læditur, quorum causa sibi mortem instare ratus, ad Cœnobium Sancti Pauli, sanctiorem inibi obiturus mortem, se transferri curat: Verùm Dei ope ab [illegible] vulneribus convalescit, nullo penè cicatricis superstite vestigio.

§. 8. Quapropter rectius iter aggressus, ita probis Neapolitanæ Urbis Ecclesiasticis piè vivendi more antecelluit, ut ab ejusdem Civitatis Archiepiscopo ejus Vicarius ad revocandas nonnullas cujusdam Monasterii Sanctimoniales, quæ à recto Regularis Observantiæ tramite aberraverant, deputatus fuerit. Ille verò, porrectis priùs ferventissimis Deo precibus, exploratoque Conscientiæ suæ moderatoris consilio, munus hoc arduum suscepit, illudque ita, Deo ejus votis, & laboribus annuente, feliciter absolvit, ut Virgines illæ, quæ procul ab immortali eorum Sponso dormitaverant, validis Andreæ clamoribus Sponsum advenientem nunciantis, excussæ surrexerint; ornatisque novo reformationis zelo Lampadibus suis, quæ circumfusis Inobservantiæ tenebris jamjam defecerant, recenti lumine pulchriores cum illo intraverint ad Nuptias. Una tamen ex eis diuturno cujusdam profani Viri commercio detinebatur: Sed Andreas hoc vetus, & arctissimum Satanæ vinculum forti brachio conterere aggressus est,

facto

facto utrique interdicto, Viro ſcilicet, nè ad Monaſterium; Moniali verò, nè ad crates eum alloquendi gratiâ accederent. Tantus hominis illius nequam exarſit in hominem Dei furor, ut ſicarios, qui Andream, ſicubi inveniſſent, perderent, quater immiſerit. Horum primò nefarios deluſit impetus non eis bene nota venerandi viri facies. Secundò loci Sanctitas eos deterruit; nam flexis genibus orantem in Templo Andream invenerunt. Tertiò impium facinus aggreſſi, leve in ejus facie vulnus inflixerunt. Quartò demum geminâ in vultu plagâ pariter illatâ, peſſimè habitum reliquerunt: nam alterum ex vulneribus profundiùs adactum, diſſectâ inſigniori Arteriâ, aut proximam ei mortem allaturum, aut, ſi Medicas unquam manus admiſiſſet, maximum perpetuumque deformitatis veſtigium ejus in vultu relicturum exiſtimabatur. Ipſe quidem ore impavido vulnera ſuſtinuit; & felix cruor ille, qui pro gloriâ Dei ex vulneribus, velut è gemino charitatis fonte in æternitatis coronam ſaliebat, non doloris gemitus, non vulnerantium contumeliam, ſed vulnerati conſtantiam, Divinaſque laudes generosè murmurabat. Ut autem per levamen, & auxilium in Terris ſibi præpararet triumphum, quem tunc proximè ſe aſſecuturum ſperabat in Cœlis, ad Cœnobium Sancti Pauli Theatinorum dictæ Civitatis ſe protinus afferri propoſuit; ut ibi à præfato Joanne Marinonio idem Cœnobium tunc gubernante, qui eum ad curſum animavit, ad coronam quoque Martyrum pompâ redimitùs adduceretur. Verumtamen, Deo ſic diſponente, ad majora ſibi differtur triumphus; & nè vulnerum imago triumphi merita repoſceret, ita convaluit, ut nullum cicatricis veſtigium, niſi de proximo, & diligentiùs intuenti, apparuerit.

Percuſſoribus à ſe data, & petita apud Pro-Regem venia [quemadmodum pro cujuſdam ſui Nepotis interfectore aliàs egerat) Congregationem Theatinorum ingreditur.

§. 9. Decumbentis itaque Andreæ virtus juxta Patrum Theatinorum virtutem poſita, illorumque ſuavibus, ac piis ſermonibus inflammata, poſtquam Percuſſoribus ſuis hilari animo ignoverat, & tunc exiſtentem Pro-Regem, etiam adhibita amicorum operâ pro reis rogaverat, quod grande hujus Chriſtianæ manſuetudinis exemplum erga cujuſdam ejus Nepotis interfectorem etiam mirificè jam antea exhibuerat, divinis ſuccenſa flammis, eorumdem Patrum Virtuti, quorum laudabilem vivendi rationem, & ſuis conſonam deſideriis probaverat, perpetuò conſors efficitur; & per mutuum utriuſque virtutis conſortium gemmeus ille componitur meritorum nexus, quo Andreæ nomen Congregationi, & Congregatio Andreæ nomini addicta perpetuum, & commendabilem ſibi invicem mutuantur in Domino decorem.

In Tyrocinio præfatum Joannem Marinonium ſortitus Magiſtrum, cæteros Tyrones ſuarum virtutum erudit exemplo: Humilitati verò, Charitatique ita ſtudet, ut cuidam infirmo continua phreneſi laboranti juſſus aſſiſtere, ab Officiis contemptibilibus, & nauſeam moventibus minimè abhorret, ac ab ægro

§. 10. Anno igitur Domini MDLVI. ætatis ſuæ XXXV. Clericis Regularibus præfatis adſcriptus, ſortituſque in ejus Regulari Tyrocinio Præceptorem illum, quem in Seculo providum ejus conſcientiæ ſibi moderatorem elegerat, præfatum nempe Joannem Marinonium, quo Duce præcipua Religioſæ vitæ præcepta celeri pede diſcurrens, cæteros in ſe eru-

vi morbi acriùs agitato se pugnis, colaphisque plecti placidè patitur, nec pietatis officium antea etiam per biennium post emissam professionem dimittit, quam æger è vita discedat.

erudivit, normâque ejus Tyrocinii immensum habuit consummatæ virtutis exemplum. Nihil habuit humilitate præstantius, nihilque amabilius; hac enim virtutum omnium custode in exercendis vilioribus ministeriis ita hominibus, Deoque gratum, ac satis superque, juxta laudabilia Regularium instituta, probatum se exhibuit, ut jussus operam suam cuidam seni infirmo continuâ, ob morbi violentiam, Phrenesi laboranti impendere, illam ab officiis contemptibilibus, & nauseam moventibus minimè abhorrens, sedulò, summoque charitatis affectu exhibuerit: Quin, vi morbi ægrum aliquando acriùs agitante, pugnis colaphisque Andreas plectebatur: at ille furentes ictus amabili prosequebatur amplexu; & quo sævior dementis furor, eò ardentiùs Andreæ Charitas æstuabat, nec antea etiam per biennium post emissam Professionem tantæ pietatis officium dimisit, quàm Æger è vitâ discesserit.

Professione emissa ad Urbem Loca Sacra veneraturus accedit.

§. 11. Peracto regularis probationis curriculo, gloriosis Dei Militis præcinctus insigniis, Romam Superiorum permissu loca sacra veneraturus accessit; ibique Martyrum Sepulchra uberibus lacrymis detergens, nova sibi procurabat incendia Charitatis; adeout pretiosæ illæ nostræ mortalitatis exuviæ, dum fervida sentiunt amoris suspiria, lætæ exultaverint in Domino, vitalique spiritu frigidi cineres propemodum afflati in amplexum Sanctissimi Viri exilire viderentur. Quapropter ipse tantæ exultationis gloriam debitâ pensans meditatione; sanctæque æmulationis impetu permotus, spiritum vitamque suam, ni sanguine, lacrymis saltem in Orthodoxæ Fidei obsequium jugiter adeò profundebat, ut uberes fletus prope Martyrum cineres defluentes dulcem concupitæ Passionis dolorem avido cordi resonarent, mentemque fallerent errore gratissimo.

Dies quinque & triginta Romæ moratus, Neapolim redit, ubi Præfecturæ adscitur Tyronum, quos ad Orationis præsertim studium excitat.

§. 12. Diebus quinque supra triginta in Urbe moratus, Neapolim rediit; ubi Tyronum Præfecturæ adscitus, summum cujuslibet Religiosæ rei bonum è rectâ Tyronum educatione originem trahere prudenti consilio existimans, ita in id negocii sedulò incubuit, ut prima Sanctarum Virtutum lineamenta, quæ in Magistro elucebant, in novitiorum animis perfectè duxerit, eosque præsertim ad Orationis studium excitavit: Animarum enim cibum Orationem esse afferebat; & Religiosum illum, qui ab hujusmodi consuetudine se arcebat, non solidam, sed hebetem veræ pietatis substantiam animæ suæ præbere, religionisque convivio indignum esse putabat.

Nicolaum Zecchium insignem Literarum Doctorem, Legumque interpretem prope sexagenarium in Clericorum Regularium Ordinem admissum, mundanæ Doctrinæ fastu per eum nondùm penitùs abdicato, ad humilitatem omninò amplectendam adducit.

§. 13. Quamplures extant celebres hujusmodi institutionum memoriæ, quibus formati Tyrones, depositâ pravi gustûs titillatione, ad salubres Æternitatis escas suam acuerunt cupiditatem. Inter hos Nicolaus Zecchius insignis humanarum Literarum Doctor, Legumque Interpres, qui prope sexagenarius in præfatorum Clericorum Regularium Ordinem admissus, depositâ Fori Togâ, nondùm totum illud mun-

mundani tumoris, qui à Seculi Doctrinâ, illiusque plaudente clamore exurgere, animoque inhærere solet, deposuisse videbatur. Andreas providè animadvertens, quòd Regularis Tunica, quam Nicolaus sumpserat, rerum humanarum contemptum plenè non probabat, quòdque habitus difformi sermoni repugnabat; perfectæ humilitatis disciplinam ita Nicolao amplectendam proposuit, ut totus se illius studio committens, non ampliùs elatè sapere visus fuerit, sed de Mundo viliter, de se humillimè sentiens, sublimem virtutum omnium Lauream, Humilitate Magistrâ, assequi contenderit.

Domus Sancti Pauli Præpositus eligitur.

§. 14. Theatina Familia tanto prudentiæ lumine illustrata, de abscondito Tyrocinii angulo ad universæ suæ Domûs Sancti Pauli per eum gubernandæ regimen, lumen illud evexit, ut per ejus virtutis operam non solùm oriens, verum etiam adulta Regularis ætas in præfatâ Domo degens uberes afferret Altissimo fructus. Andreas itaque Præpositi munere decoratus, veluti lucerna supra candelabrum posita, suos undique effundebat radios, quibus vigilantia, oratio, sanctarum rerum solicitudo, concordia, rituum observantia, & silentium non otiosæ noctis quietem, sed in noctis etiam quiete operosi diei lucem sentiebant, & quos vigil præsul vigiles cernebat laborare, sui præsentiâ fovebat exempli; Pigros verò, & dormitantes censuræ premebat acumine.

Ad ministrandum Pœnitentiæ Sacramentum Superiorum auctoritate designatur, & pro hujusmodi ministerio assiduè exequendo, aspera cuncta, præsertim verò dolorem, ob dilapsa sibi in scrotum intestina, constantissimè sustinet.

§. 15. Hoc autem charitatis jubar, quod suis Domi, alienæ quoque effundebat utilitati: Ad ministrandum enim Pœnitentiæ Sacramentum Superiorum auctoritate designatus, non Tyrocinii, non Magisterii, non Præfecturæ solicitudines illum unquam detinuerunt, quin Confessarii munus ipsum fideliter, patienterque exequeretur. His postmodum expeditus curis totum se piissimo labori alacer mancipavit; & vigilantissimus æternæ Animarum salutis opifex, divinique amoris propagator aspera cuncta in hujusmodi Officio obeundo constanti animo sustinuit. Non personarum conditio, non incommoda, non itinerum difficultates, non hyemis rigor, non æstivi cœli fervor, non pluviæ noctes, non locorum pericula, nec demum humana quæque mundi dictamina, Andreæ extinguere potuerunt charitatem; imò, irruente aliquo ex impedimentis hujusmodi, magis magisque acuebantur charitatis flammæ, & Pœnitentibus majorem rutilabant in lucem; ac ita spirituali omnium utilitati, & necessitati expositus nullum sibi tempus certum esse voluit, in quo suæ quoque consuleret valetudini: Nam dilapsis sibi in scrotum intestinis, dolor ipse incredibilis, quo aliquando torquebatur, non ei impedimento fuit, quin leni vultu, paternoque amore ad se venientes exciperet, omnibus ad omnia factus, ut animas Christo lucrifaceret; quapropter totius Civitatis Neapolitanæ animarum moderator, & Magister nuncupari promeruit.

§. 16.

Ut Discipuli novum in Magistro Christianæ Disciplinæ discant Rudimentum, propriæ voluntati se nunquam obtemperaturum, ac novum in diem perfectionis gradum ascensurum jurejurando spondet: quod constanter, perfectèque adimplet.

§. 16. Huic itaque intentus lucro animas, quas cæcus Mundi furor perdiderat, ad cœlestem revocavit lucem; quas verò Dei lumen irradiabat, ut tutiores in viam Domini dirigerent gressus, & de virtute in virtutem perfectiùs ascenderent, per solidam, quâ præditus erat, spirituum discretionem certo tramite deducebat; & ut Discipuli in Magistro dignum semperque novum addiscerent Christianæ disciplinæ rudimentum, propriæ voluntati se nunquam obtemperaturum, nullamque diem sinè novo perfectionis calculo se numeraturum, sacro jurejurando spopondit, ac tam grande Sacramentum ad exempli virtutem, ad Discipulorum institutionem, ad laudem Deique gloriam, cui soli omnia dirigebat, constanter, perfectèque adimplevit.

Inter nonnullos Clericos Congregationis ad instituendam novam illorum Domum Mediolani, Beato Carolo id exoptante, deputatus mittitur; & Beatus Carolus, comperta illius Virtute, in arduis quibusque suæ Diœcesis negociis illius non semel utitur consilio.

§. 17. Bonus tantarum virtutum odor, qui ex Andreæ operibus erumpebat, undique jam totam Divi Pauli domum, universamque Urbem Neapolitanam, & proximas illi Regiones repleverat; cùm B. Carolus Borromæus Ecclesiæ Mediolanensis tunc Antistes, qui aliàs, & tempore Pontificatûs fel. rec. Pii IV. Prædecessoris nostri Romæ degens, usu compererat quàm uberes in Vineâ Domini Congregatio præfatorum Clericorum rectâ vivendi, bonique exempli ratione fructus afferret; ut Mediolani ejusdem Congregationis Domus institueretur avidè exoptavit in Domino: Quapropter præfatæ Congregationis Comitiis generalibus Anno Domini MDLXX. celebratis, ad tam pium Beati Caroli votum explendum nonnulli ex Clericis præfatis, inter quos Andreas Vicarii titulo insignitus, mittuntur; summâque humanitate, ac veneratione excipiuntur à Mediolanensibus. Tum Beatus Carolus Andreæ Virtutibus æquâ lance pensatis, illarumque pondere comperto, non audiendis dumtaxat Confessionibus, cæterisque hujusmodi piis exercitationibus Andream addixit; verùm etiam in arduis quibusque amplissimæ Diœcesis negociis illius non semel usus fuit consilio, a cujus nitore lux illa in hujusmodi negociis oriebatur, quæ Dei gloriam rutilabat.

Post præfatam Domum fundatam, nondum elapso anno, Placentiam, ibi alteram Domum excitaturus, petit; à Paulo de Aretio olìm ejusdem Congregationis Clerico, in Tyrocinio Socio, & tunc Placentino Episcopo benignè excipitur, plura Pietatis Opera exequitur, per quæ præcipuè nonnullæ impudicæ Mulieres ad Deum convertuntur, & ex eis duodecim intra septa cujusdam Domus, Beatæ Mariæ Magdalenæ postmodum nuncupatæ, se Deo dicant.

§. 18. Nondum maturaverat annus quo Congregatio præfata Mediolani primam fixerat sedem, cùm Andreas, ægrè id nimis ferente Beato Carolo, jussus Placentiam, inibi novam Congregationis præfatæ Domum excitaturus, petiit. Placentinæ Ecclesiæ tunc præerat Paulus de Aretio ejusdem Congregationis olim Professus, & Andreæ in tyrocinio socius, qui postea Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium cœtui adscriptus, & Neapolitanæ Ecclesiæ Præfectus fuit, ac tandem eâ sanctitatis famâ obiit, ut ejus Beatificationis Causa apud Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositam agi cœperit. Hic ergò piissimus Præsul, quos olim in sui Professione habuit Fratres, hos in Pastorali sui Gregis curâ voluit Coadjutores. Placentiæ itaque benignè

gnè adamanterque à Paulo Andreas excipitur, pietaſque pietatem amplectitur & oſculatur; Quidquid autem Andreæ virtus Pauli ſocii unita virtuti in adminiſtrandis inibi Sacramentis, procurandâque animarum ſalute peregerit, opera ipſa teſtantur. Unum tamen præ cæteris loquatur flagrantiſſimæ charitatis monumentum, quo mulieres infixæ in profundo libidinis cœno feliciter emerſæ demonſtrantur. Ex harum numero duodecim, Epiſcopo opem dante, intrà ſepta cujuſdam Domûs, Beatæ Mariæ Magdalenæ poſtmodùm nuncupatæ, veluti intrà hortum concluſum primas Pœnitentiæ Plantas tranſtulit: Has ubi ingenioſus Agri Dominici cultor Divino inſeruit amori, tanta germinavit ex eis bonarum frugum ubertas, aliorumque beata Palmitum propago, ut domus illa ſudore aſſiduo, & laborioſâ Agricolæ ſolicitudine exculta Paradiſi viretum cœli rore fœcundatum ipſis Angelorum oculis videretur.

Plasentinæ Diœceſis Clerum pravis moribus tunc corruptum Paulo Epiſcopo reformari cupiente, pluribus piis Viris ad id adlaborantibus Dux datus, opus hujuſmodi perficit.

§. 19. Non abſimiles laboris ſui fructus collegit in reformando Placentinæ Diœceſis Clero, quem creſcentes quorundam vitiorum, & corruptorum morum vepres ſuffocabant. Paulus Epiſcopus præfatus vi Decretorum Concilii Tridentini pernicioſos hujuſmodi ſentes evellere cupiens, Beati Andreæ operâ, opportuno ſatis conſilio, uti ſtatuit. Andreas ergo, Dux cæteris viris huic operi piè adlaborantibus datus, opus illud difficillimum uſque ad extremum perfecit; evulſiſque altè defixis vitiorum radicibus, Clero præfato bonæ terræ nomen dedit, bonoque reformationis ſemine in eam deinde projecto, multiplex exoriens, fœcundaque virtutum meſſis ſpem Agricolæ quamvis avidam non fefellit.

Viſitator Provinciæ Inſubriæ, ac deinde Præpoſitus in nova Mediolani Domo deſignatur; & dum à Beato Carolo eleemoſynas pro præfatæ Domus alendâ Familiâ quolibet menſe percipit, retenta ea tantùm portione ad id neceſſaria, reliquum Beato Carolo remittit. Ad Romanas poſtmodum, ac Neapolitanas Provincias, illas viſitaturus, accedit.

§. 20. Interea ad propria ſuæ Congregationis incrementa totius Inſubriæ Provinciæ Viſitator deſignatus fuit, & deinde Mediolanum, ut in novâ Domo Præpoſiti munere fungeretur, delegatus, nova exhibuit Sancto Carolo ſuæ probitatis exempla. Illud equidem præcipuum, quòd ex eleemoſynis à liberali ejuſdem Sancti Caroli manu quolibet menſe ſibi donatis, Andreas, illâ tantum portione retentâ quæ ad alendam ejuſdem Domûs Familiam ſatis erat, reliquum, verè Sancti Cajetani filius, remittebat donanti, qui donum à ſe miſſum pulchrâ virtutis uſurâ adauctum ad ſe reverti mirabatur. Ad Romanam poſtmodum, ac Neapolitanam Provincias viſitaturus acceſſit, & in eis perluſtrandis maximas Ordini ſuo utilitates indefeſſo labore procuravit.

Invitus iterum Sancti Pauli Domui regendæ præficitur; deficiente Neapoli Annona, ad ſedandam Populi ſeditionem quidquid frumenti in domeſtico Horreo ſervatur, Pauperibus diſtribuit, ſolennes ad avertendam Cœli iram Preces indicit; & ejus verbo & exemplo Populi tumultus ſedatur.

§. 21. Demum, etſi ab omni Præeminentiæ gradu abhorreret, invitus ad iterum præfati Sancti Pauli Domum regendam, Deo ſic diſponente, expetitus fuit, ut inſignis ejus virtus illuc rurſus elata cœleſte lumen copioſiùs effunderet: Eâ quippe tempeſtate, deficiente Neapoli Annonâ, populoſa illa Civitas ſeditiosè ferebatur in Principem. Andreas jejunis ventribus, animiſque clamantibus providè occurrit; nam quid-

quidquid frumenti in domeſtico horreo ſervabatur Pauperibus diſtribuit, ſolenneſque ad avertendam cœli iram ſupplicationes indixit; quapropter illius verbo & exemplo quamplurimi ad pœnitentiam revocati à ſeditioſorum turbâ ſe ſubtraxerunt, factaque eſt Populo illi æſtuanti tranquillitas magna.

Prophetiæ lumine illuſtratus, etiam occulta humani cordis aliquando cognoſcit.

§. 22. Tot itaque meritorum radiis coram Deo elucebat, & Hominibus; ac præfatis duobus emanatis ab eo votis conſtanter incumbens, mortificationemque Jeſu Chriſti in corpore ſuo circumferens, propriæ ſemper ita obſtitit voluntati, ut divinæ gratiæ roboratus præſidio, novum de die in diem perfectionis gradum contenderet, & aſperrimis ſui corporis afflictationibus, pœnitentiæ victimam ſanctæ mortificationis gladio mactatam ſeſe offerret Deo, qui hujus Hoſtiæ odoratus odorem ſuavitatis, quamplura Chariſmatum Dona fideli, bonoque Servo ſuo ad illuſtrandas ejus virtutes largiri dignatus eſt. Emicuit inter ea divinitus collatum, ac penè ſibi familiare Prophetiæ lumen, quo quidem illuſtratus, futura, & abſentia, quaſi præſentia ſæpe vidit, occultaque humani cordis aliquando cognovit.

Anno 88. ſuæ ætatis primo mane, dum Sacrum agere incipit, Apoplexia corripitur.

§. 23. Verùm octavum jam ſupra octogeſimum ſuæ ætatis annum, qui erat noſtræ reparationis MDCVIII., attingens Beatus Andreas, primo mane è ſtrato ſurgens, ac ſacellum ingreſſus, & ſacerdotalibus de more ornamentis indutus, ad aram Miſſæ ſacrificium celebraturus acceſſit: Ubi verò rem Divinam agere cœpit, ad illa verba, *Introibo ad Altare Dei*, ita repentè Apoplexiâ percuſſus fuit, ut niſi Miniſter Sacrificio inſerviens jam jam labantem ſuppoſitâ manu ſuſtentaſſet, in terram corruiſſet, ſi corruere utique poterat fortis ille ſenex, quem ſenectus Chriſto occupaverat ſervientem, & quem extrema dies Salvatori invenerat militantem.

Ad Ædem Templo proximam adductus, vi morbi loquendi uſu deſtitutus, nutibus ut ad Aram majorem perduceretur oſtendit deſiderium.

§. 24. Adfuere protinus Adſtantes; tum Patres, hac de re moniti, ſupervenientes illum in Ædem Templo proximam adduxerunt, & ſacris exuerunt veſtibus: Plura ſubinde, ſed fruſtra, adhibita fuerunt medicamina: nam violenta morbi rabies omnem ei loquendi uſum abſtulerat, illæſâ tamen in totum diſcernendi facultate, quod per data ab eo ſigna planè compertum fuit, motibus nempe quibuſdam, ac nutibus ut ad aram majorem perduceretur ardens oſtendit deſiderium; ut ſtans coram illâ, & in eâ conſumptâ Deo universâ mortificati ſui corporis hoſtiâ, extremus qui ſupererat, & morituro tunc in pectore vitæ ignis tepebat, quemadmodum vivens exarſerat, Divino quoque moriens extingueretur Amori.

Superiore interrogante an id, ad ſuſcipiendam inibi Euchariſtiam, expeteret, iteratis nutibus, à quibus non deſiſtit, niſi prius Superior ei ſe ſatisfacturum ſpopondiſſet; cui tamen poſtmodum vis morbi, ac Superioris obſtitere præceptum.

§. 25. Cùm verò Superior, an ſuſcipiendæ Euchariſtiæ gratiâ id expeteret, iterrogaſſet, annuit ille iterato capitis flexu; nec à nutibus deſiſtere & quieſcere viſus, niſi cùm hoc de negocio ſe idem Superior illi ſatisfacturum ſpopondiſſet, poſtquam ſcilicet, quod erat tunc opportunius, in cubiculum ægrotans aſportatus fuiſſet: Eò perductus, ac lectulo ſtratus, Me-

Medicis qui jam advenerant nullam salutis spem dantibus, sed intrà paucas horas Ægrum moriturum pronunciantibus, Sanctissimo Viatico, extremâque deinde Unctione munitus fuit: In tantâ verò spirituum perturbatione, singulari Dei beneficio, ita mente semper liberâ permansit, ut viso à longè in Sacerdotis manibus Divino Sacramento, editis haud vulgaribus Pietatis, & Devotionis indiciis, è lecto surgere, quantum per vires licuerat, conatus fuerit, non nisi humi stratus Dominum Gloriæ in sui corporis hospitium suscepturus; quibus & morbi adversarius impetus, & Superioris obstitere præceptum.

Susceptis Ecclesiæ Sacramentis, ac superato in certamine, quod sibi prædixerat, humani generis Hoste, triumphator ad Cœlum evolat.

§. 26. Itaque susceptis Ecclesiæ Sacramentis, per aliquot horas aliquatenus conquiescens, tum ex Religiosis Viris, tum ex Sæcularibus in ejus cubiculum introeuntibus, atque ab eo benedictionem postulantibus, singulos ille penitus agnovisse indicans, singulorum Vota paternæ benedictionis munere dignatus est. Extremo demum ingruente Agone, non semel equidem validissimum cum humani Generis Hoste certamen in illâ novissimâ vitæ suæ Arenâ se initurum ipse prædixerat; proptereaque omnes orationi instantes vellet, ut iis intercedentibus Divinæ misericordiæ auxilium, quo victor evaderet, affuturum speraret: Mox ubi qui præsentes erant Andreæ vultum, quasi inductâ trepidationis, ac mœroris nube obumbratum viderunt, certamen ab ipso prædictum ei adesse rati, ferventissimas pro eo preces ad Deum fundere cœperunt. Verùm Andreas, conversis iterum atque iterum firmissimo intuitu oculis ad piissimam imaginem è cubiculi pariete pendentem, consuetæ redditus tranquillitati hilaris triumphator in Cœlum ad capessendam boni certaminis, quod certaverat, coronam, & attingendam beatam consummati cursûs metam evolat.

Ejus post obitum, Sanctitatis fama, illiusque inter Beatos adscriptio, & probationum pro Canonizatione procuratio.

§. 27. Post ejus in Domino obdormitionem longè latèque diffusa est sanctitatis suæ fama: Quapropter Anno MDCVIII. defunctus, Anno verò MDCXXV. à fel. record. Urbano PP. VIII. Prædecessore nostro inter Beatos solenni Ritu adscriptus fuit: Et quia nondum Apostolicæ prodierant Constitutiones, quibus cavetur ne hujusmodi Beatificationis Servorum Dei quorumcumque, ac Canonizationis Causæ, nisi post lapsum ab illorum obitu annum quinquagesimum, tractarentur, hoc solùm interea permisso, ut scilicet, & virtutùm, & Miraculorum probationes procurare, ac conficere liceret, ne per longa temporis hujusmodi intervalla certiora, & illustriora sanctitatis monumenta penitus interciderent: Idcirco nonnulli post Beati Andreæ decessum ordinariâ primùm, & deinde Apostolicâ auctoritate instructi fuere Processus, quorum examine, secundùm consuetudinem eo tempore receptam, tribus Antiquioribus tunc existentibus Causarum Palatii Apostolici Auditoribus demandato, illi Actorum validitatem approbarunt, & Beati Andreæ virtutes he-

roicum attigisse gradum, & octo inter alia partim dum viveret, partim post mortem ab ipso patrata Miracula communem operandi modum a naturâ institutum transcendisse, præviâ discussione declararunt.

Virtutes, & Miracula in Sacra Congregatione Rituum discutiuntur, & probantur.

§. 28. Horum omnium relatio in præfatâ Rituum Congregatione exposita, unà cum eorundem Auditorum judicio discussa fuit; quâ discussione peractâ, eadem Rituum Congregatio & validos Processus, & Andreæ virtutes heroicas esse censuit; admissisque inter vera & probata Miracula septem instantaneis sanationibus, infrascriptum quoque pro miraculo habitum fuit.

Inter Miracula quoque habitum fuit, quod obscura nocte, Cœlo pluvio, & face extincta coruscans, ac non madefactus cum Sociis incesserit.

§. 29. Accidit aliquando ut Beatus Andreas domum Camilli de Curtis Neapolitanâ in Curiâ Regentis, Catharinam Caraffam morbo decumbentem visitaturus adiret, eique Christianæ Pietatis officia more suo præstaret; quibus inde perfunctus circa tertiam noctis horam, recusato quod in promptu erat Rhedæ commodo, pedes ad præfatam Sancti Pauli Domum reversurus discessit: Interim copiosus, dum iret, è cœlo indesinenter cadebat imber; nihilo tamen minus ne una quidem aquæ guttula Servi Dei, Sociique Vestes aspersit, tetigitve: imò Homines duo, qui viæ comites dati, ut accensam præferrent facem, ubi hæc imbrium, & ventorum impetu extincta fuit, Andream repentinâ luce circumfusum viderunt; quare homines ad præfatam Sancti Pauli Domum feliciter pervenerunt. Ad hæc iidem duo per longum itineris tractum, & dum Dei Servo famularentur, & dum ad suas postmodum ædes redirent, continuò maximâ circumquaque imbrium copiâ decidente, in nullâ aut corporis, aut vestimentorum parte injuriam quantumvis minimam ab aquis undique defluentibus acceperunt.

Urbanus VIII. anno 1625. illum Beatorum Fastis solenni ritu adscribit, & Patribus Theatinis Officium, Missamque de communi Confessorum non Pontificum in anniversaria die obitus concedit, idque deinde quibuscumque in eorum Ecclesia celebraturis indulget.

§. 30. Porrò quidquid à præfata Rituum Congregatione de validitate Processuum, tum de heroico virtutum gradu, ac de Miraculis judicatum idem Urbanus Prædecessor confirmavit, ejusdemque Rituum Congregationis, esse locum solenni Servi Dei Beatificationi pronunciantis, Decreto annuens, die x. Junii præfati Anni MDCCX. Andream Beatorum Fastis adscripsit, & Clericis Regularibus Theatinis præfatis, ut in ejus honorem Officium, ac Missam de Communi Confessorum non Pontificum celebrarent Anniversaria die obitûs Servi Dei quotannis concessit, ac idipsum cæteris Sacerdotibus die præfato in eorumdem Clericorum Regularium Theatinorum Ecclesiâ celebraturis indulsit.

Idem Pontifex, audita Rituum Congregatione, Neapolitanis, Capuanisque, ut in patronum, licèt nondum inter Sanctos tunc relatum, eligerent, eique ut Missam Officiumque recitarent similiter indulget; ac Patribus Theatinis, qui, ne quidquam ex illius cadavere distraheretur, statuerant, ut partem ejusdem inter Lipsana Cathedralis Ecclesiæ reponendam donarent, tribuit facultatem.

§. 31. Interea Neapolitana, nonnullæque Siciliæ Urbes Beatum Andream in Patronum, ac Protectorem sibi eligendum statuerunt: Et quia nondum ab Apostolicâ Sede, ne ii qui Beatorum dumtaxat nomine insigniti, nec inter Sanctos adhuc solenniter relati fuerunt in Urbium, Locorumque Patronos adscriberentur statutum fuerat; idem Urbanus Prædecessor, auditâ priùs hac de re præfatæ Rituum Congrega-

tio-

tionis ſententiâ, ut de Beato Andreâ tanquam de Patrono, ac Protectore apud Neapolitanos Capuanoſque, & Miſſa, Officiumque recitarentur benignè indulſit, Patribuſque Theatinis, in quorum generalibus Comitiis ſtatutum extiterat, ne quemquam vel minimâ à Beati Cadavere diſtractâ portione donatum vellent, facultatem dedit, ut Neapolitanis Civibus partem Corporis Beati Andreæ inter Lipſana Majoris Eccleſiæ Neapolitanæ reponendam dono darent.

Poſt ejuſdem Pontificis obitum Negocium Canonizationis, juxta Conſtitutiones Apoſtolicas, reaſſumitur; & adaucta in dies Sanctitatis fama, ejus nomen in Romano Martyrologio adnumeratur, propriaſque Lectiones in ſecundo Nocturno à Patribus Theatinis recitandas eadem Congregatio concedit, ac ex octo Miraculis Tertium, Quartum, & Sextum approbantur.

§. 32. Poſt autem ejuſdem Urbani Prædeceſſoris Decretorum promulgationem, factâ novæ Commiſſionis gratiâ, Negocium Canonizationis Beati Andreæ reaſſumptum fuit, & ad tenorem Apoſtolicarum deſuper editarum Conſtitutionum præfatarum, hujuſmodi Cauſam excipiendam declaratum, & adauctâ in dies Beati Andreæ famâ Sanctitatis, ejus Nomen unà cum eis, quæ in Romano Martyrologio leguntur, ritè adnumeratum Apoſtolicâ auctoritate extitit, ac Patribus Theatinis permiſſum, ut proprias de eodem Beato Andreâ Lectiones à præfatâ Rituum Congregatione, audito Fidei Promotore approbatas in ſecundo Nocturno publicè recitarent. Datis poſtea Literis Remiſſorialibus, ac Compulſorialibus, ut ea, quæ poſt Beatificationem hujuſmodi acciderant, probarentur, varii de novo diverſis in Locis conditi fuerunt Proceſſus, quorum poſtea diſcuſſa, & probata fuit validitas; & ex octo à Poſtulatoribus in Congregatione coram Nobis habitâ propoſitis Miraculis Tertium, Quartum, & Sextum plenè approbata fuerunt.

Sanitas in inſtanti reſtituta.

§. 33. Tertium autem fuit Sanitas Jacobo Giovio in inſtanti reſtituta. Hic enim attractâ, & exſiccatâ nervorum compage in dimidiâ ſuperiori corporis parte, vitale officium minimè expeditum habebat.

Altera inſtantanea curatio.

§. 34. Quartum fuit inſtantanea item curatio Joannis Baptiſtæ Corri à nimis altè capiti inflicto vulnere, ne relicto quidem vel minimo cicatricis veſtigio.

Reliqua inſtantanea ſanatio.

§. 35. Sextum denique fuit Scipionis Arlei inſtantanea pariter ſanatio: Siquidem hujus graviter contuſa frons, ac luxatæ, quæ per collum extenduntur, vertebræ illico fuerunt priſtinæ integritati reſtitutæ.

Præfata Miracula à Pontifice, poſt preces ad Deum de more porrectas die 25. Maji 1704. comprobantur.

§. 36. His itaque ordine ſuo peractis, Nos dilato per id temporis judicio noſtro, ut precibus ad Deum de more porrigendis in re tam gravi ſummè neceſſariis in anteceſſum vacaremus, poſtmodum die XXV. Maji Anni MDCCIV. præfata tria Miracula Auctoritate noſtrâ Apoſtolicâ comprobavimus.

Die 12. Maji 1707. ſolennis Canonizatio decernitur.

§. 37. Denique cùm die XVIII. Novembris præfati Anni MDCCIV. Generali Congregatione coram Nobis habitâ, propoſitoque dubio, an tutò ſolennis Beati Andreæ Canonizatio perficienda foret, affirmativè Venerabiles Fratres Noſtri, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales præfatæ Congregationis Sacris Ritibus præpoſitæ reſpondiſſent; Nos & pre-

ces ipſi fundere ſtatuimus, & ut à Chriſtifidelibus funderentur indiximus. Demum vocatis dilectis filiis Secretario præfatæ Rituum Congregationis, & Fidei Promotore die XII. Maji Anni MDCCVII., ut Beatus Andreas ſolenni ritu Sanctorum Albo adſcriberetur auctoritate noſtrâ præfatâ decrevimus.

Præmiſſis in Conſiſtorio ſecreto relatis, Cardinales, qui aderant, in Canonizationis ſententiam concedunt.

§. 38. Supererat, ut præmiſſorum relationem, & univerſam Cauſam iidem Cardinales de more accuratiſſimè recenſerent, ac pro rei gravitate recognoſcerent: id quod cùm rectè, fideliterque præſtitiſſent, idemque omnes cenſuiſſent, ac deinde dilectus filius noſter Ferdinandus, ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis de Abduâ, pro Venerabili Fratre noſtro Gaſpare Epiſcopo Sabinen. præfatæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali de Carpineo nuncupato, præfatæque Congregationis Præfecto, qui tunc legitimo morbi impedimento detinebatur, ſuam, collegarumque ſententiam cum totius ſummâ Proceſsûs retuliſſet in Conſiſtorio noſtro ſecreto; Reliqui Cardinales qui aderant in eandem conceſſerunt ſententiam.

In dicto publico Conſiſtorio Pontifex, Cardinales, & Epiſcopos in eo præſentes hortatur, ut Orationibus ſecum inſtantes, in re tam gravi divinum implorent auxilium, & in ſemipublico Conſiſtorio ſubinde celebrato eiſdem Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis eximiam Sanctitatem, ac Miraculorum celebritatem commemorat, ac expoſitis Catholicorum Regum, & Principum, totiuſque Ordinis præfati ſuper hoc inſtantiis, Omnes Beatum Andream canonizandum, atque inter Sanctos Confeſſores adſcribendum cenſent; Canonizationis dies publicatur, hodieque die Dominico Sanctiſſimæ Trinitatis Feſto ſervatis ſervandis, Beatum Andream Sanctum eſſe pronunciat, & canonizat.

§. 39. Nos itaque, cùm in publico Conſiſtorio dilectus etiam filius Philippus Sacripantes Fiſci, Cameræ Apoſtolicæ, & Conſiſtorialis Aulæ noſtræ Advocatus, pro ejus Canonizatione luculenter peroraſſet, ac nomine totius Ordinis Clericorum Regularium præfatorum, ut ad eam procedere dignaremur humiliter ſupplicaſſet; de tanta re Venerabiles Fratres noſtros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & Epiſcopos præfatos præſentes, vehementer in viſceribus Chriſti hortati ſumus, ut Orationibus inſtantes, in jejuniis, & eleemoſynis eorum Animas coram Deo nobiſcum humiliantes, aſſiduis precibus à Patre Luminum expoſcerent, ut ex alto ſuper Nos lucem ſuam, & veritatem ſuam emittere, quæ Nos ad voluntatem, & beneplacitum ejus cognoſcendum, & perficiendum deduceret. Igitur in ſemipublico Conſiſtorio, quod ſubinde celebratum eſt, vocatis non modò Cardinalibus, ſed Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Curiâ Romanâ exiſtentibus, præſentibus etiam noſtris, ac Sedis Apoſtolicæ Notariis, necnon Cauſarum præfatarum Auditoribus, cùm plura à Nobis de eximiâ Sanctitate Servi Dei, ac Miraculorum celebritate commemorata fuiſſent, expoſitis etiam inſtantiis, quæ à Catholicis Regibus, & Principibus dudum in hujuſmodi Cauſæ primordio Apoſtolicæ Sedi porrectæ fuerant, & Nobis nunc à toto Ordine præfato porrigebantur, omnes concorditer, ac uno ore benedicentes Deum, Beatum Andream canonizandum eſſe, atque inter Sanctos Confeſſores adſcribendum cenſuerunt: Quorum omnium audito conſenſu, intimo cordis affectu exultavimus in Domino, qui Eccleſiam ſuam miſericorditer reſpexerat, Canonizationis publicavimus diem, eoſdemque fratres, ac filios noſtros monuimus, ut in Orationibus, & Eleemoſynis per-

perseverarent, ut in tanto opere exequendo splendor Domini Dei nostri esset super nos, opusque manuum nostrarum ad ejus voluntatem perficiendam dirigeret. Demum peractis omnibus, quæ ex Sacris Constitutionibus, Romanæque Ecclesiæ consuetudine peragenda erant, hodie, quæ fuit dies Dominica Sanctissimæ Trinitatis, in Sacrosanctâ Principis Apostolorum Basilicâ, Cœlestis Sponsæ ritu ornatâ, cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, Romanæque Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus nostris, Clero Sæculari, & Regulari, ac maximâ Populi frequentiâ convenimus: ubi repetitis pro Canonizationis Decreto petitionibus, nomine præfato à dilecto filio nostro Annibale, Sancti Eustachii Cardinali Albano nuncupato, nostro secundùm Carnem ex Fratre Nepote, per dilectum etiam filium Marcellinum Coyrum Advocatum decantatis sacris precibus, & Litaniis, ac Spiritûs Sancti gratiâ humiliter imploratâ, ad honorem ejusdem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, & Fidei Catholicæ exaltationem authoritate Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostrâ, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Romanâ Curiâ præsentium consilio, ac unanimi consensu, piæ memoriæ Andream Avellinum, de cujus vitæ Sanctitate, Fidei sinceritate, & Miraculorum excellentiâ plenè constabat, & constat, Sanctum esse definivimus, ac Sanctorum Confessorum Catalogo adscribendum decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus, & adscribimus, illumque universos Cristifideles tanquam verè Sanctum honorare, & venerari mandavimus, & mandamus.

In illius honorem Ecclesias, & Altaria construi, & Festum die 10. Novembris celebrari jubet, ac Indulgentias ejusdem Sepulchrum visitantibus elargitur.

§. 40. Ac ut ab universali Ecclesiâ, in ejus honorem Ecclesias, & Altaria, in quibus Sacrificia Deo offerantur ædificari, & consecrari; & singulis annis die X. Novembris, quâ ad Cœlestem gloriam vocatus est, ab universali Ecclesiâ memoria ipsius inter Sanctos Confessores non Pontifices piâ devotione recolatur statuimus, ac omnibus Christifidelibus verè pœnitentibus & confessis, ac singulis annis eâdem die X. Novembris ad Sepulchrum, in quo Corpus ejus requiescit, visitandum accedentibus, unum annum & unam quadragenam; iis verò, qui in ejusdem Festi octavâ ad Sepulchrum præfatum accedunt, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis misericorditer in Domino eâdem auctoritate relaxamus.

Canonizationi Adstantibus peccatorum plenariam remissionem concedit.

§. 41. Postremò gratias Deo cum exultatione animi nostri agentes, quòd Sanctum suum in conspectu omnium Gentium honorificaverit, ac tam insigni splendore Ecclesiam suam decoraverit, Omnibus Christifidelibus qui Nobis ad Altare Principis Apostolorum in præfatâ Basilicâ Missam solenniter celebrantibus cum ejusdem Sancti Confessoris commemora-

moratione interfuerunt, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam concessimus.

Hujus Bullæ Transumptis credi mandat.

§. 42. Cæterùm quia difficile foret præsentes ad singula Loca, ubi opus esset, deferri; Volumus ut earum exemplis etiam impressis manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis eadem ubique Fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si exhibitæ essent, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§.43. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc Paginam nostrorum Definitionis, Decreti, Adscriptionis, Mandati, Statuti, Relaxationis, Concessionis, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo duodecimo, Undecimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



✠
✠ Nicolaus Episcopus Portuen. Card. Acciajolus.
✠
✠
✠
✠ Fabritius Episcopus Prænestinus Cardinalis Spada.
✠ G. Tit. S. Laurentii in Lucina Prior Presbyt. Card. Marescottus.
✠ F. Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Astallius.
✠ B. Tit. S. Praxedis Presbyter Card. Panciaticus.
✠ F. Tit. S. Balbinæ Presbyter Cardinalis de Abdua.

†
†
†
†
† Fr. Thomas Maria Ord. Prædic. Tit. S. Clementis Card. Ferrarius.
† Joſeph Tit. S. Mariæ Tranſpontinæ Presbyter Card. Sacripantes.
† J. B. Tit. S. Cæſarei Presbyter Card. Spinula S. R. E. Camerarius.
† F. Tit. SS. Jo: & Pauli Presbyter Card. Paulutius Major Pœnitent.
†
†
† Franciſcus Tit. S. Euſebii Presbyter Cardinalis Martellus.
†
†
† Laurentius Tit. S. Suſannæ Presbyter Card. Corſinus.
†
† Franciſcus Tit. S. Cæciliæ Presbyter Card. de Acquaviva.
†
†
† Philippus Tit. S. Chryſogoni Presbyter Card. Gualterius.
† J. Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyter Card. Vallemanus.
†
†
†
† J. Tit. Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Cardinalis de la Tremoille.
† C. A. Tit. S. Auguſtini Presbyter Card. Fabronus.
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
† Aloyſius Tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis Priolus.
†
† Jo: Baptiſta è Soc. Jeſu Presbyter Card. Ptolomæus.
† F. F. M. Tit. S. Priſcæ Presbyter Cardinalis Caſinus.
†
† B. S. Mariæ in Viâ latâ Diaconus Cardinalis Pamphilius.

Pe-

† Petrus S. Laurentii in Damaſo Card. Otthobonus.
† Carolus S. Agathæ Cardinalis Bichius.
† I. R. Diaconus S. Georgii in Velabro Card. Imperialis.
† Franciſcus S. Angeli in Foro Piſcium Diaconus Card. Barberinus.
† L. S. Nicolai in Carcere Tulliano Card. de Alteriis.
† C. S. Mariæ de Scalâ Diaconus Card. Columna.
† Nicolaus S. Mariæ in Coſmedin Diaconus Cardinalis Grimaldus.
† Annibal S. Euſtachii Diaconus Cardinalis Albanus.

Loco ✠ Plumbi.

Joſeph Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Viſa de Curia pro R. P. D. Maſſerio L. Sergardus.

L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

ACTA

ACTA BEATIFICATIONIS
SERVI DEI
JO. FRANCISCI REGIS
Societatis JESU;

CUM

Solenniis ejusdem Beatificationis in Basilica Vaticana,

ET

Ecclesiis ejusdem Societatis, Romæ celebratis.

BENEVOLO LECTORI.

Actis Canonizationis quatuor Sanctorum supra expositis, aliorum omnium Beatificationis Servi Dei JOANNIS FRANCISCI REGIS *è Societate* JESU *narrationem, operæ pretium censui hoc in loco apponendam, ut uno volumine ad Decretorum Urbani VIII. fel. rec., & Ritualium Librorum normam, telæ judiciariæ cùm Beatificationis, tùm Canonizationis Servorum Dei, omniumque Cæremoniarum, ac Rituum in illis servandorum integrum, fidumque haberes documentum. Nec mireris Canonizationi postpositam Beatificationem, aliàs in uno Dei Servo semper præponendam: Hoc solum temporis, & rerum gestarum ordine factum est; peractam enim novissimam Sanctorum* PII V., ANDREÆ AVELLINI, FELICIS *à* CANTALICIO, & CATHARINÆ *de* BONONIA *Canonizationem, solennis Servi Dei* JOANNIS FRANCISCI REGIS *Beatificatio subsequuta est. Acta utrorumque lege, & eximias illorum unà simul imitemur virtutes. Vale.*

ACTA BEATIFICATIONIS

SERVI DEI

JO. FRANCISCI REGIS

Societatis Jesu.

[Sy]nopsis [Vi]tæ.



OANNES FRANCISCUS REGIS ortum duxit ex nobilibus æquè, ac Catholicis Parentibus die 31. Januarii 1597. in inferioris Occitaniæ Oppido, nuncupato Foncovverte, Diœcesis Narbonensis. Adolescens pietati non minùs, quàm humanioribus literis dedit operam; quem proinde & morum gravitas, & singularis modestia, & honestas illibata (quam Angelicam usque ad obitum tenuit) apud omnes commendarunt. In Societatem Jesu Deo vocante cooptatus, Tyrocinium Tolosæ ingressus est 8. Decembris 1616. In eo ad religiosam perfectionem adspirans totus erat in Instituti legibus exactè servandis. Ad Moderatorum nutum difficillima quæque aggrediens, abjectissima libentiùs munia sui contemptor arripiebat, divinarum interea contemplationi rerum adeò vacans, ut perfusus lacrymis absque motu identidem, & sensu in Deum raperetur.

Exacto Tyrocinio, Votisque Religionis nuncupatis, cum jam omnium virtutum genere præluceret, & antea, & post emensum studiorum curriculum, suorum Moderatorum jussu in excolendis adolescentibus tum in literis, tum in bonis moribus strenuam navavit operam.

Sacerdotio initiatus ad Apostolicam vitam cœlitus evocatus, arctiorisque proinde vitæ rationem instituens, omnigenæ austeritatis, paupertatis, & orationis exercitiis accuratiùs se addixit, quò & Divinam opem efficaciùs imploraret, & in omnibus se ipsum præberet exemplum bonorum operum.

Miro autem Dei consilio factum est, ut obversantibus ejus menti hinc Civitatibus, aliisque locis illustribus; inde pagis, locisque campestribus, & montanis, quæ Apostolicis laboribus posset excolere, ad ista potiùs, quàm ad illa animum adjiceret, utpote ab humano plausu remotiora, & Euangelicâ culturâ magis indigentia; quinimo asperrima montium Velauniæ, Vivarensium, Viennensium, ac Valentinorum passim seligeret, & quidem, ut incolarum commoditati inserviret, etiam hyberno tempore, quo omnia nivibus, & glacie obsita, & difficiliorem aditum redderent, & exercitium Sacrarum Missionum permolestum. Divina nihilominùs charitate JOANNES FRANCISCUS exæstuans omnia loca penetrabat; nec tantùm in Ecclesiis, & in apertis compitis, sed & in tuguriis, & in speluncis Dei verbum disseminabat; rudes, agrestesque Christianis elementis imbuebat; die, ac nocte excipiebat Confessiones, invisebat ægrotos, conciliabat discordes, pravos evellebat usus, pios, & Christianos inducens, aliaque plurima id genus obibat, sui prorsus negligens, nullo persæpe cibo, somnove refectus, vel saltem modico, quandoque sub dio, cùm præsertim montana conscendens, imbre madidus, sudore perfusus, viribusque penè destitutus, ubicumque contigeret, jacère noctu cogeretur.

Nec dissimilia suæ charitatis officia Dei Servus præstabat, quando ex obedientiæ præscripto, post exantlatos in Villis, & in Montibus Apostolicos labores, in Collegium Aniciense quotannis de more se recipiebat: nam humilitatis, & despicientiæ suæ retinens, rejectis in alios Religiosos sodales suos altioribus ministeriis, ipse in deliciis habebat versari cum infimæ sortis hominibus, Christianæ Fidei principia explicando, sermones rudi populo aptiores de divinis rebus miscendo, solando mœstos, omnique demum spirituali pabulo reficiendo.

Nec animabus tantùm prospiciebat, sed & corporibus: corrogatis siquidem undelibet eleemosynis, nil non suggerebat sive in alimentum, sive in indumenta pauperum, Cœlo ipso tam pia opera etiam prodigiis probante, dum arca quædam frumentaria jam vacua, non semel tantùm, sed bis, & ter frumento oppleta, ut Vir Dei prædixerat, inventa fuit: quidquid præterea opus erat, vel ad solutionem æris alieni, vel ad levamen miserorum, suppeditare non desinens,

 nul-

nullis insuper parcens laboribus, quibus præsto esset, ubicumque res ferret, in Nosocomiis, aut Valetudinariis apud ægrotos, apud ulcerosos in casis, aut peste infectos in oppidis.

Porro ejus ardor non usque adeò detinebatur inter pauperum turmas, ut non etiam ad omne genus hominum se extenderet, quocumque demum JOANNEM FRANCISCUM Dei gloria evocaret: accipiens enim armaturam zelus illius, & gladium spiritus, nullum finem faciebat in extirpandis flagitiis, iis præsertim, quæ contra honestatem pugnabant (quo in genere acerrimum hostem semper se exhibuit) quà mulierculas è libidinis cœno extrahendo, quà honestas puellas liberando à procorum insidiis, & quidem non sinè præsentissimo interdum vitæ discrimine, cùm vel fustibus crudelissimè percussus, vel ferro quæsitus ad necem, sese imperterritum, etiam objecto gladiis pectore, ostendit.

Hinc omnibus omnia factus perditos homines suaviter æquè, ac fortiter pertrahebat ad bonam frugem, & eos inter non parvam manum Hæreticorum vitæ superioris sectam ejurantium; adeò potens erat opere, & sermone, donec tantis perfunctus laboribus, appetente jam obitu sibi divinitus prænunciato, receptisque, ut moris est, supremis mysteriis in Pago Lalovesco, & in vili tugurio, ac super lectulo stramineo præstolari eum voluit, ut similem se in morte exhiberet suo Redemptori, qui in stabulo, & in stramine pro se nasci dignatus fuerat, recurrentibus commodùm eo tempore Festis Natalitiis, nec profectò sinè fœnore; nam videns Dei Servus Cœlos apertos, & Jesum stantem, seu verius sibi appropinquantem cum Virgine Matre, inter tenerrimos pietatis affectus sanctissimè obiit die 31. Decembris anni 1640. ætatis suæ anno 44., & 24. ab ingressu in Societatem.

Dignum admiratione fuit, quòd eâdem die obitus multa hominum millia, perinde quasi alii alios advocassent, ad Servi Dei funus confluerent, diripientes pro se quisque tanquam pretiosum pignus, quidquid ex vestium, vel aliarum rerum fragmentis ad manus pervenisset, quod quoquo modo fuerat usui eidem Servo Dei, itaut nec immunes fuerint à sacro furto paleæ ipsæ, quæ decumbentem exceperant, nec pulvis sepulchri, in quo Venerabile Corpus fuit repositum, qui quovis gentium deportatus, ad omnem curationis speciem adhibebatur utiliter.

Famâ itaque Sanctitatis, & miraculorum tàm in vita, quàm post mortem hujus Servi Dei JOANNIS FRANCISCI REGIS confestim adeò percrebrescente, ut non tantùm in Diœceses Viennensem, Narbonensem, Valentinam, & alias finitimas, sed in universam Galliam, quin & in Indias sese brevi diffuderit; Incredibili propemodum concursu peregrinantium ad ejus tumulum, quamvis positum inter inaccessos Montes Pagi Lalovescii; nec tantùm vulgi, sed & plurimorum Dynastarum, Gubernatorum Civitatum, quin & Episcoporum, & ipsius clar. mem. Card. Bonzii; Ingentibus eleemosynis pro celebratione Missarum erogatis pro beneficiis acceptis, & innumeris donariis ad sepulchrum suspensis; & quod mirum est, Pago Lalovesco, qui priùs tres, vel paulò plures casas, seu veriùs mapalia continebat, post obitum Servi Dei, & consecutum ad ejus tumulum concursum, in frequentissimum pagum excreto, permoti Archiepiscopus Viennensis in Gallia, cujus in Diœcesi est Lalovescus, & Episcopus Aniciensis anno 1676. duos Processus authoritate ordinaria construxerunt: Iste super sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis; ille super non cultu. *Acta*

Anno 1681. 10. Novembris. Præsentati fuerunt in Actis Notarii Sacræ Rituum Congregationis prædicti duo Processus.

Anno 1692. die 12. Augusti. Fuerunt aperti servatis servandis ambo prædicti Processus, vigore hujusmodi Decreti, videlicet.

Exhibitis in Actis Sacræ Rituum Congregationis sub die 10. Novembris 1681. duobus Processibus clausis, & sigillatis authoritate Ordinaria constructis, uno scilicet super Sanctitate vitæ, Virtutibus, & Miraculis dicti Servi Dei P. Joannis Francisci Regis in Curia Episcopali Aniciensi; & altero super non cultu coram Rmo Archiepiscopo Viennensi, eadem Sacra Congregatio, Instante P. Petro Calvo Procuratore Assistentiæ Galliæ Societatis Jesu, & hujusmodi Causæ Beatificationis, & Canonizationis Postulatore, censuit committi posse Emo D. Cardinali Præfecto apertionem prædictorum Processuum servatis servandis cum omnibus, & singulis facultatibus desuper necessariis, & opportunis, si Sanctissimo D. Nostro placuerit, die 2. Augusti 1692.

Facta igitur per me Secretarium de prædictis relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua benignè annuit die 9. Augusti ejusdem mensis, & anni.

Anno 1692. die 7. Octobris. Eadem Sacra Congregatio, approbante san. mem. Innocentio XII. deputavit in Relatorem Causæ Emi-

Eminentissimum D. Cardinalem Duratium.

Anno 1698. die 25. Januarii. Ad Relationem ejusdem Eminentissimi Cardinalis Duratii, ex dispensatione Apostolica in Congregatione ordinaria Sacrorum Rituum absque interventu Consultorum discussa est, & approbata validitas Processus Aniciensis authoritate Ordinaria constructi.

Exinde cùm ad præscriptum Decr.,& Instructionum san. mem. Urbani VIII. plures Archiepiscopi, & Episcopi, XXXX. Civitates Occitaniæ, ac universa Societas Jesu enixas Sanctissimo dederint preces, ut ad ejusdem Servi Dei JOANNIS FRANCISCI REGIS Beatificationem, & Canonizationem procedere dignaretur, eodem anno 1698. die 26. Februarii eadem Sac. Rit. Congreg. pro introductione Causæ rescripsit: *Commissionem posse signari, si Sanctissimo placuerit*: ac proinde Commissio à Sanctissimo fuit signata.

Eodem anno 1698. die 9. Augusti. Sanctissimus D. Noster deputavit in Relatorem ejusdem Causæ in locum Eminentissimi Domini Cardinalis Duratii absentis, Eminentissimum D. Cardinalem Imperialem.

Eodem anno 1698. die 9. Septembris. In eadem Sacra Congregatione discussa est sententia Rmi Archiepiscopi Viennensis super paritione Decretis san. mem. Urbani VIII., lata anno 1676., & non fuit confirmata.

Eodem anno 1698. die 27. Septembris, vi Decreti Sacræ Congregationis obtentæ fuerunt Literæ Remissoriales ad effectum conficiendi novum Processum super non cultu, & probandi omnimodam paritionem.

Anno 1700. die 31. Julii. Fuit discussa, & approbata validitas, & relevantia Processus authoritate Apostolica confecti, ad effectum demonstrandi paritionem Decretis super non cultu.

Eâdem die ad Relationem ejusdem præfati Emi D. Cardinalis Imperialis fuit discussa, & approbata nova sententia lata à Rmo Archiepiscopo Viennensi super non cultu Ven. Servi Dei.

Eodem anno 1700. vi Decreti ejusdem S. Congregationis die 11. Septembris fuerunt obtentæ, & successivè expeditæ Literæ Remissoriales, & Compulsoriales pro fabricatione Processus super fama Sanctitatis, Vitæ, Virtutum, & Miraculorum in genere ejusdem Ven. Servi Dei, & directæ Rmis Archiepiscopo Viennensi,& Episcopis Aniciensi, & Valentinensi; nec non, ne perirent probationes, fuerunt sub eadem die concessæ aliæ Literæ separatæ Remissoriales ad effectum examinandi in specie Testes Senes, valetudinarios, & absfuturos, & de quorum morte proximâ poterat verisimiliter dubitari.

Anno 1702. die 18. Martii. Ad Relationem ejusdem Emi D. Cardinalis Imperialis, S. Congregatio dixit constare de validitate, & relevantia Processus super fama Sanctitatis in genere.

Eâdemque die Sacra Congregatio decrevit constare de fama Sanctitatis in genere; Quæ omnia approbavit Sanctissimus D. Noster CLEMENS XI. die 21. Aprilis sequentis, & nullitates, siquæ forent in Processu, benignè sanavit.

Eodem anno 1702. 8. Aprilis. Obtentæ sunt Literæ Remissoriales ad Diœcesim Augustodunensem, & directæ ad Rmum Episcopum Augustodunensem ad effectum construendi Processum super nonnullis Miraculis intercessione Ven. Servi Dei patratis, & attentis impedimentis, & gravi ætate Rmi Episcopi Augustodunensis, Sacra Congregatio die 13. Martii 1703. subrogavit Rmum Episcopum Claromontanum, cui Literæ Remissoriales præsentatæ fuerunt die 3. Julii 1703., & Processus clausus fuit die 17. Julii ejusdem anni.

Eodem, quo supra anno 1702. fuerunt obtentæ Literæ Remissoriales, & Compulsoriales ad Diœcesim Viennensem, & directæ ad Rmos Archiepiscopum Viennensem, & Episcopos Aniciensem,& Valentinensem ad effectum conficiendi Processum in specie super Sanctitate Vitæ, Virtutibus, & Miraculis Ven. Servi Dei.

Quæ quidem Literæ fuerunt præsentatæ Rmo Archiepiscopo Viennensi die 2. Octobris 1702. & Processus clausus fuit die 14. Martii 1703.

Anno 1704. die 12. Martii. Uterque ex dictis Processibus tam Viennensis, quàm Augustodunensis in vim Decreti S. Congregationis fuit servatis servandis apertus.

Eodem anno 1704. die 7. Junii. Discussa fuit in S. Congregatione validitas hujusmodi Processuum Viennensis, & Augustodunensis Authoritate Apostolica confectorum; & ad relationem ejusdem Emi D. Cardinalis Imperialis eadem Sacra Congregatio censuit, constare de validitate prædictorum Processuum, & Testes in eis rite, & rectè esse examinatos, & jura producta legitimè compulsata.

Eodem anno 1704. die 23. Augusti. Ad supplicationem Postulatoris subscriptum fuit dubium, an constet de Virtutibus Theo-

Theologalibus, *Fide*, *Spe*, *& Charitate in Deum, & Proximum*, & Cardinalibus, *Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia*, earumque annexis in gradu heroico, in casu, & ad effectum de quo agitur.

Verumtamen harum examen maturè procedendo in re tanti momenti ultra sexennium protractum est. Interea instantiùs pulsabatur, & perdurabant supplicantium instantiæ Archiepiscoporum, & Episcoporum Occitaniæ, finitimarumque Provinciarum, ex quibus Archiepiscopus Viennensis, cujus in Diœcesi est Lalovescus, Episcopus Aniciensis, Episcopus Valentinus, & præ cæteris Archiepiscopus Narbonensis, etiam nomine Comitiorum Generalium ejusdem Occitaniæ, constantium ex pluribus Archiepiscopis, Episcopis, & Deputatis 40. Civitatum, solicitiores in dies porrigebant preces Sanctissimo D. N. CLEMENTI XI., prout ex Literis eidem Sanctissimo Patri datis, & Sacræ Congregationi, quarum admodum notabilia leguntur fragmenta in editâ, ut vulgò dicitur, Positione super dubio: *An constet de octo miraculis post obitum in casu &c.*

Quamobrem diligentiùs quàm antea de mandato SS. D. N. CLEMENTIS PP. XI. reassumpta est Causa Beatificationis, & Canonizationis ejusdem Servi Dei. Verùm antequam discuteretur præfatum Dubium super Virtutibus, à Postulatore Causæ cautè fuit habitus recursus ad Sanctissimum, supplicando, quòd Processus Aniciensis authoritate Ordinaria constructus, sive pars prima illius ex Indulto Sanctitatis Suæ admitteretur ad substantiam probationis, ut sic utiliter pro Causæ opportunitate eo uti posset. Quare remisso supplici libello per Sanctissimum Congregationi Eminentissimorum DD. Cardinalium Ferrarii, Vallemani, Fabroni, Gozzadini, & Imperialis ad hunc effectum deputatæ, & ea postmodum habita die 21. Februarii 1711. in Ædibus D. Card. Ferrarii sequens emanavit Decretum.

Porrecto Sanctissimo D. Nostro supplici libello à Postulatore Causæ Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei Joannis Francisci Regis, eodemque remisso ad Congregationem particularem à Sanctitate Sua specialiter deputatam, eadem Congregatio die 21. Februarii 1711. respondit posse, si Sanctissimo videbitur, in casu, de quo agitur. Et ex motivis, ac circumstantiis specialibus in hac Causa concurrentibus, admitti ad substantiam probationis, & non pro solo adminiculo, primam partem Processus Aniciensis authoritate Ordinaria constructi, validam, quoad dictam primam partem à Sacra Congregatione declaratam, factâque Sanctitati Suæ relatione, eadem audito Fidei Promotoris Coadjutore, benignè annuit die 23. Martii 1711.

Hinc ventum est ad examen diligentissimum præfati dubii: *An constaret de virtutibus Servi Dei Jo: Francisci Regis tam Theologalibus, quàm Cardinalibus*: Et primum in Congregationibus Sacrorum Rituum Antepræparatoria, & Præparatoria sic appellatis; ac demum in Congregatione die 15. Martii 1712. habita coram Sanctissimo D. N. CLEMENTE XI. cum interventu Consultorum, in qua tum ipsi DD. Consultores, tum Eminentissimi DD. Cardinales, Consultoribus prius extra Aulam Congregationis deductis, favorabiliter suffragati sunt per verba: *Constare, si Sanctitati Vestræ videbitur*: Verùm Sanctissimus auditis favorabilibus suffragiis, adhuc dixit in re tam gravi exorandam divinam Majestatem, ut sibi æternæ veritatis lumen dignaretur afferre; quocirca fusis ad Deum jugibus precibus, majori posthabita cunctatione, solenni proxima recurrentis Paschatis Dominicæ Resurrectionis die, suffragiis in Congregatione latis inhærendo, infrascriptum evulgari mandavit Decretum.

VIENNEN. IN GALLIA

Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servi Dei

JO: FRANCISCI REGIS

Presbyteri Societatis JESU

Die 27. Martii 1712. Festo Paschatis Resurrectionis Domini Nostri JESU CHRISTI.

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS.

Sanctissimus Dominus Noster, absoluto Sacro solenniter à Sanctitate Sua celebrato in Basilica Principis Apostolorum, statim ac ad suas solitas Mansiones Palatii Vaticani reversus fuit, advocavit ante prandium D. Advocatum Prosperum de Lambertinis Fidei Promotorem, ac me infrascriptum Protonotarium Apostolicum, modò exercentem vices R. P. D. Secretarii Congregationis Sacrorum Rituum, nobisque dixit, elapsis diebus, videlicet die 15. currentis Mensis propositam fuisse in Congregatione habitâ coram Sanctitate Sua Causam Viennen. in Gallia Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei Joannis Francisci Regis Presbyteri Societatis Jesu, discussoque in ea dubio: An constet de Virtutibus ejusdem Servi Dei tàm Theologalibus, scilicet Fide, Spe, & Charitate; quàm Cardinalibus, nimirum

rum Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque annexis in gradu heroico, in casu, & ad effectum, de quo agitur; Sanctitatem Suam distulisse resolutionem, ad effectum exposcendi priùs in re tam arduâ Divinum lumen. Cùm autem id Sanctitas Sua jam fecerit, ac potissimùm hac die Resurgentem Dominum humiliter exoraverit, ut cœlesti claritate mentem suam illustrare dignaretur; quacumque idcirco majori cunctatione postposita, suffragiis in eâdem Congregatione latis inhærere se velle declaravit, adeòque super præmisso dubio, promulgari mandavit responsum affirmativum: Constare de virtutibus tàm Theologalibus, quàm Cardinalibus, earumque annexis in gradu heroico, in casu &c. Et ita &c.

G. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

C. Collicola Protonotarius Apostolicus, modò exercens vices R.P.D. Secretarii Congreg. Sac. Rituum.

Post hæc disputatio super miraculis Ven. Servi Dei ope, divinitùs post ejus obitum patratis, de more assumpta est, & è multis octo duntaxat miracula selecta sunt, illaque examini S. Congregationis subjecta, ac discutienda proposita; quorum Miraculorum Titulus, & Ordo, & de Primo, & Quarto, quæ fuerunt postmodùm à Sanctissimo approbata, etiam brevis narratio, quemadmodum Sacræ Congregationi proposita sunt hîc subnectitur, ut amborum natura, & indoles inspiciatur.

Miraculum Primum, quod fuit approbatum.

Repentinæ Sanationis Joannæ Mariæ Peret Molinensis Monialis ab inveterata Paralysi, & Hydrope tympanite anno 1701.

MOlinis, Urbe in Agro Borbonio positâ, Cœnobium quoddam est celebre Virginum, quæ S. Francisci Salesii Instituta sectantur. Earum una nomine Joanna Maria Peret continuis, gravissimisque morbis toto septennio vexata est. Attritis jam, exhaustisque diuturno morbo viribus per duos ultimos annos, & dimidium, perfectâ inferiorum corporis partium paralysi, & ut Medici loquuntur, atrophiâ laboravit. Crura enim facta sunt arida, exsucca, nihil præter ossa, & cutem habentia; motus, & sensus omnis expertia: per ultimos tres menses hydrope tympanite, sic dicto, quòd venter tympani more distendatur, ac percussus resonet, ardentissimâque febri correpta est. Tot simul congesti atroces morbi eò adduxerant miserrimam Virginem, ut quotidie moritura crederetur, & vitam traheret morti, quàm vitæ similiorem. Ea erat virium imbecillitas, ut non permitteret, aut sterni ipsi lectum, aut ipsam ad Ecclesiæ Chorum gestatoriâ sellâ deportari. Biennio toto lecto affixa miserabiliter jacuit. Tentatis frustra remediis prope innumeris, atque à Medicis morbum incurabilem judicantibus deposita, ad Ven. Dei Servum, factâ in ejus honorem per novem dies supplici deprecatione, confugit. Ultimo, seu nono precum die, certò confisa se illo die Ven. Servi Dei patrocinio omnino convalituram, optavit, consumptis licèt viribus, ad Ecclesiæ Chorum gestatoriâ sellâ deferri; ubi, antequam res divina perageretur, cœlestibus epulis refecta est. Mirum dictu! omnibus Sororibus, quæ circumstabant, admiratione perculsis, perfectam valetudinem, integrasque vires momento temporis recepit. Quæ stare pedibus non poterat, & à Valetudinarii Præfectis subter brachia sustinebatur, illico stare cœpit in pedes, & genua, absque adjutrice manu; surrexit ad Euangelium; perfecto Sacro per Chorum firmo gressu sana, & valens ambulavit; quæque conclamata erat, & movere se, nec moveri sine summo dolore poterat, eodem die, & in triclinio prandium unà cum reliquis Monialibus, & in propria cella somnum cepit, cum neutrum ab annis quatuor facere potuisset.

Miraculum Secundum

Instantaneæ Sanationis Mariæ Ludovicæ Du Rye, Monialis Molinensis, à septenni pollicis impotentiâ, atrophiâ, ariditate, & inflexibilitate, anno 1702.

Miraculum Tertium

Admirandæ Sanationis Margaritæ Brisson Monialis Hospitalaris S. Josephi Molinensis ab ignoto, stupendoque morbo, anno 1701.

Miraculum Quartum, pariter approbatum,

Instantaneæ Sanationis Jo: Gasparis Montereymar Aniciensis à triplici herniâ incurabili anno 1674.

ANicium, Civitatem in Velaunia amplissimam in primis, ac nobilem, quam Ven. Dei Servus eximia Sanctimonia illustra-

ſtraverat vivens, mortuus variis, maximiſque beneficiis cumulavit. Porro inter varia miracula, quæ illius patrocinio in hac Urbe edita ſunt, inſigne fuit illud, quod anno 1674. contigit in perſona Joannis Gaſparis Montereymar, civis minimè obſcuri. Is à biennio cruciabatur herniâ triplici tam enormi, ut ſcrotum, & pilei tubum mole, & lignum duritie æquaret. Medici, Chirurgi, & Pharmacopôlæ adhibitis fruſtrà remediis, deſperatâque ejus curatione, alii poſt alios illum deſeruerant. Acerbiſſimis cruciatibus confectus jacebat, cùm die 29. Januarii 1674. urgente atrociùs malo, doloribuſque ferendis impar, certum impendere ſibi exitium non dubitavit. Inde ſuſpiria, gemitus, clamores miſerandi, ut in maximis doloribus. Filius qui aderat, tam triſti ſpectaculo perculſus, afflicto Patri refert, paucos ante dies Puellam omnibus fere captam membris, concepto piè voto ad Ven. Servi Dei tumulum repentè ſanatam; ipſumque idem ut patrocinium imploret, vehementer hortatur. Ille, ut erat inſigni in Ven. Dei Servum ſtudio, quamvis à Medicis, Chirurgiſque derelictus, protinus haud dubiâ ſpe erectus eſt, poſitiſque humi genibus non minori pietate, quàm fiduciâ, Ven. Dei Servi opem expoſcere incipit, atque interpoſitâ etiam voti Religione, obligat ſe, ſi ſanetur, ad Ven. Servi Dei tumulum primo quoque tempore iturum: nec ſpes illum fefellit, nec votum. Volens enim, precatione factâ, ſurgere, ecce doloribus extemplo, tumore, ac morbo prorſus ſolutum ſe lætus, & admirabundus agnoſcit. Vocati confeſtim Chirurgi, & Pharmacopôlæ, & inſpectis partibus, illum omnino ſanatum attoniti comperiunt, palamque teſtantur.

Miraculum Quintum

Inſtantaneæ ſanationis Antoniæ Stival Anicienſis à perfectâ cæcitate anno 1654.

Miraculum Sextum

Inſtantaneæ Sanationis Antoniæ Graver Anicienſis à perfectâ cæcitate anno 1664.

Miraculum Septimum

Inſtantaneæ Sanationis Antoniæ Guarnier Anicienſis ab enormi Mamillæ tumore anno 1654.

Miraculum Octavum

Repentinæ Sanationis Joannæ Perciè Vanoſcienſis à perfectâ omnium ferè membrorum paralyſi, aliiſque morbis graviſſimis anno 1674.

Præmiſſis itaque juxta ſtylum Congregationibus Antepræparatoria, & Præparatoria, tandem de iis actum in Congregatione Generali Sac. Rituum coram Sanctiſſimo habita die 2. Aprilis 1715. cum interventu Conſultorum, in qua Sanctiſſimus D. N. auditis ex ordine omnium DD. Conſultorum, & Eminentiſs. Cardinalium ſuffragiis, in favorabilem ſententiam ſuper Primo, & Quarto in ordine collimantibus erat deliberationem capturus, verùm eam non continuò edidit, ſed ad tempus magis opportunum diſtulit, ut in tanto negocio, & Divinam opem priùs imploraret, & rem maturiùs ſecum ipſe conferret. Quibus expletis tandem die 28. Aprilis ejuſdem anni 1715. ipſamet nempe Dominica in Albis, Decretum ſuum ſuper approbatione Primi, & Quarti in ordine Miraculorum edidit, promulgarique mandavit in hunc, qui ſequitur, modum.

VIENNEN. IN GALLIA

Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servi Dei

JO: FRANCISCI REGIS

Presbyteri Profeſſi Societatis Jesu.

DECRETUM SUPER MIRACULIS.

D*Ie* 28. *Aprilis* 1715. *Dominica in Albis hora circiter* 16. *Sanctiſſimus D. Noſter* Clemens *Divina Providentia Papa XI. in Palatio Quirinali advocavit R. P. D. Proſperum de Lambertinis Fidei Promotorem, & me infraſcriptum Pro-Secretarium Congregationis Sacrorum Rituum, nobiſque dixit, elapſis diebus, videlicet die* 2. *labentis Menſis, in Congregatione habitâ coram Sanctitate Sua propoſitam fuiſſe à Reverendiſſimo D. Cardinali Imperiali Cauſam Viennen. in Gallia Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei Joannis Franciſci Regis Presbyteri Profeſſi Societatis Jeſu, diſcuſſoque in ea dubio: An conſtet de miraculis poſt obitum in caſu, & ad effectum, de quo agitur: Sanctitatem Suam audiviſſe quidem omnium ſuffragia, ſed diſtuliſſe reſolutionem, ut priùs de more in tam ardua deliberatione Divinam opem imploraret. Nunc verò cùm id peregerit, ac præſertim*

præ-

præteritis diebus majoris hebdomadæ, ac successivè Paschalibus Festis Supremum luminum Patrem ferventiùs exoraverit, ut cœlesti claritate mentem suam illustrare dignaretur declaravit, se nolle diutiùs differre publicationem suæ resolutionis, adeòque publicari jussit Decretum, in quo pronunciavit: Constare de duobus miraculis tertii generis, nempe de primo repentinæ liberationis Joannæ Mariæ Peret Monialis à diuturna inferiorum artuum ad motum impotentiâ, & Hydrôpe Tympanite; ac de Quarto instantaneæ sanationis Joannis Gasparis Montereymar Aniciensis ab enormi Herniâ. Et ita &c.

F. Card. de Abdua Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. S. Rit. Congreg. Pro-Secr.

Comperto itaque de duobus Testimoniis Divinis, nempe de prædictis duobus Miraculis Sanctitatem Ven. Servi Dei Joannis Francisci Regis illustriorem reddentibus, desiderabatur Oraculum S. Sedis Apostolicæ, quo nempe Dei Servus Beati appellatione dignus declararetur, ac procederetur, ut moris est, ad solennem ejusdem Beatificationem. Quamobrem in Congregatione Generali denuo habita coram Sanctissimo die 3. Mensis Martii 1716. cum interventu Consultorum discusso dubio proposito per eundem Emum D. Cardinalem Imperialem: *An stante approbatione Virtutum, & duorum Miraculorum tutò procedi posse videretur ad ipsius Servi Dei Beatificationem*; omnes tum Consultores, tum Cardinales in affirmativam sententiam per verbum *posse* devenerunt. Verùm Sanctissimus Pontifex adhuc implorandum Divinum lumen respondit; Quare tam suis, quàm aliorum precibus astitrice sapientiâ imploratâ, tandem sub die 7. Maji ejusdem anni suum protulit Oraculum; nempe Decretum Beatificationis Servi Dei semper, & quandocumque faciendæ, quod etiam fuit publicatum in locis solitis Urbis, & aliis etiam insolitis. Tenor Decreti est hujusmodi.

VIENNEN. IN GALLIA

Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servi Dei

JO: FRANCISCI REGIS

Presbyteri Professi Societatis Jesu.

DECRETUM BEATIFICATIONIS.

Cum, postquam aliàs, nempe die 15. Martii 1712. in Congregatione Generali Sacrorum Rituum habita coram Sanctissimo D. N. Clemente *Divina Providentia Papa XI. propositâ per Reverendissimum Cardinalem Imperialem Causâ Viennen. in Gallia Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei Joannis Francisci Regis Presbyteri Professi Societatis Jesu, discussum fuisset dubium: An constaret de virtutibus ejusdem Servi Dei tam Theologalibus, scilicet Fide, Spe, & Charitate quàm Cardinalibus, nimirùm Prudentiâ, Justitiâ, Fortitudine, & Temperantiâ, earumque respectivè annexis in gradu heroico, & in casu, & ad effectum &c. Sanctitas Sua die 27. ejusdem Mensis Martii Resurrectioni Dominicæ Sacrâ decreverit: Constare de Virtutibus tam Theologalibus, quàm Cardinalibus in gradu heroico &c. Ac subindè, postquam scilicet prius, nempe die 2. Aprilis 1715. in ipsâ Generali Congregatione habitâ coram Sanctitate Sua propositum fuisset in prædictâ Causa aliud dubium: An constaret de Miraculis post obitum ipsius Servi Dei in casu, & ad effectum &c. eadem Sanctitas Sua die 28. prædicti Mensis Aprilis pronunciaverit: Constare de duobus Miraculis tertii generis, nempe de Primo repentinæ liberationis Joannæ Mariæ Peret Monialis à diuturnâ inferiorum artuum ad motum impotentiâ, & hydrope tympanite: ac de Quarto instantaneæ sanationis Joannis Gasparis Montereymar Aniciensis ab enormi herniâ: Demum verò iterum habitâ Congregatione Generali præfatâ coram eodem Sanctissimo D. N. die tertia Martii currentis Anni, in eâque per prædictum D. Cardinalem Imperialem proposito dubio: An stante approbatione Virtutum, & duorum Miraculorum tutò procedi posset ad ipsius Servi Dei Beatificationem; Dicta Congregatio unanimi omnium consensu: Affirmativè, respondendum esse censuerit; Verùm dictus Sanctissimus D. N. resolutionem de more distulerit, ut in re tam gravi, & maximâ cum maturitate pertractandâ, antequam quidquam decerneret, tàm suis, quàm aliorum precibus Divini Luminis opem imploraret.*

His jam abundè impletis, Sanctitas Sua, accitis infrascriptâ die coram se R.P.D. Prospero de Lambertinis Fidei Promotore, ac me

prædictæ Congregationis Secretario, ut memoratus Servus Dei Joannes Franciscus Regis piè, ac palam à Christifidelibus coli possit, ac Societas Jesu, quæ illum protulit, de Ecclesiâ Catholicâ cæteroquin optimè merita, præclaro hoc addito Lumine in dies magis illustretur, præsens Decretum Beatificationis ejusdem Joannis Francisci, per Literas Apostolicas in formâ Brevis cum consuetis Indultis quandocumque faciendæ, expediri, & publicari mandavit. Hac die 7. Maji 1716.

F. Card. de Abdua Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. S. Rit. Congreg. Secret.

Hujusmodi Decretum statim subsequutæ sunt Literæ Apostolicæ Beatificationis in forma Brevis, quarum tenor est.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

VIros gloriosos, qui divites in virtute, adepti sunt gloriam in conversatione gentis, hoc est, Sanctos, & Electos Domini, quos clarioribus multiformis suæ gratiæ charismatibus exornavit Divina dignatio, laudandos esse monet Spiritus Sanctus; decet siquidem eis, quos æternus Judex immarcescibilis gloriæ coronâ donat in Cœlis, & quorum Sanctitatem sequentibus signis testatam facit in Terris, debitæ venerationis cultum etiam à fidelibus exhiberi, ut Sapientiam ipsorum narrent Populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia. Hos inter cùm longè, latèque refulserit Dei Servus JOANNES FRANCISCUS REGIS *Sacerdos Professus Societatis Jesu, qui nimirum virtute indutus ex alto, portansque jugum ab adolescentia sua, pœnitentiæ austeritatem cum innocentiæ candore usquequaque conjunxit; ac jugiter dilatante cor ejus Spiritu Sancto, in omnibus exhibuit seipsum sicut Dei Ministrum, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in scientia, in suavitate; præcipuè verò in charitate non ficta, qua in Deum, & proximos mirabiliter æstuavit; Apostolici muneris, quod Nos, viribus licet, & meritis longè impares, gerere voluit Altissimus, ratio exigit, ut illius honorem, ac venerationem, ad Omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Ecclesiæ decus, Christianique Populi specialem ædificationem, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere studeamus. Cùm itaque maturè, diligenterque discussis, atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, processibus rite, ac rectè confectis super Vitæ Sanctitate, & Virtutibus heroicis, quibus idem Servus Dei* JOANNES FRANCISCUS REGIS *multipliciter claruisse, nec non Miraculis, quæ ad ejus intercessionem, & ad manifestandam hominibus illius Sanctitatem à Deo patrata fuisse asserebantur, eadem Congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragiis, uno Spiritu, unaque voce censuerit posse quandocumque Nobis videretur, prædictum Servum Dei Beatum declarari cum consuetis Indultis: Hinc est, quòd Nos piis, ac enixis quamplurium Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, & Episcoporum Regni Galliarum, ac potissimùm Provinciæ Occitaniæ, nec non dilectorum filiorum Magistratuum, Procerum, & Populorum Provinciæ hujusmodi, ac totius insuper Societatis Jesu supradictæ supplicationibus (quas dudum etiam claræ memoriæ Ludovicus XIV., dum viveret, Francorum Rex Christianissimus devotarum suarum precum accessione roboraverat) Nobis super hoc humiliter porrectis paternâ benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium consilio pariter, & assensu, Auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut idem Dei Servus* JOANNES FRANCISCUS REGIS *in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Processionibus circumferenda) exponantur; Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de*

eo

eo recitetur Officium, & Missa celebretur de Confessore non Pontifice singulis annis, juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani, die XXIV. Maji, cùm dies XXXI. Decembris, qua ipse Servus Dei spiritum Creatori reddidit, & aliæ plures illam subsequentes, ut notum est, impeditæ reperiantur. Porrò recitationem Officii, & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet in Oppido de Foncovverte Narbonensis Diœcesis, in quo dictus Servus Dei natus est, in Pago Lalovesci Viennensis Diœcesis in Delphinatu, unde ad Cœlos evolavit, & ubi Venerabile ejus Corpus requiescit, ac in Civitate Aniciensi, in qua plurium annorum spatio, penè usque ad suum obitum habitare consuevit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur; nec non in universa Societate præfata; & quantùm ad Missam attinet, etiam à Sacerdotibus ad Ecclesias ejusdem Societatis confluentibus. Prætereà primò dumtaxat anno à datis hisce literis, & quoad Indias à die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando, in Ecclesiis Oppidi, Pagi, Civitatis, & Societatis hujusmodi respectivè Solennia Beatificationis ejusdem Servi Dei cum Officio, & Missa sub ritu Duplici majori, die ab Ordinariis respectivè constituta, & intrà sex menses promulganda, postquàm tamen in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solennia: pro qua re supradictam diem XXIV. currentis Mensis Maji assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & Sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tàm in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die octava Maji 1716. Pontificatus Nostri Anno XVI.

F. Card. Oliverius.

Ad hæc idem Sanctissimus iis, qui interessent Missæ solenni celebrandæ in Sacrosancta Basilica S. Petri, vel illam visitantibus præfatâ die 24. Maji, Beatificationis Ven. Servi Dei, concessit Indulgentiam Plenariam, promulgatam die 19. Maji 1716. hujusmodi sub tenore.

NICOLÒ *per la Divina Misericordia Arcivescovo di Capua, del Titolo de' SS. Silvestro, e Martino a i Monti, della S. R. C. Prete Card.* CARACCIOLI, *della Santità di N. S. Pro-Vicario Generale &c.*

LA Santità di N. S. Papa CLEMENTE XI. *concede Indulgenza Plenaria, e remissione de' peccati a tutti li Fedeli dell' uno, e l' altro sesso, che Confessati, e Communicati Domenica prossima 24. del presente Mese di Maggio 1716. interverranno alla Messa solenne, che si canterà nella Basilica di S. Pietro per la Beatificazione del Venerabile Servo di Dio* GIO: FRANCESCO REGIS *Sacerdote Professo della Compagnia di Gesù, o pure divotamente visiteranno in quel giorno la medesima Basilica &c. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Ædibus nostris hac die 19. Maji 1716.*

N. Card. Caraccioli Pro-Vicario.

N. A. Canonico Cuggiò Segretario.

Prætereà Orationem propriam de Beato Joanne Francisco Regis solenniter decantandam in ejusdem Beatificatione, & postmodùm in Officio illius, & Missa recitandam Congregatio Sac. Rituum per Decretum suum die 9. Maji, si Sanctissimo videretur, approbavit, cui Decreto idem Sanctissimus annuit die 20. ejusdem Mensis Maji 1716. ut infra.

ORATIO.

DEus, qui ad plurimos pro salute Animarum perferendos labores Beatum JOANNEM FRANCISCUM *Confessorem tuum mirabili charitate, & invicta patientia decorasti: con-*

cede propitiùs ; ut ejus exemplis instructi, & intercessionibus adjuti æternæ vitæ præmia consequamur. Per Dominum &c.

SOCIETATIS JESU.

Sacra Rituum Congregatio suprascriptam Orationem propriam in Beatificatione Servi Dei JOANNIS FRANCISCI REGIS *Societatis Jesu Presbyteri, solenniter decantandam approbavit, eamque postmodùm in Officio illius, & Missa recitari posse concessit, si Sanctissimo D. Nostro visum fuerit. Die 9. Maji 1716.*

Et Facta deinde per me Secretarium eidem Sanctissimo D. N. relatione, Sanctitas Sua benignè annuit die 20. ejusdem mensis, & anni.

F. Card. de Abdua Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. S. Rit. Congreg. Secret.


Igitur præstitutâ die superiùs enunciatâ, nempe 24. Maji 1716. quæ eo anno fuit Dominica infra Octavam Ascensionis D.N. Jesu Christi, cùm omnia jam parata essent in Basilica Vaticana Principis Apostolorum pro peragenda eâdem solenni Beatificatione, diligenti cura, & studio admodùm R.P. Josephi Guibert Sacerdotis Professi Societatis Jesu, Assistentis pro Provinciis Galliæ, & Causæ hujusmodi Beatificationis Postulatoris, ad actum ejusdem Solennitatis deventum fuit. Et ne silentio prætereantur, quæ tum ad apparatum, tum ad ipsam solennem actionem pertinent, hæc adnotare placuit.

In exteriori facie Augustissimi Templi supra principem Januam, quâ patet aditus in Atrium interius, assurgebat tela picta præalta speciei ovatæ, altitudinis nimirum palmorum quatuor supra viginti, sexdecim verò latitudinis, referens B. JOANNEM FRANCISCUM REGIS gestantem Crucifixum, simulque Cœlum conspicientem, medium à parte superiori inter duos Angelos, alterum exhibentem lilium, coronam alterum, personante utrinque famâ, & Servi Dei res gestas, & insignia decora concelebrante. Porrò eadem tela picta insistebat in basi; quam prope alter emicabat Angelus Zonam explicans permagnam, cum ejusmodi Epigraphe: BEATUS JOANNES FRANCISCUS REGIS SOCIETATIS JESU: A dextera Angeli apparebant Insignia Summi Pontificis CLEMENTIS XI., quemadmodum & à læva Christianissimi Regis. Super alteram verò è portis lateralibus Insignia cernebantur Societatis Jesu; & Sacrosanctæ ipsius Basilicæ super alteram.

Atrium interius, quamvis ob nativam magnificentiam, & ornatum, extranea videretur ornamenta non exigere, placuit nihilominùs ornatum ipsum adaugere pretiosissimâ supellectili, quæ non minùs adventantium animos ad pietatem alliceret, quàm oculos stupore defixos detineret. Siquidem, ut cætera mittantur, dependebant è parietibus celeberrima illa peristromata, quæ in Vaticanis Ædibus asservantur, Opus absolutissimum clarissimi olim Raphaelis Urbinatis; & nè quid ad inflammandum propiùs introeuntium corda erga Beatum in ipso vestibulo desideraretur, supra maximam Portam ipsius Templi conspiciebatur Miraculum claris inter obscuros coloribus diligenter expressum, & à duobus Angelis sustentatum, quod Deus Optimus Maximus Jo:Francisci deprecatione, dum adhuc viveret, patrare dignatus fuit, multiplicationis nempe per tres vices frumenti in pauperum alimentum, cum Epigraphe: *Sæpe multiplicat frumentum ad alendos pauperes*; perindè quasi iidem Angeli in tanta rei frumentariæ caritate, qua hoc eodem anno, non tantùm Provinciæ Ditionis Ecclesiasticæ, sed Roma ipsa premebatur, intuenti Populo commonstrarent, ad quem Patronum confugeret, ut Causam suam in hac publica necessitate apud Altissimum promoveret.

Verùm in augustissimâ intrinsecùs Basilicâ quidquid aspectui objiciebatur, splendorem, & magnificentiam ostentabat. Erat enim undequaque serico, de more, apparatu operis Damasceni rubri coloris, eoque zonulis aureis discriminato convestita: quò fiebat, ut cùm Templum spectet Orientem, radii solares immissi mirum in modum geminarent splendorem, novumque Cœlum quodammodò fingerent, sive apparatum auro distinctum, sive Templi testudinem opere plastico, eoque aurato perornatam reverberarent. Et sane nè sydera quidem huic novo Cœlo deesse videbantur: in singulis quippe Altaribus sex cerei, ut minimum, collucebant, præter complures, qui ardebant ad Aram principem, quam vocant, Confessionis, & ad monumentum Sepulchrale, in quo requiescunt veneranda Corpora Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ubi intermixti cum ferme centenis lampadum argentearum luminibus, ibi interdiù ardere solitis, quamdam veluti Galaxiam, seu viam lacteam, effingebant.

Sed longè major vis luminum, de quibus mox sermo erit, coruscabat circa Theatrum, ubi Sacra Solennia erant celebranda. Itaque sciendum, quòd in Altari sub Abside ædi-


1 Altare sub Absyde Basilicæ Vaticanæ
2 Faldistorium pro Celebrante
3 Subsellia pro Cardinalibus Congreg: Sacr. Rituum
4 Locus Sessionis Cardinalis Albani Archipresbyteri præfatæ Basilicæ in capite Sedilium Canonicorum
5 Scamna pro Prælatis, et Consultoribus Congreg: Sacr. Rituum
6 Scamnum pro Canonicis Ministris Altaris cum Presbytero Assistente pariter Canonico
7 Scamna Canonicorum eiusdem Basilicæ
8 Locus Postulatoris Causæ B. Ioannis Francisci Regis post ultimū Canonicum
9 Sedilia pro Beneficiatis eiusdē Basilicæ
10 Contignationes pro Cantoribus
11 Sedilia præalta pro Abbatibus, et Ministris Generalibus Religionum, necnon pro Viris Nobilibus
12 Contignatio craticulata pro Principe Ducis Bauariæ Primogenito
13 Alia similis pro Nobilibus Fæminis
14 Abacus pro Celebrante
15 Mensa super quā Imagines Beati Cardinalibus, et alijs distribuendæ
16 Custodia Militum Heluetiorum
17 Ambonis locus ad publicandum Breue Apostolicum Beatificationis
Ichnographia Theatri Beatificationis Ser. Dei Ioannis Francisci Regis Soc. Iesu.

ædificato infra Cathedram S. Petri, sacraque supellectili pro rei gerendæ dignitate adornato, in sex celeberrimis candelabris ex argento, & auro tam mira arte elaboratis, ut materiam superaret opus, permagni conflagrabant cerei, quibus quodammodò famulabantur plurimi alii circum aptati, hinc indè erumpentes à basibus duarum ex quatuor Statuis æneis, referentibus totidem S. Ecclesiæ Doctores Cathedram ipsam sustentantes. His cereis respondebant alii plures, qui & in lampade argentea miræ magnitudinis, & pretii, è regione suspensâ, & in quatuor prægrandibus itidem pensilibus lychnis ligneis auro, argentoque magnam partem circumornatis à dextra, & à sinistra ardebant è Templi testudine suspensis.

Ab utroque verò Altaris latere protendebantur, duæ veluti alæ Sedilium, ad decem supra centum palmos, sensim sese dilatantes, quæ in extrema parte se mutuò contrahentes tantum relinquebant spatii, quantum sat esset ad ingressum illorum, qui solennibus interesse debebant, aliis prætereà hinc indè adjunctis introrsum demissioribus sedilibus ad excipiendum reliquos ex Reverendissimo Capitulo, & Clero frequentissimo ejusdem Sacrosanctæ Basilicæ. Eadem verò Sedilia erant ita disposita, ut speciem quamdam amplissimi Theatri repræsentarent, ita tamen, ut nec prospectum frequentissimo Populo prohiberent, nec majestati solennis cæremoniæ quidquam detraherent. Rursùs à tergo eorumdem sedilium alia scamna erant apposita ad excipiendos plures ordines sive Præsulum, sive Optimatum, sive etiam Religiosorum, & potissimùm prope Sedilia Eminentissimorum Cardinalium S. Congregationis Rituum aderant Sedilia pro Reverendissimis Generalibus Religionum; quemadmodum & ex utroque latere circa medium assurgebant juxta parietes duo oblonga tabulata sericis Damascenis rubri coloris fasciolis aureis exornata, & cum transennis auratis desuper dispositis, in quorum altero à cornu Epistolæ assidebat cum suo nobilissimo comitatu Serenissimus D. Carolus Albertus Princeps Electoralis Bavariæ, tunc Romæ degens, & in altero assidebant à cornu Euangelii complures Principes fœminæ Romanæ.

In extrema Theatri parte quatuor aderant Chori selectorum Musicorum in duobus præaltis tabulatis ab unoquoque latere erectis, iisque pariter ornatis pretiosis aulæis. Nec illud sanè prætermittendum, quòd cum planities inter Altare, & gradus porphyreticos interjacens, quantacumque illa sit, esset tamen impar tam vasto Theatro concludendo, necesse fuit illam extendere ad plures passus ad eandem altitudinem, adjuncto quodam tabulato arte singulari constructo, & (quod magis mirêre) ita depicto, & in suis locis delineato ad imitationem marmoreæ planitiei, cui jungebatur, ut intuentes primo aspectu fallere potuisset.

Verumtamen quod maximè oculos, mentesque in se convertebat, & ad pietatem excitabat, erat Imago Servi Dei B. Jo: Francisci Regis expressa in tela picta altitudinis palmorum viginti, & sexdecim latitudinis, figuræ ovatæ: opus Dominici Muratoris, non exiguæ famæ Pictoris. Habitus Beati, & situs, erat ascendentis in Cœlum, medii inter Angelos, & splendore undique coruscantis. Nobilitati Imaginis sericis utrimque velis circumornatæ, & zonulis aureis artificiosè, eleganterque concinnatis, cœlestis quædam accedebat majestas, & decor: siquidem collocatæ eidem in medio Altaris videbatur Cathedra ipsa Beati Petri superposita, Servo Dei ad cœlestem gloriam evolanti auream, & splendidam quasi Coronam imponere: quatuor à lateribus Ecclesiæ Doctores de tanto quodammodo gratulari triumpho, & plurimorum Chorus Angelorum supra Cathedram opere plastico, & aurato ad miraculum effictus, heroica Beati decora concelebrando, illum ad eamdem Gloriam deducere.

Claudebat demum magnificum istud Amphiteatrum expedita Militum Cohors Helveticorum, selecta è custodia Summi Pontificis; quorum munus erat agmine facto, consertisque in orbem corporibus, & armis arcere multitudinem irruentem, & prohibere, nè cui pateret aditus, præterquam, vel ad ministrandum sacræ cæremoniæ, vel ad certum in eo consessu locum destinatis. Verùm, ut maximè vellent strenui Milites, & conniterentur, neutiquam valuere tantæ concurrentium multitudini obsistere, coactique sunt indulgere non tam curiositati, quàm pietati plurimorum, illorum præcipuè, qui aliqua insigni nota, vel nobilitatis, vel muneris erant præditi, usque adeò, ut istorum quoque frequentia medium ferè Theatrum occuparet, sedentesque inibi in suis sedilibus penè obruerent.

Itaque his omnibus rite, & rectè dispositis, prædicta die 24. Maji 1716. sub horam sextam Emi, & Rmi DD. Cardinales unà cum

cum Illmis, & Rmis DD. Prælatis, & Rmis Consultoribus S. Congregationis Rituum, qui priùs, ut moris est, fuerant legitimè per Cursores moniti, è Sacrario Basilicæ, ubi convenerant, egressi, indutique, ut loquuntur, Cappâ violaceâ, incesserunt bini, & bini ad prædictum Theatrum Beatificationis; & factâ adoratione Altaris consederunt in ipsorum Sedilibus Alæ dexteræ à cornu Euangelii coopertis Attalico panno, subindè post ipsos in Sedilibus paulò humilioribus cæteri S.Congregationis Præsules, & Consultores. Posthæc Illmus, & Rmus D. Joannes Franciscus de Nicolais Archiepiscopus Myrensis, & Emi, & Rmi D. Cardinalis Albani Archipresbyteri ejusdem Basilicæ Vaticanæ Vicarius, ab Illustriss., & Rmo Capitulo de more, ut aliàs, invitatus ad Missam solenniter celebrandam, indutus Albâ, Stolâ, & Pluviali albo cum Mitra in capite, & stipatus duobus Rmis Canonicis munus Diaconi, & Subdiaconi explentibus, præcedente Cruce cum toto Rmo Clero ejusdem Basilicæ, & cum eo Emo, & Rmo D. Cardinali Archipresbytero, processionaliter ab eodem Sacrario se contulit primùm ad adorandum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; indeque veneratus Corpora Sanctorum Apostolorum, accessit ad locum Beatificationis, ubi factâ profundâ inclinatione Altari supposito Cathedræ, & deinde Eminentissimis DD. Cardinalibus, secedens ad sinistram sedit in ampliore, & ornatiore Sella (vulgò Faldistorio].

Sedebant, ut dictum est, Eminentissimi Cardinales S. Rituum Congregationis, numero viginti, paucis tantùm absentibus, & cæteri ejusdem S. Congregationis ad Alam dexteram, sive à cornu Euangelii: ad sinistram verò, nempe à cornu Epistolæ sedebant primo loco Eminentissimus Albanus Archipresbyter cum Cappa rubri coloris; & deinde Reverendissimi Canonici, penès quos supra memoratus admodùm R.P.Joannes Joseph Guibert Societatis Jesu, Causæ Postulator, super Sedilibus coopertis peristromatibus, & post eos omnes in eodem ordine in Sedilibus pariter coopertis, paulò tamen demissioribus DD. Beneficiati, cæterique Clerici S. Petri, etiam in scamnis intrà septa Theatri utrimque dispositis in pluribus ordinibus.

Omnibus igitur prædicto modo considentibus unus ex Magistris Cæremoniarum Reverendissimi Capituli, duxit ad Eminentissimum, & Reverendissimum D. Cardinalem de Abdua Præfectum ejusdem S. Congregationis Rituum, Secretarium ipsius S. Congregationis, scilicet Illustrissimum, & Reverendissimum D. Nicolaum Mariam Tedeschi Episcopum Liparitanum; alter verò ex eisdem Cæremoniarum Magistris duxit ad eumdem Eminentissimum Præfectum memoratum R. P. Joannem Josephum Guibert Causæ Postulatorem, qui stans coram eodem Eminentissimo, eductum Breve Beatificationis, de quo supra, illud omni cum obsequio, ac reverentia, ut par erat, tradidit eidem Eminentissimo Cardinali Præfecto, priùs suppliciter instans, ut procurare illius executionem dignaretur. Tenor autem supplicationis fuit hujusmodi.

Eme, & Rme Domine.

Censuit hæc Sacra Rituum Congregatio coram Sanctissimo D. N. CLEMENTE *XI. constare de Sanctitate Vitæ, ac de Virtutibus tum Theologicis, tum Cardinalibus in gradu heroico Venerabilis Servi Dei Joannis Francisci Regis Societatis Jesu Sacerdotis. Censuit constare de Miraculis, quæ post ejus obitum ad ejusdem intercessionem operatus est Deus. Censuit demùm tutò deveniri posse ad solennem hujus Servi Dei Beatificationem. Hoc gravissimo Sacræ Congregationis judicio permotus Sanctissimus D. Noster indulsit pro sua benignitate, & concessit per Breve datum die 8. hujus Mensis Maji, ut hic Servus Dei, Beati nomine nuncupari possit; ac de eo tamquam Confessore non Pontifice tàm in hac Alma Urbe, quàm in Diœcesibus Narbonensi, Viennensi, & Aniciensi in Gallia, & in tota ubique Societate Jesu Missam, & Officium recitare liceat. De hoc ut constet omnibus Fidelibus, ego tanquam Postulator in locum alterius, qui Vobis faventibus Causam hanc promovit egregiè, subrogatus, humiliter deprecor hanc Sacram Congregationem, & nominatim Eminentiam Vestram ejusdem Sacræ Congregationis Præfectum, ut jubeat debitæ mandari executioni Breve Pontificium, quod mihi commissum fuit, atque ideo trado Eminentiæ Vestræ more solito publicandum ad majorem Dei gloriam, ejusque Venerabilis Servi decus sempiternum.*

Accepto Brevi illico Eminentissimus de Abdua Præfectus, annuentibus quoque aliis Eminentissimis Cardinalibus, illud per Reverendissimum Tedeschi Secretarium Sacræ Congregationis misit ad Eminentissimum Albanum exadverso sedentem, ut tamquam Sacrosanctæ Basilicæ Archipresbyter illius executionem injungere dignaretur; quod & factum est: Nam continuò ita mandante

co-

eodem Eminentiſſimo Archipresbytero, ſuper ſuggeſto ad eumdem effectum parato ponè Sedilia Reverendiſſimorum Canonicorum, per unum ex Dominis Manſionariis electum ab Archiviſta dictæ Baſilicæ, cui allatæ fuerunt Literæ Apoſtolicæ Originales ejuſdem Brevis, palàm omnibus audientibus eædem lectæ,& publicatæ fuerunt, præſente D. Coſma Antonio Bernardino Notario Sacræ ejuſdem Congregationis Rituum, qui de ejuſmodi actu, quemadmodum & de tota ſerie Solennitatis Beatificationis, conſcripſit Inſtrumentum publicum, de quo infra, recepto etiam à præfato P. Guibert Poſtulatore tranſumpto impreſſo ejuſdem Brevis, ſigillo dicti Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti munito,& per eumdem Reverendiſſimum Epiſcopum Liparitanum Secretarium ſubſcripto ad effectum inferendi in eodem Inſtrumento, prout prædictus D. Manſionarius aliud ſimile tranſumptum penes ſe retinuit, reſtituto eidem R.P. Guibert Poſtulatori Brevi Originali.

Abſolutâ Brevis Apoſtolici lectione Reverendiſſimus Archiepiſcopus Myrenſis celebrans, depoſitâ Mitrâ,inchoavit altâ voce Hymnum *Te Deum laudamus*, reliqua proſequentibus cum ſuaviſſimo concentu Muſicorum Choris.Initio verò ejuſdem Hymni, amoto velo viridi, quo Imago Servi Dei Jo: FRANCISCI REGIS ſuper Altare collocata tegebatur, eamdem Imaginem tam idem Archiepiſcopus, & Miniſtri, quàm Eminentiſſimi Cardinales, Præſules, & Clerus, ac cæteri adſtantes cum univerſo Populo flexis genibus venerati ſunt; eodemque ferè momento amotis paritèr velis à duabus aliis Imaginibus extantibus ſuper januis tàm Atrii interioris, quàm exterioris Faciei Templi perſonuere tres tibicines intus, & tres extra Templum; ſtatim Populus eaſdem Imagines flexis itidem genibus veneratus eſt, perſtrepentibus interim in magnâ plateâ ad ſonitum tubarum, & tympanorum tormentis bellicis, & mortariolis æneis exploſis; plaudente quoque ingenti cum lætitiâ, & jucunditate uſque ad lacrymas eodem Populo, cui ſtatim pariter reſpondit feſtivus ſonus campanarum omnium Eccleſiarum, & Collegiorum Societatis Jeſu Urbis diuturno concentu.

Peracto Hymno *Te Deum &c.* dictoque verſiculo: *Ora pro nobis Beate Joannes Franciſce &c.* Reverendiſſimus de Nicolais celebrans ſolenniter cecinit Orationem propriam ejuſdem Beati ſuperiùs recenſitam, *Deus, qui ad plurimos &c.* quæ Oratio peculiariter exprimit ejuſdem Beati invictam patientiam, & heroicam charitatem; impoſitoque ſubinde thure in thuribulo, trino ductu incenſavit Imaginem; indeque reverſus ad ſuam Sedem indutus fuit veſtibus Pontificalibus ad Miſſam ſolenniter celebrandam.

Intereà loci fuerunt diſtributæ Imagines Beati in ſerico panno, aureis laciniis plùs, minùſve circumornatæ pro dignitate perſonarum,unà cum Tranſumpto Brevis impreſſo, & Compendio Vitæ ejuſdem Beati cooperto partim chartâ deauratâ, & partim rubrâ, marmoris in modum pictâ, pro ratione pariter earumdem perſonarum; diſtributæ, inquam, hoc modo, videlicet; per P. Guibert Poſtulatorem Eminentiſſimis Cardinalibus, Prælatis, ac Conſultoribus S. Congregationis, & per alium Sacerdotem Societatis Eminentiſſimo Cardinali Archipresbytero, Reverendiſſimis Canonicis, & toti Clero Sacroſanctæ Baſilicæ, & ſubinde per alios Sacerdotes ejuſdem Societatis Sereniſſimo Principi Electorali Bavariæ, ejuſque Aulicis, pariterque principibus, ac nobilibus fœminis in altero Choro exadverſo exiſtentibus, unâque Reverendiſſimis PP. Generalibus Religionum, pluribuſque Prælatis, Dynaſtis, Viriſque Nobilibus, ac Religioſis in Theatro conſidentibus, abſque aliis Imaginibus in papyro impreſſis, Brevibus, & Compendiis tunc, & poſteà in maximo numero, & opportunè diſtributis, ut piorum deſiderio fieret ſatis; quæ omnia pariter fuere diſtributa iis Eminentiſſimis Cardinalibus, cæteriſque S. Congregationis Rituum, qui aliis occupationibus diſtenti non interfuerunt.

Jam verò indutus Reverendiſſimus Archiepiſcopus Sacris Veſtibus, ſibi aſſiſtentibus prædictis duobus Canonicis,Diaconi, & Subdiaconi munere fungentibus, ac alio Presbyteri Aſſiſtentis exercens munia, cæteriſque conſuetis Miniſtris, Miſſam *Os Juſti*, de communi Confeſſorum non Pontificum, & cum eâdem Oratione de Beato JOANNE FRANCISCO ſolenniter celebravit,cum ſuaviſſimo concentu Muſicorum, præter ſonitum tubarum, quæ in extrema parte ejuſdem Templi identidem in progreſſu Miſſæ uſque ad finem audiebantur. Sicque prima Solennia de Beato Joanne Franciſco Regis in Sacroſancta Baſilica S.Petri juxta formam prælibati Brevis ipſius Beatificationis fuerunt celebrata.

Porrò incredibilis propemodum totâ die fuit concurſus utriuſque ſexus cum inſigni pietate, aliorum etiam Eminentiſſimorum Cardinalium, Principum, Præſulum, &

& omnium denique ordinum personarum ad eamdem Basilicam tum ad implorandum Beati patrocinium, tum etiam ad lucrandum Indulgentiam Plenariam à Summo Pontifice, ut supra, concessam: Sed, quod caput est, ipse Summus Pontifex CLEMENS XI. dignatus fuit à Palatio Quirinali ad eamdem Basilicam accedere eâdem die, horis pomeridianis circa Vesperas, & venerari Dei Servum, quem sanè in Cœlis omninò propitium fore sibi meritò polliceri poterat, tanquam Authori tanti honoris ei delati per eam Beatificationem. Interim Summo Pontifici Templum ingresso sese obviàm dedit prænominatus Pater Guibert Postulator, & post osculum pedum venerabundus pro tanto beneficio collato toti Societati, gratias agens, in minimum grati animi argumentum obtulit Florem sericum, à Sanctitate Sua perhumaniter acceptum, nec ineleganter ornatum, & cum eo Servi Dei Imaginem pariter in serico panno expressam, & acu phrygiâ affabrè depictam.

Ut autem de toto prædicto actu solennis Beatificationis manè secuto, in executionem sæpe enunciati Brevis legitimè, & in perpetuum constaret, à Cosma Antonio Bernardino Notario S. Rituum Congregationis confectum fuit publicum Instrumentum, quod hîc inserere pariter visum est, tenoris sequentis.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

PRæsenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & notum sit, quòd anno ab ejusdem Domini Nostri Jesu Christi salutifera Nativitate millesimo, septingentesimo decimo sexto, Indictione nona, Die verò vigesimâ quartâ Mensis Maji, Pontificatus autem in eodem Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. Anno decimo sexto. Cùm Emi, & Rmi Domini S.R.E. Cardinales Sacrorum Rituum Congregationi Præpositi, examinatis priùs, & maturè discussis Processibus authoritate Apostolicâ peractis in Causâ Viennen. in Gallia Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei Joannis Francisci Regis Sacerdotis Professi Societatis Jesu, scilicet super illius Sanctitate Vitæ, Virtutibus, & Miraculis in specie, servatisque omnibus ex forma, & dispositione Decretorum san. mem. Urbani VIII. circa Beatificationem, & Canonizationem Sanctorum servandis, auditis quoque Rmorum Consultorum suffragiis in Congregationibus coram Sanctissimo D. Nostro CLEMENTE *Papa XI. habitis, censuerint ad relationem Emi, & Rmi D. Cardinalis Imperialis, primo loco constare de Virtutibus tàm Theologalibus, quàm Cardinalibus in gradu heroico, & secundo loco de miraculis post obitum dicti Servi Dei ad illius intercessionem ab Altissimo patratis, idemque Sanctissimus per specialia Decreta edita diebus 27. Martii 1712. & 28. Aprilis 1715. præmissa approbaverit; & demum in Congregatione Generali iterum habitâ per Emos, & Rmos DD. Cardinales præfatos coram Sanctitate Sua de communi omnium voto censuerint, quòd stante approbatione Virtutum, & duorum Miraculorum tutò procedi posset ad dicti Servi Dei Beatificationem; Et Sanctissimus D. Noster Papa in re tam gravi resolutionem differens, Divinique luminis priùs implorato præsidio, tandem decreverit, ut dictus Servus Dei Joannes Franciscus Regis piè, & palàm à Christifidelibus coli possit, Decretumque illius Beatificationis per Literas Apostolicas in forma Brevis cum consuetis Indultis quandocumque faciendæ expediri, & publicari mandaverit, prout latiùs ex Decreto emanato die 7. currentis Mensis, quod Typis impressum mibi &c. traditum fuit ad effectum præsentibus inserendi tenoris sequentis, videlicet* (Hîc omittitur tenor dicti Decreti, nam superiùs pag. 329. illud extendimus integrum.]

Et proinde prælibatus Sanctissimus, nedum Generalis Sacrorum Rituum Congregationis votis inhærens, verùm etiam piis, enixisque claræ mem. Ludovici XIV., dum viveret, Francorum Regis Christianissimi, & quamplurium Reverendissimorum Archiepiscoporum, & Episcoporum Regni Galliarum, & potissimùm Provinciæ Occitaniæ; nec non Magistratuum, Procerum, & Populorum ejusdem Provinciæ, totiusque Societatis Jesu precibus inclinatus per Literas Apostolicas indulserit, ut idem Dei Servus Joannes Franciscus Regis imposterum Beati nomine nuncuparetur, ejusque Corpus, & Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in Processionibus circumferenda) exponantur; Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, & de eo recitetur Officium, & Missa celebretur de Confessore non Pontifice singulis annis juxta Rubricas Missalis Romani die 24. Maji (cum dies 31. Decembris, quâ ipse Dei Servus Spiritum Creatori reddidit, & aliæ quamplures illam subsequentes, ut notum est, impeditæ reperiantur) certis tamen in locis, & postquàm in Basilicâ Principis Apostolorum Urbis fuerint Solennia Beatificationis ejusdem Servi Dei celebrata, aliisque modis, & formis latiùs expressis in Literis Apostolicis hujusmodi in formâ Brevis, ut moris est, expeditis, datis Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris

aie 8. currentis Mensis Maji, ad quas proinde in omnibus relatio habeatur.

Cùmque omnia pro Solenniis hujusmodi Beatificationis adimplendis diligenti curâ admodum R. P. Joannis Josephi Guibert Sacerdotis Professi Societatis Jesu, & in Romana Curia pro Gallicis Provinciis Assistentis, Causæque prædictæ Postulatoris in Sacrosancta Vaticana Basilica parata essent; Ideo Ego Notarius ad ejus instantiam requisitus ad dictam Sacrosanctam Basilicam S. Petri Principis Apostolorum accessi, & Solennia ibidem pro dicta Beatificatione celebrata, aliaque, ut infra adnotavi.

In extrinseca maximi, & augustissimi Templi facie aderat affixa effigies Servi Dei Cœlum aspicientis, & supra ejus januas, nempe supra mediam Insignia Summi Pontificis, & Serenissimi Regis Christianissimi; supra verò binas alias laterales mediæ contiguas Stemma dictæ Ven. Societatis à parte dextera, & ab alia sinistra Stemma ejusdem Sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ. Porticus, totumque Templum sericis paramentis ornatum, & alia Tabula cum Effigie depicta Servi Dei aptata supra Altare dicatum Cathedræ S. Petri, Cruce, & Candelabris argenteis auratis, alitsque paramentis pretiosis magnificè decoratum, aptatis pariter, & eleganti forma dispositis circum circa, & ante dictum Altare aliis Candelabris ligneis æneo colore, & argenteo variatis, præstantique opere confectis, super quibus cerei, seu candelæ in magna copia ardebant. Ab utroque verò dicti Altaris latere composita erant Sedilia, à dexterâ scilicet, seu à cornu Euangelii pro dictis Emis, & Rmis Dominis Cardinalibus Sacrorum Rituum Congregationi Præpositis, ac Illmis, & Rmis ejusdem S. Congregationis Prælatis, & Consultoribus: à sinistra verò, seu à cornu Epistolæ, pro Emo, & Rmo D. Cardinali Archipresbytero, Illmis, & Rmis Dominis Canonicis ejusdem Basilicæ, & dicto admodum R. P. Jo: Josepho Guibert Postulatore, duresque alii demissiorum Scamnorum ordines pro reliquo ejusdem Basilicæ Clero, & aliis Prælatis, nobilibusque viris; quemadmodum & à tergo Sedilium Emorum, & Rmorum Dominorum Cardinalium aderat etiam sedile pro pluribus Rmis Generalibus Religionum. Præterea cernebantur quamplurimi alii Cerei, seu Candelæ tam in Altari, quod nuncupatur Confessionis, in quo asservantur Corpora Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, super argenteis, quàm in aliis Altaribus dictæ Basilicæ super æneis candelabris impositi, & duo Musicorum magni Chori cum Organis non longè à dictis sedilibus ab utroque latere erecti, ac etiam custodia Militum Helveticorum ex Cohorte Pontificia ad arcendam Populi multitudinem instructa.

Accensis, & collucentibus dictis Cereis supra omnia recensita Candelabra appositis, ut dictum est, in dictis Altaribus, & assistente privatâ tantum formâ Serenissimo D. Carolo Alberto Principe Electorali Bavariæ in loco separato, prope, & extra sedilia Reverendissimi Capituli tabulis decenter erecto, cratibusque ligneis circumdato, quemadmodum, & ex parte altera simili loco pluribus Principibus fœminis, pluribusque Prælatis, & nobilibus Viris in corona dictorum Militum Helveticorum permanentibus, magnâque utriusque sexus populi multitudine extra coronam eorumdem Militum existente, advenerunt primò Emi, & Rmi Domini, Ferdinandus de Abdua Præfectus, aliique Cardinales dictæ Sacræ Congregationi Præpositi, usque ad numerum viginti, nec non Illmi, & Rmi Domini Prælati, & Consultores totam Sacrorum Rituum Congregationem repræsentantes; eisdemque considentibus in sedilibus ipsis respectivè paratis è Sacrario dictæ Ecclesiæ processionaliter discessit præcedente Cruce, & Acolythis, universoque Clero Basilicæ, Illustrissimus, & Reverendissimus D. Joannes Franciscus de Nicolais Archiepiscopus Myrensis, Vicarius Eminentissimi, & Reverendissimi D. Archipresbyteri ejusdem Basilicæ, pluviali Albo indutus cum Mitrâ, Missam solennem celebraturus inter duos Canonicos cum Dalmaticis Diaconi, & Subdiaconi munia gerentes subsequente Eminentiss., & Reverendiss. D. Annibale Cardinali Albano ejusdem Basilicæ Archipresbytero; & factâ adoratione, effusisque precibus primò ad Altare Sanctissimi Sacramenti, & secundò ad Altare Sanctorum Apostolorum, sese contulerunt ad locum, ut supra, paratum pro hujusmodi Solennitate; prædictisque omnibus loca sua tenentibus, assistentibus quoque duobus dictæ Basilicæ Cœremoniarum Magistris, Illustriss., & Reverendiss. D. Nicolaus Maria Tedeschi Episcopus Liparitanus, dictæ S. Congregationis Secretarius, associatus ab altero ex Cœremoniarum Magistris è loco suo discedens, accessit ad latus dicti Eminentiss., & Reverendiss. D. Cardinalis de Abdua Præfecti, & eodem tempore coram Eminentia Sua, aliisque Eminentiss. & Reverendiss. DD. Cardinalibus dictæ Sacræ Congregationis constitutus dictus admodum R. P. Joannes Joseph Guibert Postulator antedictus, habens præ manibus Literas Apostolicas prædictas in formâ Brevis expeditas, illasque dictæ S. Congregationi debitâ reverentiâ originaliter præsentans, ac perorans institit dictas Literas Apostolicas recipi, & admitti, ac in dicta Basilica juxta illarum formam, & S. Romanæ

mvnæ

manæ Ecclesiæ ritum Solennia Beatificationis hujusmodi celebrari, aliaque omnia, & singula desuper necessaria, & opportuna juxta dispositionem Brevis, Literarumque prædictarum exequi mandari, ad majorem Dei, dictique sui Servi gloriam, omni meliori modo &c.

Qua oratione, seu instantia completa dicti Eminentiss., & Reverendiss. DD. Cardinales præfatæ S. Congregationis receptis pro ea per dictum Eminentiss. D. Cardinalem de Abdua Præfectum Literis Apostolicis prædictis, eisque repertis illæsis, & in nulla parte suspectis, illas admiserunt, & publicari, dictaque Solennia celebrari, & alia desuper necessaria, & opportuna, ad earumdem Literarum formam fieri, & exequi mandarunt; dictoque P. Postulatore inde recedente, debitisque relatis gratiis, eâ, qua par est, reverentiâ prædictus Eminentiss. D. Cardinalis Præfectus, aliisque annuentibus consignavit dicto Illustriss., & Reverendiss. D. Secretario dictas Literas Apostolicas ad effectum illas unà cum relatione præcedentis Instantiæ dicti R.P. Postulatoris, omniumque ab Eminentia Sua, & aliis Eminentiss. DD. Cardinalibus dictæ Sac. Congregationis, ut supra, mandatorum deferendi ad dictum Eminentiss. D. Cardinalem Archipresbyterum è conspectu sedentem, prout illæ incontinenti delatæ fuerunt, quas idem Eminentiss. Archipresbyter debita cum reverentia recepit, & vidit, unique ex dictis Cœremoniarum Magistris dedit, mandavitque per Mansionarium Archivistam dictæ Basilicæ, vel alium ab eo substituendum palàm, & publicè perlegi, prout unus ex Mansionariis per Archivistam prædictum ad hoc substitutus, parendo mandatis prædictis, ascenso suggesto retrò sedilia dictorum Reverendiss. Canonicorum existente, easdem Literas Originales suis præ manibus receptas [porrecto tamen mihi Notario ibidem assistenti per dictum Patrem Postulatorem illarum transumpto impresso, sigillo dicti Eminentissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Præfecti munito, & per dictum Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum Episcopum Liparitanum Secretarium subscripto, meque illud præ manibus tenente, & auscultante] de verbo ad verbum altâ, & intelligibili voce perlegit, & publicavit, & è suggesto descendens, retento pariter penès se simili transumpto, eidem P. Postulatori adhuc præsenti, & recipienti easdem Literas Apostolicas Originales restituit, illarumque transumptum mihi, ut supra traditum præsentibus inserendum duxi, tenoris sequentis, videlicet [Hîc omittitur tenor, quia jam supra fuit integrè extensus ad pag. 330.]

Lectione verò absolutâ Illustriss. & Reverendiss. D. Archiepiscopus celebrans, depositâ Mitrâ, inchoavit Canticum, Te Deum laudamus, *reliqua prosequentibus Musicorum Choris, & in ipso Cantici initio amotis velis sericis, quibus Imagines dicti Servi Dei, ubi supra, respectivè existentes contectæ fuerant, idem celebrans, & Ministri ei assistentes, Emi DD. Cardinales, Illmi DD. Prælati, & Reverendiss. Consultores dictæ S. Congregationis Rituum, Eminentiss. D. Cardinalis Archipresbyter, Reverendiss. Canonici, & reliqui de Clero, cæterique Prælati, & nobiles Viri, & cuncta Populi multitudo genibus flexis Imaginem præfatam supra dictum Altare Cathedræ collocatam, devotissimè venerati sunt, & statim ad sonitum tubarum intus, & extra eamdem Basilicam personantium, plurium tormentorum bellicorum extra eamdem Basilicam paratorum strepitus auditus fuit, finitoque Cantico, & per Diaconum Euangelii prolato versiculo:* Ora pro nobis Beate Joannes Francisce, *habitâque Chori responsione:* Ut digni efficiamur promissionibus Christi; *nec non per ipsum Archiepiscopum celebrantem recitata Oratione propriâ de dicto Beato à Sac. Congregatione cum Oraculo Sanctissimi approbatâ, illiusque Imagine thurificata, idem Archiepiscopus celebrans cum dictis Assistentibus, Pontificalibus ad Sacrificium indutus, Missam de Confessore non Pontifice solenniter celebravit, personantibus organis, aliisque musicis instrumentis, & Cantoribus decantantibus; personantibus itidem in fine Ecclesiæ, & extra eam tubis, dictoque P. Postulatore ab initio Imagines dicti Beati impressas, alias in serico aureis virgulis circumdatas in grandiorem, alias pariter in serico absque aureis ornamentis in angustiorem formam pro ratione personarum, & alias in papyro unà cum liberculo Compendii Vitæ dicti Beati, & transumpto impresso dictarum Literarum Apostolicarum cuilibet ex adstantibus Eminentiss. DD. Cardinalibus, Prælatis, Canonicis, Consultoribus, & aliis de dicto Clero distribuente; Et ita Solennia Beatificationis dicti Venerabilis Servi Dei, jam Beati Francisci Regis in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata sunt; Præsentibus ibidem, audientibus, & intelligentibus RR. DD. Josepho Antonio Campanelli filio q. Thomæ, & Marco Jannesio filio q. Josephi ambobus Romanis, dictæ Sacrosanctæ Basilicæ Mansionariis, testibus ad præmissa omnia, & singula vocatis, habitis specialiter, atque rogatis.*

Ego Cosma Antonius de Bernardinis Publicus Apostolica authoritate, & Sacræ Rituum Congregationis Notarius, Cancellarius,

& Archivista, ita de suprascripto Instrumento rogatus subscripsi, & publicavi, meoque solito signo signavi requisitus. In fidem &c.

Locus ✠ Signi.

Quoniam verò in eodem Brevi Beatificationis, indulserat Sanctissimus D. Noster, ut præter Festum quotannis de eodem B. JOANNE FRANCISCO celebrandum eâdem die 24. Maji in tribus locis, nempe nativitatis, obitus, & diuturnioris Servi Dei habitationis, nec non in omnibus Ecclesiis Societatis Jesu ubivis gentium sitis celebrari etiam possent intrà primum annum, die ab Ordinariis Locorum designandâ, eadem Solennia Beatificationis in eisdem Locis, & Ecclesiis ad imitationem, dixerim, præfatæ primæ Solennitatis in Sacrosancta Basilica S. Petri celebratæ, pro qua concesserat ad eumdem effectum in eodem Brevi etiam Plenariam Indulgentiam visitantibus dictam Basilicam, ad ejus normam concessit etiam aliud Breve statim subnectendum post inferius Edictum Indulgentiæ. Quarè initium sumere visum est à tribus Ecclesiis Societatis Romæ existentibus, ut aliis extra Urbem quodammodò forent exemplo; & ad Oraculum Sanctissimi fuerunt selecti tres dies continui in speciem Tridui, nimirum dies quinta Julii, quæ incidit eodem anno 1716. in Dominicam 5. post Pentecostem, & infra Octavam Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac feria secunda, & tertia subsequentes, sexta videlicet, & septima ejusdem mensis; ità tamen, ut die Dominicâ celebritas prima fieret, ut par erat, in Ecclesia Domus Professæ Nomini Jesu dicata, incipienda à primis Vesperis Sabbati præcedentis, secunda in Ecclesia S. Ignatii Collegii Romani, & tertia in Ecclesia S. Andreæ Novitiatus in Monte Quirinali, utrobique tamen absque primis Vesperis. Et ut Populus eò ferventiùs alliceretur ad Solenne, publicata passim fuit de mandato Sanctissimi in sequelam ejusdem secundi Brevis præfata Indulgentia Plenaria, sub formula, quæ hic adnectitur.

Indulgentia Plenaria pro tribus Ecclesiis, Nominis Jesu Domus Professæ, S. Ignatii, & S. Andreæ ad Montem Quirinalem.

NICOLÒ *per la Misericordia Divina Arcivescovo di Capua, del Titolo de' SS. Silvestro, e Martino a i Monti, della S. R. C. Prete Card.* CARACCIOLI, *della Santità di N. S. Pro-Vicario Generale &c.*

LA Santità di N. S. concede Indulgenza Plenaria, e remissione di tutti li peccati a tutti li Fedeli dell' uno, e l' altro sesso, li quali veramente pentiti, Confessati, e Communicati visiteranno la Chiesa del Gesù sotto li 5. del mese di Luglio prossimo venturo; overo la Chiesa di S. Ignazio al Collegio Romano sotto li sei dell' istesso mese; o pure la Chiesa di S. Andrea del Noviziato a Monte Cavallo sotto li sette parimente del medesimo mese di Luglio, nelli quali giorni si celebrerà solennemente la Festa della Beatificazione seguita sotto li 24. Maggio del B. Gio: Francesco Regis della Compagnia di Gesù; e pregheranno Sua Divina Maestà per la pace, e concordia tra' Prencipi Cristiani, estirpazione dell' Eresie, ed Esaltazione della S. Madre Chiesa, come dalle Lettere Apostoliche spedite sotto li 16. del corrente. Dato questo dì 22. Giugno 1716.

N. Card. Caraccioli Pro-Vicario.

Breve similis Indulgentiæ expeditum pro omnibus Ecclesiis Societatis, & aliquibus aliis extra Urbem in eisdem Solennibus Beatificationis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUm Nos per nostras die 8. Maji proximè præteriti, expeditas Litteras de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum unanimi consilio pariter, & assensu Authoritate Apostolica indulserimus, ut Servus Dei Joannes Franciscus Regis Sacerdos Professus Societatis Jesu, impòsterum BEATI *nomine nuncuparetur, ejusque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium [non tamen in Processionibus circumferenda] exponerentur: Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornarentur; ac de eo recitaretur Officium, & Missa celebraretur de Confessore non Ponti-*

tifi-

tifice singulis annis juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani die 24. Maji, dum dies 31. Decembris, quâ ipse Servus Dei spiritum Creatori reddiderat, & aliæ plures illam subsequentes, ut notum erat, impeditæ reperirentur; Porrò recitationem Officii, & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concesserimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet in Oppido de Foncouverte Narbonen. Diœcesis, in quo dictus Servus Dei natus erat; in Pago Lalovesci Viennen. Diœcesis in Delphinatu, unde ad Cœlos evolaverat, & ubi Venerabile ejus Corpus requiescebat; ac in Civitate Aniciensi, in qua plurium annorum spatio, & penè usque ad suum obitum habitare consueverat, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, nec non in universa Societate præfata, & quantum ad Missam attinebat, etiam à Sacerdotibus ad Ecclesias ejusdem Societatis confluentibus; Præterea primo dumtaxat anno à datis prædictis Literis; & quoad Indias à die, quo eædem Literæ illuc pervenissent, inchoando, in Ecclesiis Oppidi, Pagi, Civitatis, & Societatis hujusmodi respectivè Solennia Beatificationis ejusdem Servi Dei cum Officio, & Missa sub ritu Duplici Majori, die ab Ordinariis respectivè constituta, & intrà sex menses promulganda, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuissent eadem Solennia, pro qua re supradictam diem 24. Mensis Maji proximè præteriti assignavimus, pariter celebrandi fecerimus potestatem, & aliàs prout in Literis in simili forma Brevis emanatis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberiùs continetur; Et sicut pro parte dilecti Filii Postulatoris Causæ Beatificationis prædicti Servi Dei Nobis subindè expositum fuit, Solennia Beatificationis hujusmodi in Basilica prædicta jam celebrata fuerint, illaque in aliis Ecclesiis præfatis propediem, benedicente Domino, celebranda sint; Ipse verò Postulator Christifidelium pietatem ea occasione spiritualium gratiarum, quarum dispensationem Nobis commisit Deus, elargitione incitari plurimùm desideret: Nos ad augendam Fidelium religionem, & Animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti, ac supplicationibus dicti Postulatoris nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, & Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis supradictis die, qua Solennia Beatificationis memorati Servi Dei Joannis Francisci, juxta præscriptum prædictarum nostrarum Literarum ibidem respectivè celebrabuntur, devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias apud Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericordìter in Domino concedimus; Præsentibus pro unicâ vice, quoad singulas Ecclesias prædictas valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut spontè oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint. Utque earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tàm in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ haberetur, ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Junii 1716. Pontificatus Nostri Anno decimo sexto.

F. Card. Oliverius.

Itaque incipiendo ab Ecclesia Nominis Jesu Domus Professæ, ut ad hujusmodi Solennia solito ornatior, quàm in aliis ejusdem Ecclesiæ Festivitatibus, & splendidior appareret, statim ante faciem Templi supra Portam maximam consurgebat altitudinis viginti ferè palmorum, & Arabicis in morem foliorum ornamentis Imago picta

B. JOAN-

B. JOANNIS FRANCISCI Cœlum ascendentis, & evecti alis Angelorum cœlesti undequâque luce radiantis: adaugentibus pulchritudinem pendulis encarpis, & antepagmentis mirabiliter contextis, quæ inter utrosque postes Portæ vernabant, & quibus alia pariter apposita januis lateralibus respondebant. Templum verò ingredientes admiratione defixos facilè detinebant, & loci religio, & Templi majestas, & apparatus refulgens, & multiformis ornatus: Siquidem cuncta ad leges Architectonicas usque adeò erant composita, & partes ita sibi mutuò congruebant, ut nihil adimi, nihil superaddi posse videretur. Parietes, seu pilæ magnæ serico apparatu rubri coloris, & opere Damasceno contexto, aureisque fasciolis discriminato erant coopertæ. Superliminare, quâ substat Coronidi, Attalico ornamento, sive auro textili fulgebat. Coronidem verò ipsam celeberrimam (utpote alteri vetustissimi olim Templi Jovis Statoris assimilem) totum Templum cum ipso superliminari obeuntem decorabat holosericum villosum rubens ad quatuor palmos à summo labio dependens, zonulis aureis distinctum, ac in fimbrias pariter aureas serico intertextas desinens. Sub Odæis pendebant Telæ ex auro textili cum intermixtis figuris monochromateis, varia Miracula Divi Francisci Borgiæ referentia, quibuscum concordabat supra Portam maximam, introrsum ad eandem altitudinem, Tela picta Miraculum quoddam B. Joannis Francisci Regis exprimens, auro adulterino, croceoque colore suffusa; sed adeò memoratis Telis assimilis, ut multos, quamvis picturæ non rudes deciperet. A fastigio fornicum Sacellorum dependebat Velum sericum rubrum bipartitum in speciem lilii, fasciolis aureis dispertitum, & à duobus Angelis argento convestitis hinc, & inde recollectum, pensilem habens in medio lampadem argenteam.

Verùm his omnibus prælucebat Ara princeps, Imaginem præferens B. Joannis Francisci Regis in stabulo animam agentis, præsentibus ibidem, Cœloque delapsis Humani Generis Servatore Jesu, ejusque augusta Parente Maria, & beatum Heroem coram Angelis ad cœlestia præmia, & gaudia perbenignè evocantibus. Porrò Imaginem altitudinis vigintiquinque fermè palmorum mirificè exornabat sericum ab utroque latere decidens aureis zonulis discriminatum, & holoserica villosa superposita, auro similiter distincta. Eidem Imagini quodammodò famulabantur quatuor Telæ pictæ à duobus lateribus pendentes, duæ nimirum sub Abside in semicirculo; aliæ verò duæ proximum exornantes Odæum, diversa Beati prodigia repræsentantes; sed, quòd magis mirêre, Atrebatica, seu Flandrica aulæa usque adeò imitantes, ut error peræ grè, nec nisi à perspicacissimis oculis deprehendi valeret. Pavimentum prægrandi, & discolori tapête, eoque mira arte elaborato sternebatur, Aræ etiam gradus usquequaque contegente.

Cæterùm Altare ipsum licet augustum, quatuor nempe sublime pretiosis columnis ex lapide subflavo antiquo, solidoque constantibus, augustius etiam apparebat ex subjectâ argenteâ opulentiâ ritè dispositâ.

Frons siquidem Altaris cum suis hinc inde appendicibus ex solido argento, & graphicè ad miraculum cernebatur exculptum. Supra verò planitiem plures gradus sensim elevati theatri speciem figurantes sustentabant suis quæque locis aptata plurium Simulacra Sanctorum, candelabra, & thecas reliquiarias cum sacris lipsanis, aliaque vasa, eaque omnia pari modo ex solido argento elaborata, quæ medium stipabant Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti quaquâversum lapidibus, ac metallis pretiosum, præter duo proceræ molis argentea simulacra, quæ ad latera Altaris, & duodecim æneos Angelos in semicirculum dispositos, atque elegantissimæ formæ lampadem cum adjunctis instar Satellitum, brevioribus lampadibus ante idem Tabernaculum è Testudine suspensam.

Hæc autem splendida ornamenta incrementum accipiebant à frequentibus cereis luminibus, quibus undique Altare maximum collucebat. Eminebant tripodes ænei coloris, quatuor Pœnitentiæ tribunalibus superpositi, cereas itidem faces præseferentes, ut Cœlum quodammodo sydereum in terris micare videretur. Nec mirum; nam & cætera Altaria haud absimili pretiosâ supellectili, ac luminibus, servatâ proportione, collucentia eidem Altari principi splendorem suum mirum in modum contribuebant.

Ad hæc si quadripartitam in speciem Crucis, Templi collustrasses Testudinem, auro, opere plastico, signis, picturisque pernobilem, sive quâ cœlestem Gloriam præmonstrat, ut in Tholo, sive quà Sacram Apocalypsim, uti sub Absidem; sive quâ fulgentissimum Jesu nomen in potiore sui parte ostentat, ab Angelis, & hominibus, quin & à Dæmonibus è Cœlo ruentibus adoratum, nulla profectò luculentior præ

illâ

illâ supernæ beatitudinis forma videri in terris potuisset: potissimùm si in Missâ, & utrisque Vesperis audisses suavissimum Musicorum concentum, musicorumque instrumentorum, quorum voces, sonitusque è tribus Choris erumpentes, adstantium aures variâ delectatione mulcebant, eorumque mentes in cœlestem quemdam rapiebant excessum.

Ut verò hæc celebritas solennior apparêret, ad preces in supplici libello porrectas à P. Postulatore, placuit Sanctissimo indulgere, ut in Missæ Solenniis interesset cœtus Eminentiss., & Reverendiss. DD. Cardinalium, ut ex dicto libello, & rescripto Sanctissimi Patris, ut infra.

BEATISSIMO PADRE.

IL postulatore della Causa del B. Gio: Francesco Regis avendo ottenuto dalla somma benignità della Santità Vostra l' Indulgenza Plenaria per la Festa, che si farà del Beato li 5. Luglio prossimo, Domenica quinta dopo la Pentecoste, nella Chiesa del Gesù, in virtù del Breve delli 8. di Maggio, per maggior concorso, e profitto spirituale del Popolo, si fa anche animo a supplicarla a degnarsi concedergli con la medesima benignità la Cappella Cardinalizia per quella medesima mattina delli 5. Luglio, affinche la Festa riesca di maggior gloria di Dio, e del suo Servo. Che il tutto &c.

Sanctissimus annuit.

F. Oliverius.

Quamobrem Eminentissimi Cardinales invitati à Patribus Societatis, interfuerunt numero usque ad triginta eâdem die Dominica, quintâ Julii, Missæ celebratæ solenniter ab Illustriss., & Reverendiss. D. Augustino Nicolao de Oliveriis Episcopo Targensi, Sacristâ Sanctissimi, pariter ab eisdem Patribus invitato, assistentibus duobus Cæremoniarum Pontificiarum Magistris. Peractâ verò Missâ, statim fuit habita concio Panegyrica à R. P. Ignatio Chiabergio Societatis Jesu, in laudem B. Joannis Francisci Regis, perbrevis sanè, sed tamen luculenta, & succi plena, nè prolixitas tædium pareret, neve brevitas voluptatem auferret. Quantus verò fuerit concursus, præcipuè Nobilium ad hanc pariter Solennitatem, non satis explicari valet, itaut effusa sedibus suis propemodum Roma videretur, mota præsertim insuetâ quadam religione, ac pietate erga B. Joannem Franciscum, de quo tanta, & tam præclara gesta partim legerat, partim inaudierat, itaut plurimi sese illius patrocinio commendantes, insignia ejus ope tum spiritualia, tum corporalia retulerint beneficia.

Sed coronidem imposuit tantæ Solennitati ipsemet Summus Pontifex; Etenim innumeris licèt curis distentus, ad preces etiam Reverendiss. P. Michaelis Angeli Tamburini Præpositi Generalis Societatis Jesu, dignatus fuit nihilominùs eadem die Dominicâ mane circa horam undecimam ad hanc Farnesianam Basilicam accedere, & Beatum venerari stipatus coronâ Præsulum, aliorumque Virorum Nobilium, & Palatii Apostolici Aulicorum, & à plurium quoque Eminentiss. Cardinalium numero exceptus, qui maturè ad Capellam etiam convenerant, nedùm à præfato Rmo P. Tamburino Generali Præposito, ejusque RR. PP. Assistentibus, & Secretario Societatis, cæterisque Patribus Domus Professæ, quos inter Patres Assistentes toties memoratus R. P. Joannes Joseph Guibert Postulator, obviam se dans Sanctissimo Patri, post osculum pedum, Florem & hîc ex serico non ineleganter concinnatum venerabundus porrexit; nimiùm impar profectò munus, sed cujus pretium nihilominùs per benignam magnâ cum animi significatione acceptionem sacra dextera in immensum augeret.

Postero die, videlicet sexta Julii, ac feriâ secundâ Solennia facta sunt in Ecclesia, seu Templo Ludovisiano S. Ignatii ad Collegium Romanum, sed hanc Solennitatem describere operæ pretium non duximus, nam plura opus esset repetere iis, quæ superiùs narrata sunt, affinia. Sed pro plena rei notitia insinuasse sufficiat, quòd quantum attinet ad augustissimi, & celeberrimi illius Templi apparatum, opulentam supellectilem Altarium, frequentiam cereorum luminum, Musicorum, & Musices delectum, ac suavissimum concentum, ita erant ad majestatem, & elegantiam omnia disposita, ut commemorato Domus Professæ Templo fraternâ quadam æmulatione assimilari posset. Concursus & huc frequentissimi populi, cum accessu præterea plurium Eminentissimorum Cardinalium tam matutino, quàm vespertino tempore, perinde quasi Fidelium mentes præteritâ erga Beatum Joannem Franciscum veneratione, & obsequio non sibi satisfecissent; & inter Missarum Solennia ab ipsis Patribus Societatis cum omni dignitate, & pompâ celebrata, eloquentissima habita fuit Panegyris in ejusdem B. Joannis Francisci honorem à R. P. Cajetano Rogerio ejusdem Societatis, in qua quemadmodum nil desideratum, quod ad tantum Heroem pertineret; ita nil

præ-

prætermiſſum, quod pro dignitate à tanto Oratore non diceretur.

Altera demum die, nempe 7. Julii, ac feria 3. pari modo, ac ſervata proportione concelebrata fuit ſolennis eadem feſtivitas in Eccleſia Domus Probationis S. Andreæ in Monte Quirinali, quæ cum nativa pulchritudine ſplendeat, novum illi addere decus ferè non licuit: nam ſi faciem Eccleſiæ exteriorem, ſi interiorem ovatam formam, ſi Tholum, ſeu Teſtudinem opere plaſtico, eoque aurato fulgentem; ſi pilas, ſi columnas, ſi pavimentum ipſum ex ſolido marmore cum ipſis pariter conſtans; ſi demùm Sacella pretioſis lapidibus conveſtita, ac omnigeno ornatu ditata circumſpectes, nil ſuperaddi poſſe ingenuè fatèbere; Et nihilominùs quid ſuperadderet, ingenioſæ pietati non defuit. Siquidem [ut mittam ſacram ſupellectilem, vaſorum argenteorum vim, cereorum luminum frequentiam, & alia id genus] à novem fornicibus Sacellorum, aliiſque ſpatiis adjacentibus dependebant pictæ Tabulæ elegantiori forma, ornatuque conſpicuæ, & circumornatæ velis ſericis, & faſciolis aureis, varia B. Joannis Franciſci Regis miracula deſignantes, quæ colore flavo, & auro conſperſo ſuffuſæ, eæque mediæ inter pilas è candido marmore conſtantes mira varietate oculos delectabant, præterquamquòd plurimæ lampades penſiles, eædemque cryſtallinæ multiplici lumine renidentes, & affabrè elaboratæ totam exornabant ædem, de qua, utpotè non maxima, illud prædicari potuiſſet, quòd in his Solennibus coacta in anguſtum Artis majeſtas videretur.

Igitur & hic inter Miſſæ Solennia ab inſigni Muſicorum delectu decantatæ, non defuit Panegyris in ejuſdem Beati honorem dicta à R. P. Jo: Carolo Senepa, peregregia ſanè, cùm nec laudandorum copia deeſſet, nec fandi copia laudatori. Concurſus pariter & huc tum mane, tum in Veſperis pari modo decantatis fuit multus, & frequentior fortè quàm Templum pro numero eſſet capax. Huic celebritati cumulum addidit acceſſus ipſius Summi Pontificis, qui pro ſua benignitate cum ſuo nobiliſſimo comitatu deſcendens, hanc quoque ſacram ædem viſitare dignatus eſt, & Beatum tertiâ vice ter Maximus venerari, perindè quaſi extremam tanto operi manum vellet imponere, qui in Beatorum Album retulerat Servum Dei Joannem Franciſcum.

F I N I S.

IN-

INDEX RERUM,

Quæ in hoc Opere continentur.

A

D

E

F

L

Of-

P

R

S

in

T

V

FINIS.

Pag.	*col.*	*lin.*	*Errata*	*Corrige*
7	2	32	Antipræparatoriam	Antepræparatoriam
20	1	24	Principes	principes
233	*in Notis*		Favonem	Fanonem,
ibidem.			Favonibus	Fanonibus
238	1	46	illatam	illitam
ibidem.	2	33	Principem	principem
257	1	25	& Ivouem	& Ivonem
259	1	27	Olationum	Oblationum
263	2	48	perfectior	perfectissimus
264	1	21	pia fidelium desideria, significare subdit:	pia Fidelium desideria significare, subdit:
273	2	10	cap. II. & IV.	*dele*, & IV.

120 60

20 30

6

180